R-4763

AGUSTIN, Santo, Obispo de Hipona
(354-430)
Sancti Augustini . . . et S.
Bernardi Tractatum de gratia
. . . — ¶ Impressum Romæ : [s.n.
Reuisum Patriti : per Emmanuelem
Fernandez, 1652

SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

ALIQUA OPERA INSIGNIORA

ADVERSUS PELAGIANOS,
& eorum Reliquias.

ET S. BERNARDI

TRACTATUM DE GRATIA,
& Libero Arbitrio.



IMPRESSUM ROMÆ ANNO M.DC.LII.
Recusum Matriti per Emmanuelem Fernandez.

CATALOGUS

EORUM, QUÆ HOC TOMO continentur.

LIBRI

De Gratia Christi.	Fol. 14.
De Perfectione Iustitiæ hominis.	56.
Epistola ad Vitalem.	87.
Epistola ad Sixtum.	102.
De Gratia, & libero arbitrio.	123.
Epistola prima ad Valerium.	162.
Secundam ad Valerium.	167.
De Correctione, & Gratia, Epistola Prosperi ad Augustinum.	212.
Epistola Hilarij ad Augustinum.	220.
De Prædestinatione Sanctorum.	227.
De Dono perseverantiæ.	268.
Epistola Celestini Papæ pro Prospero, & Hilario.	321.
Epistola Synodica Episcoporum Africanorum.	332.
Concilium Arausicanum secundum de Gratia, & libero arbitrio.	343.
Bonifacij Secundi Papæ Epistola ad Cesarium.	350.
Sancti Bernardi tractatus de Gratia, & libero arbitrio.	354.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.4. lin.32. Hilaris, leg. Hilario. Pag.5.lin.40. probatus, leg.probatos. Pag.21.lin.28. decimus, leg. dicimus. Pag.22.lin.34. ab eo, leg. ab ea. Pag.23.lin.10. non ita, leg. non itaque. Pag.24.lin.4. secutos, leg. secutus. Pag.26. lin.31. sic sit, leg. sic fit. Pag.33.lin.23. in charitate, leg. in claritate. Pag.35.lin.22 præcesserit, leg. præcesserint. Pag.44.lin. 26. ne qui, leg. qui. Pag.44.lin.30. proposuit, leg. proposui. Ibid lin.31. vt potuit, leg. vt potui. Pag.46. lin.31. debuit, qui amplius, leg. qui amplius debuit. Pag.50.lin.1. in est fide, leg. est in fide. Pag.57. lin.13. potumus, leg. possumus. Pag.58.lin.29. quæ, pes est, leg. nec pes est. Ibid. lin.30. nec vtique, leg. quæ vtique. Pag.62. lin.20. credendum, leg. credendo. Pag.65.lin.22. quando, leg. quandiu. Pag.89.lin.13. illo, leg. illa. Pag.92. lin.3 œ, leg &. Pag.106, lin. 16. post ly ab initio fidei, deest, leg. restat inquam vt ipsam fidem. Ibid. quo isti extolluntur, leg. quo isti extollunt. Pag.108. lin.34. sunt, leg. sum. Ibid.lin.37. misericordia, leg. misericordiam. Ibid. lin.44. haberentur, leg. haberetur. Pag.116.lin.20. facto, leg. fato. Pag.120.lin.44. haberet, leg. hebetes. Pag.121.lin.5. in fra-

fratres, leg. infantes. Pag. 122. lin. 3. ya, leg. in eo. Pag. 169. lin. 4. eſta-tribus, leg. fratribus. Pag. 171. lin. 4. potui, leg. potuit. Pag. 218. lin. 17. defluxere, leg. defluxerit. Pag. 221. lin. 31. & 35. Dei, leg. vel. Pag. 229. lin. 45. geritias, leg. geritis. Pag. 234. lin. 8. opeea, leg. opera. Pag. 242. lin. 21. noſtris, leg. noſtis. Pag. 244. lin. 13. deberetur, leg. deberetur Pag. 255. lin. 27. concepi, leg. concepit. Pag. 256. lin. 35. ſubnectio, leg. ſubvectio. Pag. 257. lin. 21. vinici, leg. vnici. Pag. 287 lin. 29. fecit, leg. feci. Pag. 288. lin. 10. gratiam, leg. gratia. Pag. 292. lin. 24. parvulus, leg. parvulos. Ibid. lin. 26. quoque. leg. quo. Ibid. lin. 27. quamque, leg. quouſque. Pag. 293. lin. 1. ab omnibus, leg. ab hominibus. Pag. 308. lin. 5. iſt eſt, leg. id eſt. Pag. 309. lin. 13. viva, leg. vivat. Pag. 310. lin. 17. adverſas, leg. averſas. Pag. 311. lin. 27. dixit, leg. dixi. Pag. 317. lin. 45. gratã, leg. gratiæ. Pag. 123. lin. 24. optimus, leg. optimos. Pag. 329. lin. 16. rediuinæ, leg. rediuiuæ. Pag. 351. lin. 13. vetuſt, leg. vetuſti. pag. 355. lin. 31. nec nec, leg. nec. Ibid. lin. 38. ſpiritui, leg. ſpiritus. pag. 357. lin. 3. obnoviæ, leg. obnoxiæ. pag. 360. lin. 41. commoda noxia, leg. noxia. pag. 362. lin. 2. dici, leg. diei. Ibid. lin. 41. experæ, leg. experta. pag. 364. lin. 21. mala bona, Dei, leg. mala Diaboli, bona Dei. pag. 368. lin. 36. dici malitia, leg diei malitia. pag. 370. lin. 45. migis, leg. magis. pag. 376. lin. 11. tuat, leg. ruat.

Noviſsima hæc impreſsio librorum D. Auguſtini *de Gratia Chriſti*, *de Perfectione Iuſtitiæ*, *&c.* hæc ſi menda corrigas, antiquo originali eſt conformis. Matriti tertio Kalendas Septembris anni D.M.DCC.XXXI.

L.D.Emmanuel Garcia Aleſſon.
C.M.Generalis Corrector.

TASSA.

TAſſaron los Señores del Real Conſejo de Caſtilla eſte Libro, intitulado: *D. Auguſtini de Gratia Chriſti*, *&c.* à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente conſta por la Certificacion dada por Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor, y de Govierno del Conſejo; Su fecha trece de Septiembre de mil ſetecientos y treinta y vno.

PRO-

CHRISTIANO LECTORI S.



HABES, *Christiane Lector, collecta hoc in exiguo tomo postrema S. Augustini opera de gratiâ, tum contra Pelagianos, tum contra eorum reliquias edita, ad gratiæ Christianæ cognitionem & intelligentiam maximè vtilia; cùm in ijs sanctus Doctor post multorum annorum cum Pelagianis conflictum præcipuè elaboraverit, vt Pelagij dolos omnes proderet ac superaret, vt plenè & absolutè difficultates omnes solveret, quæstiones dilucidaret, intimiùsque ac profundiùs diuinæ gratiæ mysteria explicaret, confirmaretque.*

Primò est liber de gratiâ Christi contra Pelagium & Cœlestium, quem S. Augustinus velut antidotum pro Christianis in Oriente degentibus composuit ad Pelagij fraudes omnes retegendas ac convincendas, ambagesque removendas, quibus hæreticus illæ gratiæ vocabulo suam hæresim tegere, & Concilio Palæstino, cui fictè & dolosè consenserat, illudere conabatur. Lib de Gratia Christi.

Quare totus est S. Augustinus hoc in opere vt ostendat qualis verè sit gratia Christi, de qua quæstio erat *inter Pelagium & Ecclesiam Catholicam*, & quam debebat Pelagius confiteri, si vellet non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus. *De isto opere hæc habet Cardinalis Baronius.* Sanctus Augustinus qui (vt ait Possidius) decem annos adversus Pelagianam hæresim infatigabili studio laboravit, præter alias complures lucubrationes adversùs eam editas, hoc anno, nempe post damnatam Romæ eamdem hæresim, duos edidit libros, alterum de gratiâ Christi, alterum verò de peccato originali, amboſque ad Albinum, Pinianum, & Melaniam iuniorem sibi notos Hierosolymis degentes, vt vbi Pelagius de sua purgatione securus sedem

De Gratia Christi c. 2.

Ibidem c. 10.

Annal. an. 418 tom. 5. editionis Romanæ, pag. 416.

conſtituerat, quò maiori facilitate hæreſi ſua orbem inficeret, ibi ad ſalutem omnium paratum adversùs venena diſtraheretur antidotum: illuc enim Religionis ergò Chriſtiani frequenti cœtu concurrere ſoliti erant. De ijſdem verò libris hæc ipſe Auguſtinus: (Poſteaquàm Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata eſt, ſcripſi duos libros adversùs eos, vnum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali.) *Sequitur liber de perfectione iuſtitiæ, qui eo circiter tempore ſcriptus putatur, quo compoſitus fuit liber de gratia & libero arbitrio. Hoc in libro S. Auguſtinus Celeſtij ratiocinationibus ſingulis reſpondens circa hanc quæſtionem*, Utrùm in hac vitâ quiſquam ita iuſtitiæ perfectione proficiat, vt hic ſine vllo omnino peccato vivat, *peccati per Chriſti gratiam vitandi poteſtatem explicat. Hunc librum de perfectione iuſtitiæ ſicut & Epiſtolam ad Sixtum* (*de qua infra*) *S. Proſper commemorat contra Collatorem cap.* 43. *cùm refert S. Auguſtini opera à S. Celeſtino comprobata, quæ Presbyteri quidam Galli ab hoc ſummo Pontifice probata eſſe negabant, quòd in epiſtola eiuſdem Celeſtini ad Galliæ Epiſcopos, S. Auguſtini librorum titulus expreſſius non eſſet. S. Proſperi verba hæc ſunt.* Ad Beatiſsimum quoque Apoſtolicæ Sedis tunc Presbyterum Sixtum, nunc verò Pontificem, emiſſæ paginæ recurrantur. Alius liber ad Paulinum & Eutropium ſacerdotes contra Pelagij & Celeſtij quæſtiones (*qui ſcilicet eſt de perfectione iuſtitiæ*) & ad Beatæ memoriæ Papam Bonifacium quatuor volumina recenſeantur. Et ſi in his omnibus operibus multiſque alijs, quæ enumerare longum eſt, idem doctrinæ ſpiritus, eadem prædicationis forma præceſsit, agnoſcant calumniatores ſuperfluò ſe objicere, quòd his libris non ſpeciale neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur; Apoſtolica enim Sedes quod à præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat, & quod iudicio iungit, laude non dividit. *Deinde habes Epiſtolam S. Auguſtini* 107. *quæ eſt ad Vitalem Carthaginenſem, qui ante ortos Maſsilienſes ſeu Semipelagianos, eorum ſententiam tenuit. Quare S. Auguſtinus hac in epiſtola ſuborientem hunc errorem refutare primùm cœpit. De hac epiſtola ſic loquitur Cardinalis Baronius*: erant nonnulli qui licet Pelagianos ſe eſſe minimè profiteri auderent, tamen

Liber de Perfectione iuſtitiæ.

Lib. 2. retract. c. 50

S. Auguſt. Epiſtol. 89 ad Hilarium.

Epiſt. 107 ad Vitalem

Annal. an. 419. t. 5. pag. 444.

quæ

quæ ex hæresi Pelagianà deducebantur, interdum asserere minimè dubitabant. Sit in exemplum quod ex S. Augustini literis exploratum habetur de Vitali Carthaginensi, qui licet Pelagij nomen fugere videretur, ex eius tamen doctrina dogma illud impium deducebat, vt diceret non esse orandum pro Idololatris, vel alijs non credentibus vt crederent, sed tantum modo illis esse proponendam doctrinæ veritatem; cæterum credere vel non credere ex eorumdem pendere arbitrio, non autem ex præveniente eos divina gratia. Ad hunc curandum S. Augustinus eruditam satis dedit Epistolam, quàm illo titulo, Augustinus Christi servorum servus, inscripsit.

Alia omnia opera sequentia sibi invicem connexa sunt, & vnum alterius scribendi occasio fuit. Postquàm enim S. Augustinus adversus Pelagianorum argumenta scripsisset epistolam ad Sixtum Romanum tunc Presbyterum, deinde summum Pontificem, quæ est 105. *contigit vt illa ad Monachos Adrumetinos afferretur, (vt patet ex epistola* 46. *ad Valentinum) atque vt ea lecta dissensio aliqua inter illos oriretur; quàm cùm S. Augustinus audisset, ad hanc sedandam scripsit librum de gratia, & libero arbitrio, in quo simul gratiam, & liberum arbitrium defendit ac inter se conciliat; & hunc librum ad Valentinum Abbatem, & Monachos Adrumetinos misit, duasque literas, quarum vnam quæ est* 46. *ante librum eundem scripsit, aliam verò quæ est* 47. *post illum. Huius lectionem S. Augustinus magnopere commendat.* Repetite (*inquit cap.* 24. *eiusdem libri*) assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite, vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum. *Et epistola* 47. *ad Valentinum*, Scripsi ad vos etiam librum (*scilicet de gratia, & libero arbitrio*) quem si adiuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones vlterius iam futuras. *Et de correptione, & gratia, cap.* 1. Verùmtamen semel lectum (*librum scilicet de gratia, & libero arbitrio*) nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergò eum fructuosissimũ habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, vt dilucidissimè sciatis quibus, & qualibus quæstionibus solvendis atque sanãdis non ibi humana, sed divina occurrat authoritas, à quà recedere non debemus, si volumus pervenire quò tendimus. *Sed iste lib. de gratia, & libero arbitrio Monachum quemdam Adrumetinum movit, vt diceret correctionem fore inutilem, si gratia,*

Epist. 105 *ad Sixtum.*

Liber de gratia, & libero arbitrio.

Epist. 46. *ad Valentinum.*

Epist. 47. *ad eũdem.*

Liber de correptione, & gratia.

qualem illam S. Augustinus docebat, esset necessaria. Hac de causa scripsit idem Sanctus librum de correptione & gratia, quem misit ad eumdem Valentinum, & Monachos eius, de quo opere sic loquitur S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum: Evenit ex dispositione misericordiæ Dei, vt cùm quosdam intra Africam similia moviſſent, librum de correptione, & gratia plenum divinæ authoritatis emitteres, quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas, quia vniversis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plenè illic absolutèque, responsum est; quasi hoc specialitèr studueris, vt quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque Apostolicam doctrinæ tuæ authoritatem antea sequebantur intelligentiores multò instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quam fuerant, recesserunt. *Liber itaque iste de correptione & gratia, vt ex hoc Prosperi testimonio liquet, pervenit in quorumdam Presbyterorum Massilienſium manus, eosque multum offendit S. Prosper, & Hilarius per Epistolas de eorum querelis, & erroribus S. Augustinum monuerunt, horum dogmata, obiectiones, errorumque fundamenta illi exposuerunt, & eum rogarunt*, vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora essent, quàm lucidissimis expositionibus dignaretur aperire. *Quod vt præstaret; ad eosdem Prosperum, & Hilarium statim scripsit duos libros; primum de prædestinatione Sanctorum, secundum de Dono perseverantiæ; in quibus eorumdem Massilienſium seu Semipelagianorum querelis satisfecit, ac eorum errores plenè, & copiosè refutavit. De his libris hæc habet Cardinalis Baronius*, quibus omnibus acceptis (*scilicet à S. Prospero, & Hilaris scriptis*) Augustinus hisce diebus ad ea elucidanda, & adversariorum obiectiones confutandas conversus, in altum pelagus ingenij vela pandit, inspiranteque divino Spiritu duos ad eosdem conscripsit libros; alterum inscriptum de prædestinatione Sanctorum, alterum verò de bono perseverantiæ, ad cuius finem eiusmodi contestationem apposuit: Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent vt eorum ille sit doctor interior, à cuius facie est scientia, & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque, etiam quæ sunt dicta considerent, nè fortassis

Liber de correptione, & gratia.

Epist. Prosperi ad S. Augustinū Epist. Hilarij ad eundem.

Liber duo ad Prosperum, & Hilarium 1. de prædestinatione Sanctorum 2. de dono perseverantiæ.

S. Prosper in epis. ad S. Augustinum.

Annal. ann. 426. n. 5. pag. 498.

taſsis ipſi errent. Ego autem, cùm per eos qui mèos labores legunt, non ſolùm doctior, verùmetiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco, & hoc per Eccleſiæ Doctores magis expecto, ſi & in ipſorum manus veniunt, dignenturque noſſe quæ ſcribo. Hæc ipſe, digna quidem S. Auguſtini modeſtia animique eius admirabili cum summiſſione verecundia, vt planè niſi aliunde ex his ſaltem intelligere valeas, afflatum ipſum divino Spiritu illa ſcripſiſſe; cùm non ſuper quempiam alium, quàm ſuper humilem, quietum, & trementem ſermonem Dei, divinum affore numen Deus per Prophetam fuerit conteſtatus, ſicut & Iacobus docuit, vbi ait, quæ deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens. *Declaravit Apoſtolica Sedes in varijs libris Beati Auguſtini, ſed maximè in his duobus ad Proſperum, & Hilarium cognoſci, quid de gratia, & libero arbitrio Romana hoc eſt Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia. Ita Hormiſdas Papa ad Poſſeſſorem Epiſcopum Africanum*: De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana hoc eſt Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licet in varijs libris Beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum, poſsit cognoſci; tamen in ſcrinijs Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur; quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis deſtinabimus, quamquàm qui diligenter Apoſtoli dicta conſiderat, quid ſequi debeat, evidenter cognoſcat. *Et hæc Hormiſdæ Papæ authoritas Epiſcopos Africanos in Sardinia pro fide exules movit, vt horum duorum librorum lectionem ſpecialiter commendarent.* Præ omnibus, *inquiunt in Epiſtola ſua Synodica*, ſtudium gerite, libros S. Auguſtini, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere, quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in Epiſtola, quàm conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique, noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Cotholicæ laudis inſervit, cuius hæc verba ſunt. De arbitrio tamen libero, & gratia Dei quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur, & ſervet Eccleſia, licet in varijs libris Beati Auguſtini, &c. *Cardinalis Bellarminus, libr. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 11. hos duos præcipuè libros à Gelaſio fuiſſe probatus innuit, quia de ijs inter Proſperum, & Caſsianum, inter Fulgentium, & Fauſtum potiſsima contentio erat.* S. Gelaſius, *inquit*, in

Iacob. 3.

in Concilio 70. Epiſcoporum non ſolùm probavit omnia ſcripta S. Auguſtini, & S. Proſperi, ſed etiam contra damnavit libellos Ioannis Caſsiani, & Fauſti Regienſis, cùm tamen non ignoraret potiſsimam contentionem inter Proſperum, & Caſsianum, ac deinde inter Fulgentium, & Fauſtum, de ſcriptis S. Auguſtini de prædeſtinatione ſanctorum, & bono perſeverantiæ fuiſſe. Itaque Sedes Apoſtolica non tantum ſemel, ſed etiam ſecundo, & tertio, adverſus Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratiæ, & prædeſtinationis ſententiam tulit, vt iam hæc ſententia non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat. *S. Rhemigius Archiepiſcopus Lugdunenſis, & eadem Eccleſia non ſolùm hos duos poſtremos S. Auguſtini libros, ſed etiam duos præcedentes ſupra relatos de gratia, & libero arbitrio, ac de correptione, & gratia, & alios mirificè commendant: & querelas de his in Gallia exortas, Concilijs, Patrum ſtatutis ſummorum Pontificum decretis ſic ſedatas fuiſſe dicunt, vt S. Auguſtini authoritas in omnibus Eccleſijs, & in ipſa Sede Apoſtolica confirmaretur.* Denique, *inquiunt* de beati Auguſtini libris, & ſcriptis, in quibus ex neceſsitate novæ, id eſt, Pelagianæ hæreſis deſtruendæ, & fidei Catholicæ defendendæ inſtantiſsima intentione de natura, & gratia, de gratia, & libero arbitrio, de correptione, & gratia, de prædeſtinatione ſanctorum, & bono perſeverantiæ, ac baptiſmo parvulorum iuxta profunditatem Scripturæ Sanctæ, & Evangelicæ, atque Apoſtolicæ doctrinæ regulam multipliciter diſputavit, adhuc ipſo vivente, ſicut Proſper, & Hilarius ad eumdem ſcribunt, & multo magis poſt obitum eius propter obſcuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium multiplex querela maximè intra Gallias exorta eſt: ſed continuo per divinæ miſericordiæ providentiam, & Concilijs ac ſtatutis Beatiſsimorum Patrum, & decretis atque authoritate Apoſtolicæ Sedis Pontificum ſolertiſsimè ſedata atque ſanata; ita vt ſtultis, & indiſciplinatis quæſtionibus ſilentium imponeretur, & ſanctiſsimi ac ſinceriſsimi Doctoris authoritas in omnibus Eccleſijs, atque in ipſa Sede Apoſtolica confirmaretur. *Prædictos ad Proſperum, & Hilarium libros ſcripſit S. Auguſtinus in vitæ ſuæ fine, cùm opera ſua recognoſceret, vt dicit ipſe libr. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 3. & libr. de dono perſeverantiæ, capitul.*

Detenenda veritate Scripturæ cap. 9.

pitul. 21. *Unde illorum in retractationibus ſuis non meminit, nec deinceps adverſus gratiæ inimicos ſcripſit, niſi partem operis contra Iulianum quod dicitur opus imperfectum, ſi quidem paulò poſt, vt refert Proſper in Chronico*: Epiſcopus ille per omnia Excellentiſsimus, inter impetum Uvandalorum Hipponem obſidentium obijt, libris Iuliani in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & gloriosè in confeſsione Chriſtianæ gratiæ perſeverans: *Ex quibus vides, Chriſtiane Lector, omnia hæc opera priùs relata ſibi invicem, vt dixi, connexa eſſe, atque in illis contineri quæ contra reliquias Pelagianorum S. Auguſtinus ſcripſit, & ea, quæ, vt hæc ſcriberet, occaſionem illi præbuerunt.*

Epiſtola Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ.

Præter iſta S. Auguſtini opera habes, Lector, tria alia ad S. Auguſtini doctrinam ſpectantia. Habes Epiſtolam S. Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ adversùs Presbyteros Maſsilienſes pro gratia Dei, & pro S. Auguſtini defenſione. De hac Epiſtola S. Proſper adverſus Collatorem cap. 42. *hæc habet notatu digniſsima.* Per hunc virum (*ſcilicet* venerabilis memoriæ Pontificem Cæleſtinum, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt) intra Gallias iſtis ipſis, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, male loquentiæ eſt adempta libertas, quando conſultantium actione ſuſcepta, & librorum, qui errantibus diſplicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate ſentiri, ſancto manifeſtavit eloquio, evidenter pronuncians quantùm ſibi præſumptionis iſtius novitas diſpliceret, quà auderent quidam adverſus antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere. (Auguſtinum, inquiens, ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque pro meritis in noſtra ſemper communione habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Bene ergò de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbique cunctis, & amori fuerit, & honori.) Contra iſtam clariſsimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſsimi teſtimonij dignitatem, audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere? & perſpicuæ, ſinceriſsimæque ſententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? vt ſcilicet quia in Epiſtola Papæ, librorum, pro quibus actum eſt, non expreſſus eſt titulus, hinc eos appareat non pro-

ba-

batos, & iſtam in S. Auguſtinum laudationem pro anteriorum ſcriptorum meritis fuiſſe collatam. *Tum idem Proſper S. Auguſtini libros multos commemorat, quos & alios omnes adverſus gratiæ inimicos Cæleſtini authoritate hac ipſius Epiſtola approbatos eſſe teſtatur ac demonſtrat, ſicut ſupra Epiſtolam ad Sixtum referendo dictum eſt. Quod S. Proſperi teſtimonium poſtquam Cardinalis Baronius retulit, ſic loquitur*; Hæc Proſper in eos, qui cùm obniti literis Cæleſtini Papæ minimè auderent, ex eis tamen haud approbatos eſſe omnes Auguſtini libros cavillabantur: *Et alibi de hac Cæleſtini epiſtola hæc habet iſte Cardinalis*; idem Cæleſtinus vehementer ipſum coluit Auguſtinum, & laudibus mirificè celebravit, vt ex ipſius Cæleſtini literis inferiùs dicturi ſumus, eiuſdemque ſcripta ſarta tecta voluit in Eccleſia eſſe defenſa, & cuſtodita: *Illud idem ex S. Proſpero obſervavit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap.* 11. & quoniam, *inquit*, Galli reſpondebant fuiſſe quidem à Pontifice commendatam S. Auguſtini doctrinam, ſed non approbatos in ſpecie libros illos duos de prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeverantiæ. Contrà S. Proſper in libro contra Collatorem, extremo demoſtrat, Pontificem non potuiſſe hos libros non approbare, cùm Augnſtini doctrinam probaverit, & hi libri à cæteris non diſſentiant; nam ſententia de prædeſtinatione gratuita, quæ in his libris accuratè defenditur, diſertis verbis habetur etiam in enchiridio, in epiſtola 105. ad Sixtum, & 106. ad Paulinum. *Tum poſt hæc verba idem Cardinalis ex hac Cæleſtini epiſtola colligit, ea pro certis & indubitatis habenda eſſe, quæ S. Auguſtinus velut certa, & indubitata adverſus gratiæ inimicos docuit, ac pro Catholica fide vendicavit: hæc ſunt illius verba obſervatione digniſſima.* Deinde Cæleſtinus in ea epiſtola cap. 2. ita laudat Auguſtinum, vt dicat eum ſemper habitum à Romana Eccleſia pro magiſtro optimo, & nunquam eum fuiſſe ſaltem rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum. At quomodò iſta dicere potuiſſet Cæleſtinus, ſi Auguſtinus falsò ſcripſiſſet fidem prædeſtinationis in Eccleſia Catholica ſemper fuiſſe, & contra eam neminem niſi errando diſputare potuiſſe? nam ſi Auguſtini de prædeſtinatione ſententia falſa eſſet, non poſſet idem Auguſtinus ab ingenti temeritate defendi; quippe qui non ſolùm tam acriter pro falſitate certaſſet, ſed etiam pro fide Catholica vendicare auſus eſſet.

Annal. ad an. 431. t. 5. pag. 604. an. 424. t. 5. pag. 484.

Quo-

Quomodò igitur Cæleſtinus eos qui pro hac ipſa re Auguſtinum temeritatis, & erroris damnabant, ita reprehendit, vt dicat nefas eſſe talia audire, & Auguſtinum pro magiſtro optimo ſemper habitum, nec vnquam fuiſſe rumore ſiniſtræ ſuſpicionis aſperſum, niſi hanc ipſam de prædeſtinatione doctrinam ſecundum Auguſtini ſententiam veram eſſe credidiſſet. *Poſt hanc Cæleſtini epiſtolam ſequitur Epiſcoporum Africanorum in Sardinia pro fide exulantium Epiſtola Synodica de gratiâ Dei, & humano arbitrio. Hæc epiſtola paulò ante Concilium Arauſicanum ſecundum ad quoſdam conſulentes reſcripta eſt ab ijſdem Epiſcopis in exilio degentibus, quorum nomine eam dictavit S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, S. Auguſtini præcipuus defenſor, vt patet ex ijs, quæ eiuſdem Fulgentij vitæ auctor, & exilij comes apud Surium de eo ſcribit.* Iſte, *inquit*, meruerat vt literas ex illo Concilio dirigendas ſolus ipſe dictaret: ſexaginta quippe, & eo amplius Epiſcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua, & ingenium Beatus Fulgentius Epiſcopus fuit. Propterea quandocumque reſcribebat conſulentibus, Epiſcoporum cæterorum dicebantur nomina in titulo, ſed ſolius Beati Fulgentij ſermo tenebatur in ſtylo. *Circa quod notat Cardinalis Baronius ibi deſcribi ſolum numerum Epiſcoporum exulum Byzacenæ Provinciæ eodem in loco conſiſtentium*; numerant, *inquit*, alij Africanos Epiſcopos exules in Sardiniam deportatos ducentos viginti, alij ducentos viginti quinque: *Quos ſuâ erga S. Auguſtinum pietas impulit, vt* ſecum vna, *inquit idem Baronius*, ſacrum ferrent theſaurum, nempe venerandum corpus magni illius totius Eccleſiæ Catholicæ Magiſtri Aurelij Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi: *Sicut & eius ingenium ac doctrinam animis ſuis perfectè recolebant ac retinebant, vt patet ex eorum epiſtola in qua ad Chriſtianæ gratiæ intelligentiam S. Auguſtini libros legendi ſtudium in primis ingerendum eſſe docent. Denique habes, Lector, Concilium Arauſicanum ſecundum, quo damnati ſunt Maſſilienſium ſeu Semipelagianorum errores: & Bonifacij II. de eiuſdem Concilij confirmatione epiſtolam. De hoc Concilio hæc habet Cardinalis Baronius.* Cum ſæpe (quod antea dictum eſt) Pelagianis licet damnatis erroribus, Pelagianoque nomine prorſus infami reddito, quidam Gallicani Presbyteri, etſi Pelagium damnare viderentur, ex obliquo tamen eidem faverent, impugnantes S. Auguſtini aliqua ſcripta adverſus Pelagianos edita: contra hos (vt vidimus) fuit S. Proſpero & Hilario laborandum

Epiſtola Synodica Epiſcoporũ Africanorum.

Apud Surium 3. Ianu. de S. Fulgentio.

Annal an. 501. t. 6. pag. 544.

Concilium Arauſicanum ſecundum & epiſtola Bonifacij II. de eius cõfirmatione

Annal an. 493. t. 6. pag. 259.

dum ſub Cæleſtino Romano Pontifice ; cuius authoritate obſtruſa ſunt ora (vt ait Pſalmus) loquentium mendacium , & loquentium adverſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia , & abuſione. Poſtea verò cùm , & nova arte eadem doctrina prava iterum ſerperet , eſſetque qui adverſus Pelagium ſcribens , nihilominus contra Auguſtini ſententias eumdem ſtrueret apparatum armorum : his continuo , fuit Sanctis Patribus occurrendum. Qui talia moliebatur inter alios Fauſtus extitit Regienſis Epiſcopus , de quo alias pluribus , huic ex adverſo inſurrexit pro Catholica veritate Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus , qui & adverſus eum poſteà edidit commentarios. Huiuſmodi ergò occaſione ſacer Conventus Habitus eſt : vbi in ſynodo Congregatis Epiſcopis, quæ eſſent ſinceræ fidei , certæ veræque ſententiæ ex fonte deductæ puriſsimo , placuit promulgari : nempe quæ à Romano Pontifice olim ad Galliarum Epiſcopos Miſſa decreta fidei eſſent , nota omnibus fieri. *Binius eadem ferme de eodem Concilio ſic ſcribit in notis ad illud* , Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus non tantum libellum de gratia , & libero arbitrio authoritate Felicis IV. approbatum contra eum conſcripſit , verum etiam hoc Epiſcoporum Concilium indixit, vt in eo communi omnium Patrum conſenſu definiretur, quid circa hanc orthodoxæ fidei doctrinam credendum atque tenendum eſſe videretur. S. Auguſtini ſcripta contra Pelagium edita nemo iam in Gallia apertè impugnare audebat. Pelagio iam prope infami , nemo contra infamiam adhæreſcere conabatur ; ſed per fraudes , & inſidias latenter id cum Fauſto Regienſi Epiſcopo quidam Gallicani Presbyteri moliebantur. Hoc itaque Epiſcoporum Conventu pro fide Catholica , ſcriptiſque Auguſtini aſſerendis , & defendendis de gratia , & libero arbitrio viginti quinque Canones conſtituti ſunt , qui omnes fere ad vnum ſunt ſententiæ , & verba S. Auguſtini , ex ipſius ſcriptis diverſis deſumpta , vt infra in notis ſingulorum canonum oſtendemus. *De huius Concilij Canonibus idem ſentit Cardinalis Bellarminus , lib. 2. de gratia , & libero arbitrio , cap.* 11. Poſt illa Cæleſtini tempora , *inquit* , cùm nondum factio illa Gallorum conquieſceret S. Leo Pontifex (*ſeu potius Felix IV. vt agnovit Cardinalis Baronius in annotationibus ad tomum* 10.) miſit ad Concilium Arauſicanum certa capitula de gratia , & libero arbitrio ex libris S. Auguſtini verbatim decerpta , quæ voluit ab Epiſcopis illis recipi , & ſubſcribi , vt etiam factum

Pag. 562.

factum eſt. Porro in illis capitulis continentur omnia fundamenta ſententiæ de prædeſtinatione gratuita, vt non poſsit vllus prædeſtinationem negare, niſi velit illis capitulis contraire.

Ex his teſtimonijs circa opera hoc tomo collecta ſatis liquet quantæ ſint in Eccleſia authoritatis S. Auguſtini de gratia opera; ſeu contenta in his doctrina, quam Apoſtolica Sedes, & vniverſa Eccleſia ſemper probarunt ac receeperunt. S. Proſper in Epiſtola ad Ruffinum expreſsè teſtatur Sancti Auguſtini doctrinam à Romana, & Univerſa Catholica Eccleſia eſſe receptam, *vt Cardinalis Baronius refert: Hæc ſunt verba Sancti Proſperi.* Cur nec ſaltem aliquibus ſcriptis eum à quo talis emanat doctrina conveniant? Magna enim gloria ſua humano generi conſuluerint, ſi Auguſtinum ab errore revocaverint, niſi forte modeſti homines novique cenſores magnorum prius meritorum ſeni honorabiliter ac miſericorditer parcunt, & ſecuri quia libros eius nemo vſque recipiat conquieſcunt, atque ignoverint; imò noverint non ſolùm Romanam Africanamque Eccleſiam, & per omnes mundi partes vniverſos promiſsionis filios cum doctrina huius viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſsione congruere. *Prudentius Epiſcopus Tricaſsinus eamdem Auguſtini doctrinam ab vniverſa Eccleſia approbatam, à totius orbis Epiſcopis admiſſam, à Summis Pontificibus, Sanctis Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino ſuſceptam eſſe confirmat in Epiſtola ad Hincmarum, & Pardulum Epiſcopos.* Hoc primum præcipuèque, *inquit*, veſtram ſinceritatem monens, & poſtulans, vt doctrinam Beatiſsimi Patris Auguſtini omnium abſque vlla dubietate vndequaque doctiſsimi, Sanctarum Scripturarum authoritati in omnibus concordiſsimam (quippe nullus Doctorum abſtruſa earum ſcrupuloſius rimatus, diligentius exquiſierit, verius invenerit, veraciùs protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robuſtius defenderit, fuſius diſſeminaverit) veſtri Pontificatus tempore commento quolibet impugnari non permittatis; quando tanto Cæleſtis gratiæ munere donata exiſtit, vt nullo cuiuſquam conamine vllatenus evelli poſsit, cùm eam, & Apoſtolicæ Sedis ſublimitas, & totius Eccleſiæ Catholicæ vnitas authoritate concordiſsima approbarint ac roborarint; adeò vt nullus ei ſingulariter, verùm vniverſitati Eccleſiæ Catholicæ cum ea, & in ea queat anniti; Si enim adverſam fidei orthodoxæ

An. 426. tit. 5. pag. 449.

in quoquam conſpiceret, nequaquam eam Romanæ Eccleſiæ Antiſtes venerabilis Innocentius, cum totius orbis Epiſcopis ſuſcepiſſet: neque prædictum patrem memorabilem ſuarum Epiſtolarum communiter privatimque officijs affeciſſet. Neque ſucceſſor eius Zoſimus eodem tramite concurriſſet. Neque Bonifacius eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Præſul, Epiſtolas Pelagianorum ſibi delatas ei ad reſpondendum miſiſſet, aut reſponſionem eius quatuor libris editam probabiliter atque honorabiliter ſuſcepiſſet. Cæleſtinus quoque memorate Urbis Epiſcopus quid contra Gallorum inſaniam ſuper eo eiuſque doctrina ſenſerit, ex authoritate Apoſtolica, decretorum ſuorum ſcita declarant. *Illud idem de S. Auguſtini doctrinæ authoritate Cardinalis Baronius rectiſſimè agnovit his verbis*: Cæterum ijdem Hilarius atque Proſper ſequenti anno Romam ſe contulerunt, atque apud Cæleſtinum conqueſti ſunt, quod quæ à S. Auguſtino ſcripta eſſent, eadem à Romanis Pontificibus, Innocentio, Zoſimo, atque Bonifacio confirmata, & Concilijs ſtabilita, à quibuſdam Gallicanis Presbyteris iterum revocarentur in controverſiam. *Et ab ijs Summis Pontificibus, cæteriſque deinceps probata* S. *Auguſtini doctrina ſic ſemper poſteà in Romana Sede recepta ac retenta eſt, vt de ea dixerit Ioannes ſecundus*: S. Auguſtini doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.

Annal. an. 430. tom. 5. p. 555.

Epiſtola 35 ad quæſdam ſenatores.

Itaque cùm videret S. *Proſper omnes Summos Pontifices in* S. *Auguſtini doctrinæ approbatione ac defenſione adeò vnanimes, & conſtantes, recte ac merito Ruffinum hortatur, vt ſancti illius Doctoris operibus curam impendat, ſi verè de gratiæ quæſtionibus inſtrui deſiderat.* Tu autem, *inquit*, dilectiſsime, & venerandiſsime mihi frater, ſi vere de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te convenit, ipſis Beati Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam, vt in confitenda Dei gratia deſœcatiſsimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris. *Demum Sanctus Fulgentius eiuſdem ſancti librorum lectionem commendat, vt in illis non ſolùm adverſus gratiæ inimicos, ſi quando victi rurſus nitantur caput erigere, certandi, & eos vincendi ordo agnoſcatur; verùm etiam vt Chriſtiana pietas addiſcatur ac inſtilletur: ſed eorum lectioni orationem cum humilitate docet eſſe adiungendam.* Memoratus, *inquit*, Dei Pontifex (*ſcilicet* S. *Auguſtinus*) turrim fortitudinis ipſam gratiam tenens,

De veritate prædeſtinationis, l. 2. cap. 18.

& exinde cuncta hostilium machinamenta telorum Cælestis iuvaminis virtute confringens, non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas residuo ausit infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrij, & officia discrevit, & merita, semper divinis humana subijciens, & veraciter docens, divinitus homini, & gratuito iustificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordiæ Dominum, vt eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit vt scriberet, & eamdem illuminationis gratiam adipiscatur vt discat, quàm ille adeptus est vt doceret. *Vale, Christiane Lector*, * Gratia Dei, & pax Domini nostri Iesu-Christi custodiat te in omni tempore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

* *Hisverbis S. Prosper concludit Tractatum suum.*

JHS.

LIBER DE GRATIA CHRISTI,

AD ALBINUM, PINIANUM, ET MELANIAM scriptos.

EX LIBRO SECUNDO RETRACTATIONUM Cap. 50.

POsteaquàm Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est: scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, *alterum* de Peccato Originali. *Hoc opus sic incipit*: Quantum de vestra corporali, & maximè spirituali salute gaudeamus.

D. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER DE GRATIA CHRISTI,

Contra Pelagium, & Celeſtium.

Scripti an. Chriſti 418.

DE GRATIA CHRISTI.

PElagium gratiæ confeſsione fucum facere oſtendit: quippe qui gratiam vel in natura, & libero arbitrio ponat, vel in lege atque doctrina: qui præterea divina gratia ſolam voluntatis, & actionis poſsibilitatem, vt vocat, non ipſam volun-

luntatem, & actionem adjuvari dicat; & illam insuper adjuvantem gratiam à Deo secundùm merita hominum dari, atque ad id solùm juvare eos putet, vt præcepta faciliùs possint implere. Expendit Augustinus loca opusculorum ipsius, quibus ille Dei gratiam dissertè à se commendatam jactabat; & hæc de lege ac doctrina, seu de divina revelatione ac de Christi exemplo, quæ ad doctrinam æquè revocantur, aut de peccatorum remissione interpretari posse demonstrat; nec apparere omnino, an verè Christianam gratiam, id est, adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimę charitatis *agnoscat Pelagius: qui postremò Ambrosium, tantopere ab ipso laudatum, præclara quædam in commendationem divinæ gratiæ dicentem audire jubetur.*



CA-

CAPUT I.

QUantum de veſtra corporali, & maximè ſpirituali ſalute gaudeamus, ſinceriſſimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania, quia effari non poſſumus, vobis cogitandum credendumque committimus, vt ea de quibus nos conſuluiſtis, potiùs iam loquamur. Feſtinante enim perlatore inter occupationes noſtras, multò apud Carthaginem quàm vbicumque alibi denſiores, quantum Deus donare dignatus eſt, vt potuimus, iſta dictavimus.

CAPUT II.

Profeſſio Pelagij ſuſpecta de gratia ad ſingulos actus neceſſaria.

SCripſiſtis mihi cum Pelagio vos egiſſe, vt quæcumque adverſus eum dicerentur ſcripto damnaret, eumque dixiſſe audientibus vobis, *Anathema qui vel ſentit vel dicit, gratiam Dei qua* * *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolùm per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros non eſſe neceſſariam: Et qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiuntur æternas.* Quiſquis hæc audit, & ſenſum eius ignorat, quem in libris ſuis ſatis evidenter expreſsit, non illis quos dicit inemendatos ſibi fuiſſe ſurreptos, aut omnino ſuos negat, ſed in illis, quos literis ſuis quas Romam miſit commemorat, omnino eum putat hoc ſentire quod veritas habet. Quiſquis autem quid in eis apertiùs dicat advertit, debet habere etiam iſta verba ſuſpecta. Quia etſi gratiam Dei, quà *Chriſtus venit in mundum peccatores ſalvos facere*, in ſola remiſsione peccatorum conſtituat, poteſt huic ſenſui iſta verba coaptare, dicens: Ideo eam, *per ſingulas horas, per ſingula momenta, & per actus ſingulos neceſſariam*, vt ſemper in memoria retinentes, & reminiſcentes dimiſſa nobis eſſe peccata, non peccemus vlteriùs, adiuti non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propriæ voluntatis, quid ſibi remiſsione peccatorum præſtitum fuerit *per actus ſingulos* recordantes. Item quoniam ſolent dicere nobis, in eo Chriſtum ad non pec-

* 1. Tim. 1. 15.

1. Tim. 1. 15.

candum præbuisse adiutorium, quia iustè ipse vivendo iustèque docendo reliquit exemplum; possunt etiam ad hoc ista verba coaptare, vt dicant, *per singula momenta, per singulos actus necessariam* nobis esse huiusmodi gratiam; id est, vt in omni conversatione nostra intueamur Dominicæ conversationis exemplum. Pervidet autem fides vestra, à confessione gratiæ, de quà quæstio est, quàm sit distinguenda ista confessio, & tamen obtegi potest istorum ambiguitate verborum.

CAPUT III.

SED quid mirum? Quandoquidem ipse Pelagius cùm Episcopalibus gestis sine vlla recusatione damnaverit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: vbi putabamus eius de hac re omnes tergiversationes esse consumptas: damnaverit etiam eos, qui docent gratiam Dei secundum merita nostra dari; tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in Epistola quàm Romam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuvamur ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: vt videlicet, cùm adiuvat Deus hominem, vt *declinet à malo, & faciat bonum*, revelando, & ostendendo quid fieri debeat, adiuvare credatur; non etiam cooperando, & dilectionem inspirando, vt id quod faciendum esse cognoverit, faciat. Nam cùm tria constituat atque distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo esse iustus: voluntatem, quà vult esse iustus: actionem, quà iustus est: horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est, voluntatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, vt non nisi à nobis esse contendat. Denique gratia Dei, non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem, & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem

Cap 14. de gestis Palestinis, seu de gestis Pelagij.

Gratia Pelagiana.

Psal. 33. 15.

tatem perhibet adiuvari : tanquam illa quæ noſtra ſunt, hoc eſt voluntas & actio, tam ſint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, vt divino adiutorio non indigeant; illud verò quod nobis ex Deo eſt, hoc eſt poſsibilitas, tam ſit invalidum, vt ſemper gratiæ adiuvemur auxilio.

CAPUT IV.

SED ne quis forſitan dicat nos vel non rectè intelligere quæ loquitur, vel malevolo animo in alium ſenſum quæ non ita dicta ſunt vertere, ipſa iam eius verba accipite: *Nos*, inquit, *ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur: Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, id eſt, poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit: duo verò reliqua, hoc eſt velle & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrij fonte deſcendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, imò & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis, & operis poſsibilitatem dedit, quique ipſam poſsibilitatem gratiæ ſuæ adiuvat ſemper auxilio: Quòd verò homo poteſt velle bonum atque perficere, ſolius Dei eſt. Poteſt itaque illud vnum eſſe, etiam ſi duo iſta non fuerint, iſta verò ſine illo eſſe non poſſunt. Itaque liberum mihi eſt, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo poſſum non habere poſsibilitatem boni, in eſt mihi etiam ſi noluero, nec ocium ſui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis ſenſum exempla aliqua faciant clariorem. Quòd poſſumus videre oculis, noſtrum non eſt, quòd verò bene aut malè videmus, hoc noſtrum eſt. Et vt generalitèr vniverſa complectar, quòd poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adiuvat. Quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt, quia hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus. Unde quod propter calumniam veſtram ſæpe repetendum eſt, cùm dicimus hominem poſſe eſſe ſine peccato, & confeſsione poſsibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc poſſe largitus eſt, nec eſt ibi vlla laudandi hominis occaſio, vbi ſolius Dei cauſa tractatur: Non enim de velle, nec de eſſe, ſed tantummodò de eo quod poteſt eſſe, diſſeritur.*

Verba Pelagij ex lib. 3. pro libero arbitrio

CAPUT V.

ECce est totum dogma Pelagij in libro eius tertiò pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum: quo tria ista, vnum quod est *posse*, alterũ quod est *velle*, tertiũ quod est *esse*: id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, vt quandocumque legimus, vel audimus divinæ gratiæ adiutorium confiteri, *vt à malo declinemus bonumque faciamus*, sive in lege atque doctrina, sive vbilibet constituat, sciamus quod loquitur: nec erremus, aliter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adiuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquàm hoc sit infirmum quòd ipse Deus posuit in natura, cætera verò duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio: & ideò non adiuvet vt velimus, non adiuvet vt agamus, sed tantummodò adiuvet vt velle, & agere valeamus. Contra autem Apostolus, *Cum timore*, inquit, *& tremore vestram ipsorum operamini salutem*. Et vt scirent, quià non tantum in eo quod operari possint, hoc enim, & in natura, & in doctrina iam acceperant: sed etiam in eo quod operantur, diviniτùs adiuventur: non ait, *Deus est enim qui operatur in vobis* posse; tanquam ipsi iam *velle*, *& operari* per seipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant: sed ait, *Deus enim est qui operatur in vobis, & velle, & perficere*: vel sicut in alijs & maximè Græcis codicibus legitur, *& velle, & operari*. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros adversarios Sancto Spiritu tantò ante prævidit, & hæc duo, id est, *& velle, & operari*, quæ iste ita nostra esse voluit, tanquàm ipsa divinæ gratiæ non adiuventur auxilio, Deum in nobis dicit operari.

Gratia Pelagiana.

Philip. 2. 12.

Ibid. 13.

CAPUT VI.

Laudem Deo fallaciter tribuit Pelagium de bono opere.

NEque Pelagius hinc incautos fallat, & simplices, vel etiam seipsum, quoniam cum dixisset, *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est*: velut correxit atque addi-

addidit, *imo & hominis, & Dei.* Non enim hoc propterea dixit, quia secundum sanam doctrinam intelligi voluit, quod & velle & operari Deus operetur in nobis: sed cur hoc dixerit, satis evidenter ostendit continuo subiungendo: *Qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit.* Hanc autem possibilitatem in natura eum ponere, de verbis eius superioribus clarum est. Sed ne nihil de gratia dixisse videretur, adiunxit. *Quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adiuvat semper auxilio*, non ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationem: quod si diceret, non abhorrere à doctrina Apostolica videretur. Sed ait, *ipsam possibilitatem*, illud videlicet ex tribus quod in natura locavit, *gratiæ suæ adiuvat semper auxilio*: vt scilicet in voluntate, & actione non ideo laus sit, & Dei, & hominis, quia sic vult homo, vt tamen eius voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret, & sic operatur homo, vt tamen Deus cooperetur, * sine cuius adiutorio quid est homo? Sed ideò ad hanc laudem adiunxit, & Deum, quia nisi natura esset, in quà nos condidit, qua velle & agere possemus, nec vellemus, nec ageremus. Hanc autem naturalem possibilitatem, quod adiuvari Dei gratia confitetur, non est hic apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adiuvari: sed sicut alijs locis in quibus evidentius loquitur intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem atque doctrinam, quâ naturalis possibilitas adiuvetur.

* *Alitèr quia sine eius.* *Adiutorium gratiæ Pelagio.*

CAPUT VII.

Pelagius. NAm quodam loco ait; *Hic nos imperitissimi hominum putant iniuriam divinæ gratiæ facere, quia decimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem: quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam.* Et tanquam explicaturus quam dicat gratiam, sequutus adiunxit, dicens: *Quam nos non, vt tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adiutorio confitemur.* Quis non hic desideret, vt ostendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo expectare debemus, vt dicat hoc quod dicit,

non

non in lege tantummodò se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini: *Adiuvat enim nos*, inquit, *Deus per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Deinde sententiam suam quadam velut absolutione concludens: *Qui hæc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adiuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens quod proposuerat, cùm diceret: *Sed in Dei esse adiutorio confitemur.* Denique Dei adiutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc vtique vt divina præcepta, & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.

Adiutorium gratiæ Pelagio.

CAPUT VIII.

HInc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, quà demonstrat, & revelat Deus quid agere debeamus, non quà donat atque adiuvat vt agamus, cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, vt fiat mandati prævaricatio. *Ubi enim non est lex*, ait Apostolus, *nec prævaricatio. Et concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces.* Ac per hoc vsque adeò aliud est lex, aliud est gratia, vt lex non solùm nihil prosit, verùm etiam plurimum obsit, nisi adiuvet gratia: & hæc ostendatur legis vtilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & vt concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis quàm iuvat, docet morbum esse, non sanat, imò ab eo potius quod non sanatur augetur, vt attentius, & sollicitius gratiæ medicina quæratur. *Quia litera occidit, spiritus autem vivificat. Si enim data esset lex quæ posset iustificare, omnino ex lege esset iustitia.* In quantum tamen lex adiuvet, adiungit, & dicit. *Sed conclusit scriptura omnia sub*

Aliud lex, aliud gratia.

Lex sine gratia quid præstet.

Rom 4. 15
Rom. 7. 7.
Exod. 20. 17.
2. Cor. 3. 6
Gal. 3. 21.
Ibid. 22.

Superbis vtile sub peccato arctius manifestiusque concludit, ne ad faciendam iustitiã de liberi arbitrij quasi proprijs viribus præsumatur.

sub peccato, vt promissio ex fide Iesu-Christi daretur credentibus. Itaque lex, inquit, *pædagogus noster fuit in Christo Iesu*. Hoc ipsum ergo superbis est vtile, sub peccato arctius manifestiusque concludi, ne ad faciendam iustitiam de liberi arbitrij quasi proprijs viribus præsumatur, sed *omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legem, & Prophetas.* Quomodo ergo *sine lege manifestata*, si *per legem testificata*? Non ita *sine lege manifestata*, sed *sine lege iustitia*, quia *iustitia Dei* est, id est, quæ nobis non ex lege sit, sed ex Deo: non quæ illo imperante cognoscendo timeatur, sed quæ illo donante diligendo teneatur, vt & *qui gloriatur in Domino glorietur.*

Ibid. 24.

Rom. 3. 19. 21. & 22.

Iustitia Dei.

2. *Cor.* 10. 17.

CAPUT IX.

Quomodo lex adiuvet.

QUid ergo est, quod iste legem atque doctrinam deputat gratiam, quà iuvamur ad operandam iustitiam, quæ vt multum adiuvet, ad hoc adiuva vt gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legem. *Plenitudo* enim *legis* charitas: *Charitas* autem *Dei* non per legem *diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Proinde per legem gratia demonstratur, vt lex per gratiam compleatur. Quid enim iuvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, quà possibilitatem naturæ asserit adiuvari? Quantum autem existimo, ideò veretur intelligi, quia damnavit eos, qui dicunt gratiam Dei, & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina, & tamen latere se putat, cùm alijs atque alijs locutionibus versat significationem legis atque doctrinæ.

Rom. 13. 10.

Rom. 5. 5.

Cap. 14. *de gestis Pelagij.*

CAPUT X.

Gratia proprie iustificans quæ Pelagium.

ET alio quippe loco, cùm diu asservisset, non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli epistola quæstionem, atque

Phil.2.13 atque ait: *Et quomodo*, inquit, ſtabit illud Apoſtoli, *Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & perficere*? Deinde vt hanc oppoſitionem veluti ſolveret, quàm videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, ſequutos adiunxit: *Operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt.* Quid manifeſtius, nihil aliud eum dicere gratiam quà Deus in nobis operatur velle quod bonum eſt, quàm legem atque doctrinam? In lege namque, & doctrina ſanctarum ſcripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod ſapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cùm ſuadetur omne quod bonum eſt. Et ſi inter docere, & ſuadere, vel potiùs exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuſque ſermonibus vel literis continetur. Nam, & ſanctæ ſcripturæ, & docent, & exhortantur, & poteſt eſſe in docendo, & exhortando etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quà futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verum, & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verum, & perſuadetur. *Non enim omnium eſt fides*, qui audiunt per ſcripturas Dominum regnum cœlorum pollicentem: aut omnibus perſuadetur quibuſcunque ſuadetur, vt veniant ad eum, qui dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur, vt ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtravit, vbi ait: *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Et paulo poſt cum de non credentibus loqueretur: *Dixi*, inquit, *vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.

Pelagium.

Gratia Pelagiana.

In lege, & doctrina cõſtituitur.

Gratia Chriſtiana.

2. Theſſ. 3. 2.

Matth. 11. 28.

Ioan. 44.

Ibid. 66.

CAPUT XI.

Sapientia perfecta.

QUid autem dicam de reuelatione ſapientiæ ? Neque enim facilè quiſquam ſperauerit in hac vita poſſe venire ad magnitudinem reuelationum Apoſtoli Pauli. Et vtique in eis quid aliud credendum eſt ei reuelari ſolere, niſi quod ad ſapientiam pertineret? Et tamen dicit, *in magnitudine reuelationum mearum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ qui me colaphicet : Propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me : Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Proculdubio ſi iam ſumma, & cui nihil eſſet addendum, charitas in Apoſtolo tunc fuiſſet, quæ omnino non poſſet inflari, nunquid neceſſarius eſſet angelus ſatanæ, quo colophizante reprimeretur elatio, quæ in magnitudine reuelationum poſſet exiſtere? Quid eſt autem aliud elatio quàm inflatio? Et vtique de charitate veriſsimè dictum eſt : *Charitas non æmulatur, non inflatur.* Hæc itaque charitas adhuc etiam in tanto Apoſtolo de die in diem profecto augebatur, quandiu *homo* eius *interior de die in diem renouabatur*, perficienda ſine dubio vbi iam non poſſet inflari. Tunc autem mens eius adhuc erat vbi inflaretur magnitudine reuelationis, donec impleretur ſolido ædificio charitatis. Nondum enim perueniendo apprehenderat, quò proficiendo curreb.at.

2 Cor. 12. 7 8. & 9.

1. Cor. 13. 4.

2. Cor. 4. 16.

CAPUT XII.

Stimulus ſatanæ.

IDeoque nolenti perpeti moleſtiam quà eius cohiberetur elatio, antequam eſſet in eo charitatis vltima, & ſumma perfectio, rectiſsimè dicitur : *Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur : in infirmitate*, ſcilicet, non vt ille putat *carnis tantum*, ſed & carnis, & animi, quia & animus erat in comparatione ſummæ illius perfectionis infirmus, quando periculum erat ne extolleretur. Proinde *ſtimulus carnis angelus Satanæ* intelligebatur *datus* quamuis eſſet in carnalium vel *animalium*, *nondum percipientium quæ ſunt ſpiritus Dei*, comparatione firmiſſimus. Quocirca ſi *virtus in infirmitate perficitur*, quiſquis

2. Cor. 12. 9.

1. Cor. 2. 14. Rom. 8. 28

ſe non fatetur infirmum, non perficitur. Hæc autem gratia, quà *virtus in infirmitate perficitur*, prædeſtinatos, & ſecundum propoſitum vocatos ad ſummam perfectionem glorificationemque perducit. Quà gratia agitur, non ſolùm vt facienda nouerimus, verumetiam, vt cognita faciamus, nec ſolùm vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus.

CAPUT XIII.

Quomodo doctrina poſſit dici gratia.

HÆc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, non ſolum per eos qui plantant, & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe ipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita vt non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. 1.Cor 3.7.

Electos quo modo Deus doceat.

Sic enim docet Deus eos *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Unde ad Theſſalonicenſes ſic Apoſtolus loquitur: *De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis ſcribi: Nam ipſi vos à Deo didiciſtis vt diligatis inuicem.* Atque vt probaret eos à Deo didiciſſe, ſubiunxit: *Etenim facitis illud in omnes fratres, in vniuerſa Macedonia*: Tanquam hoc ſit certiſsimum indicium, quod à Deo didiceritis, ſi id quod didiceritis, feceritis. Iſto modo ſunt omnes *ſecundum propoſitum vocati*, ſicut *ſcriptum eſt in prophetis, Docibiles Dei.* Qui autem nouit quid eſt quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem: non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum literam. Quamuis multi, quod imperat lex facere videantur timoræ pœnæ, non amore iuſtitiæ, quam dicit Apoſtolus *iuſtitiam ſuam quæ ex lege eſt*, tanquam ſit imperata, non data: Si autem data eſt, non dicitur iuſtitia noſtra, ſed Dei, quia ſic ſit noſtra, vt ſit nobis ex Deo: Dicit enim: *Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide eſt Ieſu, iuſtitiam ex Deo.* Tantum igitur inter legem diſtat, & gratiam, vt cùm lex eſſe non dubitetur ex Deo, iuſtitia tamen quæ ex lege eſt non ſit ex Deo, ſed iuſtitia quæ per gratiam conſummatur ex Deo. Quia *ex lege iuſtitia* dicitur, quæ ſit propter legis mandatum; *iuſtitia ex Deo* dicitur, quæ datur per gra- Rom 8.28. 1.Theſ.4.9. Ibid.10. Eſa. 54.13. Ioan.6.45. Phil.3.9.

Diſcere à Deo ſecundum gratiam, vel ſecundum legem.

gratiæ beneficium, vt non sit terribile, sed suaue mandatum, sicut oratur in Psalmo: *Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam*; id est, vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed liber à charitate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit. Et hoc modo quisquis discit, agit omnino quicquid agendum didicerit.

Psal. 118. 68.

CAPUT XIV.

Ioan. 6. 45

DE isto docendi modo, etiam Dominus ait: *Omnis qui audiuit à patre meo, & didicit, venit ad me.* Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut veritas loquitur: *Omnis qui didicit venit*; quisquis non venit, profecto nec didicit. Quis autem non videat, & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adiutum esse si venit. Et sic adiutum vt non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scieri etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis literam, sed per spiritus gratiam; ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi, & operandi naturalis possibilitas adiuuatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus: *Omnis qui audiuit à patre, & didicit*, potest venire ad me. Non autem ita dixit; sed *omnis* inquit, *qui audiuit à patre, & didicit venit ad me.* Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam vt modo dicere cœpit in gratia, qualemlibet eam sentiat, quà ipsa, vt dicit, possibilitas adiuuatur: venire autem iam in voluntate, & opere est. Non est autem consequens vt qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed *omnis qui didicit à patre*, non solum potest venire, sed venit: vbi iam, & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.

Deus quomodo doceat per gratiam.

Voluntatis, & actionis adiutorium.

Ioan. 6. 45

CAPUT XV.

QUid ergo sibi volunt exempla, nisi quia reuerà nobis eius sensum fecerunt sicut pollicitus est clariorem, non vt ea sentire debeamus, sed vt id quod ipse sensit manifestius apertiusque noscamus? *Quod possumus*, inquit, *videre oculis, nostrum non est: quod verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est.* Respondeat illi Psalmus, vbi Deo dicitur: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quod & si de oculis mentis dictum est, inde vtique procedit in hos oculos carnis, vel bene videre, vel malè, non quemadmodum dicuntur bene videre sanis oculis intuentes, & malè, lippientes: sed bene videre ad subueniendum, malè videre ad concupiscendum. Quamuis enim per hos exteriores oculos videatur, & pauper cui subuenitur, & mulier quæ concupiscitur, tamen ex interioribus ad malè vel bene videndum misericordia vel libido procedit. Cur ergo dicitur Deo: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*? Cur petitur quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adiuuat voluntatem?

Pelagium.

Bene vel male videre.

Psal. 118. 37.

CAPUT XVI.

QUod *loqui possumus*, inquit, *Dei est, quod vero bene vel malè loquimur, nostrum est*: Non hoc docet ille, qui loquitur bene: *Non enim vos estis*, inquit, *qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et vt generaliter*, inquit, *vniuersa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare illius est, qui hoc posse donauit, qui hos posse adiuuat.* Ecce etiam hic superiorem repetit sensum quod illorum trium, ideſt, possibilitatis, voluntatis, actionis, non nisi possibilitas adiuuatur. Denique adiungens vt impleat quod intendit: *Quod vero bene*, inquit, *vel agimus vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est.* Oblitus est quod superius quasi correxerat, vbi cùm dixisset: *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est*; adiunxit atque ait, *imo & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit.* Cur etiam in his exemplis hoc non recordatus est, vt saltem in eorum fine di-

Matth. 10 20.

Pelagium.

Pelagium.

Pelagium.

diceret, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, & nostrum est & illius? Non hoc dixit, sed, nisi fallor, videor mihi videre quid timuit.

CAPUT XVII.

CUm enim vellet ostendere quare nostrum sit, *Quia hæc*, inquit, *omnia vertere etiam in malum possumus*: Illud ergo timuit, vt non diceret, & nostrum est & Dei, ne sibi responderetur, si quod bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo est, & nostrum, & Dei, quia ille hoc posse nobis donauit: ergo & quòd malum agimus, loquimur, cogitamus, & nostrum est & Dei, quia illud posse ad vtrumque donauit, atque ita quod abiit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis. Posibilitas quippe illa, quam dedit, tam nos facit bona posse quàm mala.

Aperit metus Pelagij causam.

CAPUT XVIII.

DE quà posibilitate Pelagius in libro primo pro libero arbitrio, ita loquitur: *Habemus autem*, inquit, *posibilitatem vtriusque partis à Deo insitam, velut quandam, vt ita dicam, radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diuersa gignat & pariat, & quæ posit ad proprij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Ubi non intuens quid loquatur, vnam eamdemque radicem constituit bonorum & malorum, contra Evangelicam veritatem, doctrinamque Apostolicam, Nam & Dominus *nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos.* Et Apostolus Paulus cùm dicit *radicem malorum omnium esse cupiditatem*, admonet vtique intelligi radicem bonorum omnium charitatem. Unde si duæ arbores bona & mala, duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta

Pelagium.

Radice boni & mali.

Matth. 7. 18.

1. Tim. 6. 10.

1. Cor. 3. 7

Homo bonus, & malus quis dicatur.

Fructus arborum, & radicis.

cta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala.

CAPUT XIX.

Arborem bonam, vel malam quo sensu faciat homo.

FAcit autem homo arborem bonam quando Dei accipit gratiam: Non enim se ex malo bonum per se ipsum facit, sed ex illo & per illum, & in illo qui semper est bonus: nec tantum vt arbor sit bona, *sed etiam vt faciat fructus bonos*, eadem gratia necessarium est vt adiuuetur, sine quà boni aliquid facere non *potest*. Ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecùs rigat atque excolit per quemlibet ministrum, & per se dat intrinsecùs incrementum. Malam verò arborem homo facit, quando seipsum malum facit, quando à bono incommutabili deficit, ab eo quippe defectus est origo voluntatis malæ. Qui defectus non aliam naturam malam initiat, sed eam quæ bona est condita vitiat. Sanato autem vitio, nullum malum remanet, quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium natura non erat.

1. Cor. 3. 7

Origo mala voluntatis vnde.

Sanato vitio nullum malum remanet.

CAPUT XX.

Radix bonorum charitas; malorum cupiditas.

ILla ergo possibilitas, non vt iste opinatur, vna eademque radix est bonorum, & malorum. Aliud enim est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium. Sed planè illa possibilitas vtriusque radicis est capax, quia non solum potest homo habere charitatem, quà sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, quà sit arbor mala. Sed cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet authorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim *concupiscentia carnis*, & *concupiscentia oculorum*, & *ambitio seculi*, *quæ non est ex patre*, *sed ex mundo est*. Quis autem nesciat mundi nomine solere appellare scripturam, à quibus habitatur hic mundus?

Cupiditas vitium, hominem habet authorem.

Mundus in scriptura quis intelligatur.

CA-

CAPUT XXI.

CHaritas autem quæ virtus eſt, ex Deo nobis eſt, non ex nobis, ſcriptura teſte, quæ dicit, *Charitas ex Deo*
1. Ioan. 4. 7 & 8. *eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognovit Deum, quia Deus charitas eſt.* Secundum iſtam charitatem,
1. Ioan. 3. 9. meliùs intelligitur dictum: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat: & quia non poteſt peccare,* quia *charitas* ſecundum quam *natus ex Deo eſt, non agit perperam, nec cogitat ma-*
2. Cor. 1. 3. 4. & 5. *lum.* Cùm ergo peccat homo, non ſecundum charitatem, ſed ſecundum cupiditatem peccat, ſecundum quam non eſt natus ex Deo, quoniam illa poſsibilitas, vt dictum eſt, vtriuſque radicis eſt capax. Cùm ergo dicat ſcriptu-
1. Ioan. 3. 8. ra, *Charitas ex Deo eſt*: vel quod eſt amplius, *Deus charitas eſt*: cum apertiſsimè clamet Ioannes Apoſtolus, *ecce qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur & ſimus*: Iſte audiens, *Deus charitas eſt*: quare adhuc vſque contendit, quod ex illis tribus tantummodo poſsibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quaſi verò aliud ſit bona voluntas quàm charitas, quàm ſcriptura nobis *eſſe* clamat *ex Deo, & à patre datam, vt filij eius eſſemus.*

Qui natus eſt ex Deo non poteſt peccare.

Charitas bona voluntas.

CAPUT XXII.

SED fortè vt daretur nobis, præcedentia merita noſtra fecerunt: ſicut iſte de gratia Dei ſentit in eo libro, quem ad ſacram Virginem ſcripſit, cuius etiam commemorationem fecit in literis, quas Romam miſit. Ibi enim
Iacob 4. 7. interpoſito Iacobi Apoſtoli teſtimonio, quo ait, *Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis*: ſubiungit, & dicit, *Oſtendit quomodo reſiſtere debeamus diabolo, ſi vtique ſubditi ſimus Deo, eiuſque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui auxilio Sancti Spiritus reſiſtamus.* Ecce quam veraci corde damnavit in Eccleſiaſtico iudicio Paleſtino eos, qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. An adhuc eum id ſentire, & apertiſsimè prædicare dubitamus? Quomodo ergo verax fuit in epiſcopali examine illa confeſsio

Pelag epiſtol ad Demetriad. c. 25.

Cap. 14 de geſtis Pelagij.

fessio ? An fortè iam istum scripserat librum ; vbi apertissimè dicit gratiam secundum merita nostra dari , quod in orientali synodo sine vlla recusatione damnavit ? Confiteretur ergo sic se aliquando tenuisse , sed iam non tenere , vt de correctione eius apertissimè gauderemus. Nunc verò cum illi inter cætera , & hoc fuisset obiectum , respondit , *Hæc vtrùm Cœlestij sint , ipsi viderint qui dicunt ea Cœlestij esse. Ego verò nunquam sic tenui , sed anathematizo qui sic tenent.* Quomodo nunquam sic tenuit , si hunc ante condiderat librum ? Aut quomodo anathematizat eos qui sic tenent , si hunc librum postea condidit ? Sed ne fortè respondeat ita se hic dixisse , *Dei faciendo voluntatem , diuinam mereamur gratiam* , sicut fidelibus , & piè viuentibus additur gratia , quà resistant fortiter tentatori, cùm tamen gratiam etiam primitùs accepissent , vt Dei facerent voluntatem. Ne fortè ergo ita respondeat , alia de hac re verba eius accipite , *Qui currit* , inquit , *ad Deum, & à Deo se regi cupit , id est , voluntatem suam ex eius voluntate suspendit , qui ei adhærendo iugiter vnus , secundum Apostolum , cum eo fit spiritus , non hoc nisi de arbitrij efficit libertate.* Videte quantam rem dixerit *non effici nisi arbitrij libertate* , ac per hoc sine adiutorio Dei nos Deo existimat adhærere : hoc est enim *non nisi de arbitrij libertate* , vt cùm adhæserimus , Deo non adiuuante , tunc iam quoniam adhæsimus , etiam adiuuari mereamur.

De gestis Pelagij c. 14.

Meremur gratiæ augmentum.

Pelagius.

1. Cor. 6. 17.

CAPUT XXIII.

Pelagius.

SEquitur enim , & dicit , *Qua qui bene vtitur , id est , arbitrij libertate qui bene vtitur , ita se* , inquit , *totum tradit Deo , omnemque suam mortificat voluntatem , vt cum Apostolo possit dicere , Viuo autem iam non ego , viuit autem in me Christus : ponitque cor suum in manu Dei , vt illud quò voluerit Deus , ipse declinet.* Magnum profectò adiutorium diuinæ gratiæ , vt- *cor nostrum quò voluerit Deus , ipse declinet.* Sed hoc tam magnum adiutorium (sicut iste desipit) tunc meremur cùm sine vllo adiutorio *non nisi de arbitrij libertate ad Dominum currimus , ab eo nos regi cupimus , voluntatem nostram ex eius voluntate suspendimus , eique adhærendo iugiter , vnus cum illo efficimur spiritus.* Hæc scilicet tam ingentia bona , *non nisi de arbitrij* secundum

Gratiæ adiutorij agnoscere arguitur Pelagius , sed ex meritis sine vllo adiutorio comparatis

Gal 2. 20. Prov. 21. 1.

dum istum efficimus *libertate*, vt his præcedentibus meritis sic eius gratiam consequamur, vt *cor nostrum quò voluerit ipse declinet.* Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apostolus, *Non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur*? Et iterum, *Si autem gratia*, inquit, *iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Quomodo, inquam, hoc verum est, si opera tanta præcedunt quæ nobis adipiscendæ gratiæ meritum faciant, quò nobis non donetur gratuitò, sed reddatur ex debito? Ergò ne vt perueniatur ad adiutorium Dei, *ad Deum curritur* sine adiutorio Dei? Et vt *Deo adhærentes* adiuuemur à Deo, à Deo non adiuti adhærebimus Deo? Quid homini maius, quidve tale poterit gratia ipsa præstare, si iam sine illa *vnus cum Domino spiritus* effici potuit, *non nisi de arbitrij libertate*?

Ephes. 2. 8

Rom. 11. 6.

CAPUT XXIV.

SED vellem vt iste diceret, vtrum rex ille Assyrius, cuius Ester sancta mulier execrabatur cubile, quando considebat in throno regni sui, & omni stola illustrationis suæ, indutus erat, totus auro variatus lapidibusque preciosis, & erat formidolosus valde, & eleuata facie sua inflammata in charitate intuitus est eam; tanquàm taurus impetu indignationis suæ; & timuit regina, & conuersus est color eius per dissolutionem, & inclinauit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam. Vellem ergo diceret iste nobis, vtrùm rex ille ad Deum iam cucurrerat, & ab eo se regi cupiuerat, suamque voluntatem ex eius voluntate suspenderat, & ei iugiter inhærendo vnus cum illo spiritus factus erat, non nisi de arbitrij libertate? vtrum se totum Deo tradiderat, omnemque suam mortificauerat voluntatem, & cor suum in manu Dei posuerat? Puto non desipere, sed insanire hominem, quisquis de illo rege qualis tunc erat hæc senserit, & tamen *conuertit Deus, & transtulit indignationem eius in lenitatem.* Quis autem non videat multò maius esse indignationem à contrario in lenitatem conuertere atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, sed in-

Ester. 15.

Ibid. vers. 11.

Non lege atque doctrina insonante foris secus, sed mirabili, & ineffabili potestate operatur.

ter vtramque medium in aliquid declinare? Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.

Deus in cordibus hominum bonas voluntates.

CAPUT XXV.

DEsinat itaque iam Pelagius, & seipsum, & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium vnum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem, & operationem bonam, erga nos gratia Dei prædicanda est. Nam illam possibilitatem ad vtrumque valere definit, & tamen non ideò tribuenda sunt Deo etiam nostra peccata, sicut & propter eandem possibilitatem vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantum adiutorium diuinæ gratiæ commendetur, quia possibilitatem adiuuat naturalem. Desinat dicere, *quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quòd verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est.* Desinat, inquam, ista dicere, Non solùm enim Deus posse nostrum donauit atque adiuuat, sed etiam *velle & operari operatur in nobis.* Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur *quòd possumus benè agere, Dei est, quòd autem agimus nostrum est,* cùm dicat Apostolus *orare se ad Deum* pro eis ad quos scribebat, *ne quid mali faciant, & vt quod bonum est faciant?* Non enim ait, *oramus* vt positis nihil mali facere, sed, *ne quid faciatis mali*: nec vt positis bonum facere; sed, *bonum faciatis.* Quoniam de quibus scriptum est, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei*: profectò vt agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Quomodo dicit Pelagius, *quòd benè loqui possumus Dei est, quod benè loquimur, nostrum est,* cùm dicat Dominus, *Spiritus patris vestri est qui loquitur in vobis?* Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui: sed ait, *non vos estis qui loquimini.* Nec ait, *Spiritus patris vestri est* qui vobis dat,

Gratia necessaria propter voluntatem, & operationem bonam.

Quomodo velle, & facere Deus in nobis operetur.

Philip. 2. 3

2. Cor. 13. 7.

Rom. 8. 14.

Matth. 10 20.

vel

vel dedit posse bene loqui: sed ait, *qui loquitur in vobis*: non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum. Quomodo dicit liberi arbitrij elatus assertor, *quòd possumus bene cogitare, Dei est: quod autem bene cogitamus nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Non enim ait posse cogitare, sed cogitare.

2. Cor. 3.

Pelagius liberi arbitrij elatus assertor.

CAPUT XXVI.

ISTam Dei gratiam in diuinis eloquijs manifestam etiam Pelagius manifestè fateatur, seque tamdiu contra sensisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat, vt sancta Ecclesia non turbetur peruicaci eius obstinatione, sed veraci correctione lætetur. Cogitationem, & dilectionem sicut sunt discernenda, discernat: *quia scientia inflat, charitas ædificat.* Et tunc scientia non inflat quando charitas ædificat. Et cùm sit vtrumque donum Dei, sed vnum minus, alterum maius; non hic iustitiam nostram super laudem institicatoris nostri extollat, vt horum duorum quod minus est, diuino tribuat adiutorio, quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio. Et si consenserit nos gratia Dei accipere charitatem; non sic sentiat, tanquam vlla merita bona nostra præcesserit. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus; vt enim acciperemus dilectionem quà diligeremus, dilecti sumus cùm eam nondum haberemus. Hoc Ioannes Apostolus apertissimè dicit, *Non quod nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Et alibi, *Nos diligamus*, inquit, *quia ipse prior dilexit nos.* Optimè omnino atque verissimè. Non enim haberemus vnde illum diligeremus, nisi hoc ab illo cùm prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodò bonum non facimus, si diligamus? Et si enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia *omne quod non ex fide est, peccatum est.* Et *fides per dilectionem operatur.* Ac per hoc gratiam Dei, qua *charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*

1. Cor. 8. 1

Scientia quãdo non inflet.

Gratiam nulla præcedũt merita.

1. Ioan. 4. 10.

Ibid. 19.

Rom. 14. 23.

Gal. 5. 6.

Rom. 5. 5. *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet veramque iustitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cùm dicit, *propterea dari gratiam, vt quod à Deo præcipitur, facilius impleatur*, quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet quod etiam sine illa etsi minus facilè, fieri tamen quod diuinitus præcipitur, potest.

Sine gratia nihil boni pertinet ad pietatē veramque iustitiam.

CAPUT XXVII.

IN libro quippe ad Virginem Sacram, quod & supra commemoraui, cùm dicit: *Diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus*, significat profecto quid sapiat. Vt quid enim hoc verbum interposuit, id est facilius? An vero non erat integer sensus, vt nequam Spiritui Sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens vtique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam sine auxilio Spiritus Sancti etsi minus facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.

Capit. 25. epist. ad Demetriad.

CAPUT XXVIII.

ITem in primo libro pro libero arbitrio: *Cùm autem tam forte*, inquit, *tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inseruit, rursus pro eius inæstimabili benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.* Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hic vult intelligi ad hoc esse auxilium, vt facilius fiat per gratiam, quod etsi minus facile, tamen putat fieri præter gratiam.

CAPUT XXIX.

ITem in eodem libro, alio loco; *Ut quod per liberum*, inquit, *homines facere iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Tolle facilius, & non solum plenus, verumetiam sanus est sensus, si ita dicatur, vt quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cum autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. 5.

CAPUT XXX.

EMendet hæc omnia, ne si in rerum magnarum profunditate humana errauit in firmitas; etiam diabolica huic accedat errori vel fallacia, vel animositas, siue negando quod sensit, siue defendendo quod perperam sensit; cùm id se non debuisse sentire commemorata perspicua veritate cognouerit. Istam quippe gratiam quà iustificamur, id est, quà *charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, in Pelagij & Celestij scriptis quæcunque legere potui, nusquam eos inueni quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nusquam eos aduerti sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis, de quibus dicit Apostolus: *Non ij qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis deputantur in semine.* Quod enim promittit Deus, non facimus nos perarbitrium seu per naturam, sed facit ipse per gratiam. Nam vt de Celestij opusculis interim taceam, vel libellis eius, quod iudicijs Ecclesiasticis allegauit, quæ vobis omnia cum alijs quas necessarias existimauimus literis mittenda curauimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis aduertere, non eum ponere Dei gratiam quà iuuamur, vel ad *declinandum à malo*, vel ad *faciendum bonum*, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita vt ipsas quoque orationes ad hoc afferat necessarias, vt ostendatur homini quid concupiscat & diligat. Vt ergo hæc interim omittam, nempe ipse

Rom. 5. 5.

Rom. 9. 8.

Quod promittit Deus ipse facit.

Psal. 33.

ipſe Pelagius, & literas nuper, & libellum Romam fidei ſuæ miſit, ſcribens ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, quem defunctum eſſe neſciebat. In his ergo literis dicit *eſſe de quibus eum homines infamare conantur. Unum quod neget paruulis baptiſmi Sacramentum, & abſque Redemptione Chriſti aliquibus regna Cœlorum promittat. Aliud, quod ita dicat poſſe hominem vitare peccatum, vt Dei excludat auxilium; & in tantum libero confidat arbitrio, vt gratiæ repudiet adiutorium.* Sed de baptiſmo paruulorum, quamuis eis dandum eſſe concedat; quàm peruerſe contra fidem Chriſtianam, & Catholicam ſentiat veritatem, non hic locus eſt vt diligentius diſſeramus, nunc enim de adiutorio gratiæ, quod inſtituimus peragendum eſt. Vnde ad id quod propoſuit quid etiam hinc reſpondeat videamus. Vt enim omittamus eius inuidioſas de ſuis inimicis querelas, vbi ad rem ventum eſt, ita loquutus eſt.

Orationes ad quid necesarias putarint Pelagiani. Libellus fidei cum literis ad Innocentium Pontificem à Pelagio Romam Miſſus.

Inuidioſa Pelagij de ſuis inimicis querela.

CAPUT XXXI.

Pelagij defenſio.

ECce, inquit, *ad beatitudinem tuam Epiſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpliciter ad peccandum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino ſemper adiuuatur auxilio.* Cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc eius verba ſoluendæ non ſufficere quæſtioni: Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adiuvari dicat arbitrium, ne forte ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam. Si enim quæras cur dixerit, *ſemper* poterit reſpondere, quia dictum eſt: *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Deinde cùm de hominis conditione, & ad peccandum atque non peccandum naturali eius poſsibilitate quædam interpoſuiſſet, adiunxit dicens: *Quam liberi arbitrij poteſtatem dicimus in omnibus eſſe generaliter, in Chriſtianis, Iudæis atque Gentilibus. In omnibus eſt liberum arbitrium æqualiter per naturam; ſed in ſolis Chriſtianis iuuatur à gratia.* Iterum quærimus quà gratia? Et adhuc poterit reſpondere, lege atque doctrina Chriſtiana. Deinde quamlibet ſentiat gratiam, ipſis Chriſtianis ſecundum merita dari dicit; cùm eos qui hæc dicunt iam in Palæſtina, ſicut ſupra commemoraui, ſua illa præclara purgatione damnaverit. Nam verba eius iſta

Pſal. 1. 2.

Cap. 14 de geſt. Pelag.

ſunt;

sunt; *in illis*, inquit, *nudum & inerme est conditionis bonum*. In eis dicit qui Christiani non sunt. Deinde cætera contexens. *In his vero*, inquit, *qui ad Christum pertinent, Christi muuitur auxilio*. Videtis adhuc incertum esse quo auxilio, secundùm ea quæ supra diximus. Sed adhuc sequitur de illis qui Christiani non sunt, & dicit: *Illi ideo iudicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè vtuntur libertate concessa. Hi vero remunerandi sunt, qui bene libero vtentes arbitrio merentur Domini gratiam, & eius mandata custodiunt*. Nempe manifestum est eum dicere gratiam secundum merita dari, quamlibet eam vel qualemlibet significet, quàm tamen apertè non exprimit. Nam cùm eos remunerandos dicit, qui bene vtuntur libero arbitrio, & ideò mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Vbi est ergo illud Apostoli. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*? Vbi est & illud, *Gratia salui facti estis*? Et ne putarent per opera, addidit, *per fidem*. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam: *Et hoc*, inquit, *non ex vobis, sed Dei donum est*. Nempe ergo illud vnde incipit omne, quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Aut si negatur dari, quid est quod dictum est. *Sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei*? Si autem sic dicitur dari, vt reddatur meritis, non donetur; quid est quod iterum dicit: *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verumetiam vt patiamini pro eo*? Vtrumque enim donatum esse testatus est, & quod credit in Christum, & quod patitur quisque pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei vide licet reddi videatur non gratuita, sed debita gratia: Ac per hoc iam nec gratia, quia nisi gratuita, non est gratia.

Gratia secundum Pelagium ex meritis datur.

Rom 3.24
Ephes.2.8
Ibidem.
Rom.12.3
Phil.1.29.

Fides meriti initium ipsa vero nullis nostris redditur meritis.

CAPUT XXXII.

SEd ab his literis Pelagius ad fidei suæ librum, vult transire lectorem, cuius nobis commemorationem fecit. In quo ea de quibus non interrogabatur multa differvit. Sed nos de quibus agimus cum illis ipsa videamus. Cùm enim ab vnitate trinitatis vsque ad resurrectionem car-

carnis, quod ab illo nemo quærebat, disputationem quantam voluit terminasset: *Et baptisma*, inquit, *vnum tenemus, quod iisdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus dicimus esse celebrandum.* Hoc certe vos, & à præsente audisse dixistis. Sed quid prodest quod eisdem verbis in parvulis, quibus & in maioribus celebrari dicit baptismi Sacramentum, cùm res à nobis non sola verba quærantur? Plus est quod vobis ore proptio interrogantibus respondit, vti scribitis, *infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum.* Non enim, & hic dixit *in verbis remissionis peccatorum; sed eos baptizari in ipsam remissionem confessus est.* Et tamen si ab eo quæreretis, quid peccati eis credatur remitti, non eos aliquid habere contenderet.

CAPUT XXXIII.

Libellus Cælestij.

QUis crederet sub hac quasi manifesta confessione sensum latere contrarium, nisi eum Celestius aperuisset? Qui in libello suo, quem Romæ gestis Ecclesiasticis allegauit, *paruulos, & baptizari in remissionem peccatorum* confessus est, & negauit *vllum habere originale peccatum.* Sed nunc non de baptismate paruulorum, sed de adiutorio gratiæ potius etiam in libello fidei suæ, quem Romam misit, quid Pelagius senserit attendamus. *Liberum*, inquit, *sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Ecce iterum quærimus, quo auxilio nos indigere fateatur: & iterum inuenimus ambiguum, quoniam potest respondere, legem se dicere doctrinamue Christianam, quà naturalis illa possibilitas adiuvetur. Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de quà dicit Apostolus: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ*: Non est autem *consequens*, vt qui habet donum scientiæ, quo nouerit quid agere debeat, habeat etiam charitatis, *vt agat.*

2. Tim. 1. 7.

CAPUT XXXIV.

ILlos etiam quos in eisdem literis, quas misit ad sanctæ memoriæ Papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi, præter vnam Epistolam, quam se breuem misisse ad Sanctum Constantium episcopum dicit, nec alicubi potui reperire hanc eum gratiam confitèri, quà non solùm possibilitas naturalis voluntatis, & actionis, quàm dicit nos habere etiam si nec volumus nec agimus bonum; sed ipsa etiam voluntas, & actio submministratione Sancti Spiritus adiuuatur.

CAPUT XXXV.

LEgant, inquit, *illam epistolam, quam ad Sanctum virum Paulinum Episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus, quæ trecentis fortè versibus nihil aliud quam Dei gratiam, & auxilium confitetur, nosque nibil omnino boni facere posse sine Deo.* Hanc ergo epistolam legi, & inveni eum penè per totam non immorari, nisi in facultate, & possibilitate naturæ, & penè ibi tantum Dei gratiam constituere: Christianam vero gratiam tanta breuitate sola nominis commemoratione perstringit, vt nihil aliud videatur, quam eam tacere timuisse. Vtrùm tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, vbi est & eius conuersationis exemplum, quod aliquot locis suorum opusculorum facit, an credat aliquod adiutorium bene agendi adiunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis, non apparet omnino.

Pel. epist. ad Paulinum.

Christianam gratiam quomodo confitetur Pelagius.

Pelagius.

CAPUT XXXVI.

LEgant etiam, inquit, *ad Sanctum Constantium episcopum, vbi breuiter quidem, sed planè libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque coniunxi.* Hanc epistolam, vt superius dixi, non legi, sed si non est dissimilis cæteris, quæ mihi nota commemorat, non habet etiam ipsa quod quærimus.

Pel. epist. ad Constantium episcopum, capit. 34.

CAPUT XXXVII.

LEgant etiam, inquit, *quam ad Sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus: Et inuenient nos ita hominis laudare naturam, vt Dei semper gratiæ addamus auxilium.* Istam sanè legi, mihique penè persuaserat hanc illum gratiam, de quâ quæstio est, confiteri; quàmvis in multis eius opusculi locis sibi ipsi contradicere videretur. Sed cùm in manus meas, & alia veniissent, quæ posterius latiusque conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo frangens inuidiam, offensionemque declinans. Nam in ipsius principio vbi ait: *Proposito insudemus operi, nec mediocritati defuerimus ingenij, quod credimus fluxe matris, & merito virginis adiuuari*: gratiam quâ adiuuamur ad aliquid agendum mihi visus fuerat confiteri, nec attenderam hanc eum ponere potuisse in sola reuelatione doctrinæ. Item in eodem opere alio loco: *Quod si etiam sine Deo*, inquit, *homines offendunt, quales à Deo facti sunt, vide quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui diuinæ quoque gratiæ iuuantur auxilio?* Naturam in melius instauratam, remissionem vult intelligi peccatorum. Quod alio loco in hoc ipso libro satis demonstrauit, vbi ait: *Etiam illi qui longo peccandi vsu quodammodo obduruere, instaurari per pœnitentiam possunt*: Auxilium vero diuinæ gratiæ potest, & hic ponere in reuelatione doctrinæ.

Pel. epist. ad Demetriadē virginem.

Ambique vsurpat nomen gratiæ Pelagium, cap. 3 in fine.

Cap. 3. in fine.

Natura instaurata apud Pelagium.

Cap. 17.

CAPUT XXXVIII.

ITem alibi in eadem Epistola: *Nam si ante legem*, inquit, *vt diximus, ac multò ante Domini nostri, & saluatoris aduentum, iuste quidam, & sanctè vixisse referuntur; quanto magis post illustrationem aduentus eius nos id posse credendum est, qui instaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine eius expiati atque mundati, ipsiusque exemplo ad perfectionem incitati iustitiæ, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuere.*

Cap. 8.

Vi-

Videte quemadmodum, & hic alijs quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum, & in exemplo Christi, adiutorium gratiæ constituerit. Deinde subiungit & dicit: *Meliores etiam quàm fuere sub lege, dicente Apostolo: Peccatum vobis non dominabitur; Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Et quoniam hinc*, inquit *sufficienter, vt puto, diximus, nunc perfectam instituamus virginem, quæ ex vtroque semper accensa, & naturæ simul, & gratiæ bonum, morum sanctitate testetur.* Et in his verbis debetis aduertere, ideò illum quod dicebat, sic voluisse concludere, vt naturæ bonum intelligamus, quod cùm crearemur accepimus: gratiæ autem, cùm Christi intuemur exemplum; tanquam ideò peccatum, non indultum fuerit eis, qui sub lege fuerunt vel sunt, quia exemplum Christi siue non habuerunt, siue non credunt.

Gratia Pelagiana. Ibidem.

Rom.6.14

CAPUT XXXIX.

HOc autem istum sapere, & alia eius verba ostendunt, non in hoc libro, sed in tertio pro libero arbitrio, vbi ad eum loquens contra quem disputat, quoniam ille posuerat verba Apostoli dicentis: *Non quod volo ago*; Et, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & cætera quæ ibi dicuntur, iste respondit atque ait: *Hoc enim quod tu de Apostolo intelligere cupis, omnes Ecclesiastici viri in peccatoris, & sub lege adhuc positi asserunt eum dixisse persona, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, & quamuis bonum appeteret voluntate, vsu tamen præcipitaretur in malum. In persona autem*, inquit, *hominis vnius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem, quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primo omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Ecce quomodo vult intelligi, adiuuari eos qui sub lege peccant, vt per gratiam Christi iustificati liberentur, tanquam eis non sufficiat sola lex propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat non inspiratio charitatis per Spiritum Sanctum, sed intuendum, & imitandum in doctrina euangelica virtutis eius exemplum. Et

Rom 7.15. & 23.

Pelagium Apostolum Rom 7 non loqui in propria persona asserit.

certè maxima hic erat causa exprimendi, quam diceret gratiam, vbi locum ipsum de quo respondetur, sic concluſit Apostolus vt diceret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hanc iste cum constituat, non in virtutis eius auxilio, sed imitationis exemplo; quid amplius de illo sperare debemus, vbicunque gratiæ nomen sub ambigua generalitate commemorat?

Rom. 7. 25

CAPUT XL.

ITem in eodem libro ad virginem sacram, vnde iam etiam supra disseruimus vbi ait: *Subditi simus Deo, eiusque faciendo voluntatem, diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritui Spiritus Sancti auxilio resistamus.* In quibus eius verbis certè manifestum est, ita eum velle nos adiuuari gratia Spiritus Sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed vt *facilius resistamus.* Quod tamen qualecunque, & quantulumcunque adiutorium, eum credibile est in hoc constituere, quod nobis additur scientia, reuelante spiritu per doctrinam, quam vel non possumus vel difficilè habere possumus per naturam. Ista sunt quæ in libro quem scripsit ad Virginem Christi, aduertere potui, vbi videtur gratiam confiteri, quæ profecto qualia sint vtique cernitis.

Sup. c. 23.

Cap. 25.

Gratia Pelagiana.

CAPUT XLI.

LEgant, inquit, *etiam recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus, & agnoscant quàm inique nos negatione gratiæ infamare gestierint, ne qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè, & liberum arbitrium confitemur, & gratiam.* Quatuor sunt libri operis huius, & hos legi, & ex illis sumpsi, quæ tractanda, & discutienda proposuit, & vt potuit pertractaui, antequam ad eius has literas, quæ Romam missæ sunt, veniremus. Sed in his etiam quatuor libris, quæcunque pro gartia videtur dicere, quà iuuamur, vt *declinemus à malo bonumque faciamus*, ita dicit, vt

Pelagij libri quatuor pro libero arbitrio.

Psalm. 33. 15.

Orationes quor sum putarit Pelagius adhibendas.

vt nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, vt nullum auxilium gratiæ credant, quà naturæ possibilitas adiuuetur, nisi in lege atque doctrina: ita vt ipsas quoque orationes, vt in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi vt nobis doctrina etiam diuina reuelatione aperiatur, non vt adiuuetur mens hominis, vt id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat. Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, vbi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem, & solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio: voluntatem autem, & actionem, nullo Dei adiutorio existimat indigere. Ipsum vero auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu reuelari, propter quod, & orandum esse concedit. Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus: adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis euangelica prædicatur: vt videlicet tanquam via demonstrata, quà ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamuis & ipsam viam contendat etiam sola inueniri posse natura, sed facilius si adiuuet gratia.

Gratia Pelagiana.

Propria gratia Pelagio Christi exemplum.

CAPUT XLII.

HÆc ergo pro meo captu intelligere potui in Pelagij scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quod qui ista sentiunt, *ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere*, & longe ab illa sunt, *quæ* nobis *ex Deo est*, non ex nobis, quam in scripturis sanctis maximè canonicis aduertere atque cognoscere debuerunt. Sed quia eas secundum suum sensum legunt, profecto in illis nec apertè contuentur. Vtinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubitant, quid sit de adiutorio diuinæ gratiæ sentiendum, non negligenter attenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent. Nam iste ipse Pelagius in illo ipso recenti

Rom. 10. 3 Phil. 3. 9.

Scripturas sacras ad suum semper sensum hæretici legunt.

Pro intellectu scripturæ ad Catholicos Scriptores recurrendum.

centi opusculo suo, cuius se commemoratione defendit, id est, in tertio libro pro libero arbitrio Sanctum Ambrosium quemadmodum laudet accipite.

CAPUT XLIII.

Pelagium B. Ambrosium laudat.

BEatus, inquit, *Ambrosius episcopus, in cuius præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptorum inter Latinos sios quidam speciosus enituit, cuius fidem, & purissimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Ecce qualibus, & quantis prædicat laudibus, quamlibet sanctum, & doctum virum, nequaquam tamen authoritati scripturæ canonicæ comparandum. Quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum eius eo teste vti, quo probet hominem posse esse sine peccato; vnde nunc non agitur: sed agitur de auxilio gratiæ, quo ad non peccandum adiuuamur iusteque viuendum.

CAPUT XLIV.

Ambrosiũ Pelagio opponit Ambrosius super Lucam lib. 2. cap. 31.

AUdiat ergo illum venerabilem antistitem dicentem, & docentem in secundo libro expositionis Euangelij secundum Lucam cooperari Dominum etiam voluntatibus nostris. *Vides itaque*, inquit, *quia vbique Domini virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino. Et ideo iuxta Apostolum: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* Vide-

1. Cor. 10. 31.

tis quemadmodum Sanctus Ambrosius, etiam illud quod solent homines dicere, *nos incipimus, & Deus perficit*, his verbis abstulit dicens, *neminem quicquam vel incipere sine Deo.* Item in sexto libro eiusdem operis, cùm de duobus illis fœneratoris vnius debitoribus ageret: *Secundum hominem*, inquit, *plus fortasse offendit, qui plus debuerat; sed per misericordiam Domini causa mutatur, vt amplius diligat debuit, qui amplius si tamen gratiam consequatur.* Ecce apertissimè prædicat catholicus doctor etiam ipsam dilectionem, quà quisque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere.

Ambrosius super Lucam, lib. 6. cap. 31.

CA-

CAPUT XLV.

IPſam denique pœnitentiam, quam proculdubio voluntas agit, Domini miſericordia, & adiutorio fieri vt agatur, in decimo eiuſdem operis libro Beatus dicit Ambroſius ita loquens: *Bonæ lachrymæ quæ culpant lauant. Denique quos Ieſus reſpicit, plorant delictum. Negauit primo Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus: negauit ſecundo, & non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negauit, & tertio, reſpexit Ieſus, & amarè fleuit.* Legant iſti Euangelium, & videant Dominum Ieſum tunc intus fuiſſe, cum à Sacerdotum principibus audiretur: Apoſtolum vero Petrum foris, & deorſum in atrio cum ſeruis ad focum nunc ſedentem, nunc ſtantem, ſicut veraciſsima, & concordiſsima Euangeliſtarum narratione monſtratur. Vnde non poteſt dici, quod corporalibus oculis eum Dominus viſibiliter admonendo reſpexerit. Et ideò quod ibi ſcriptum eſt: *Reſpexit eum Dominus*: intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt Miſericordia Dominus latenter ſubuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia ſua viſitauit Petrum, interioris hominis vſque ad exteriores lachrymas mouit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adiuuando adeſt voluntatibus, & actionibus noſtris. Ecce quemadmodum, *& velle & operari operatur in nobis.* Item in eodem libro idem Sanctus Ambroſius, *Nam ſi Petrus*, inquit, *lapſus eſt, qui dixit: Et ſi alij ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor; quis alius iure de ſe præſumat? Denique Dauid quia dixerat: Ego dixi in mea abundantia non mouebor in æternum: ſuam ſibi iactantiam obfuiſſe profitetur dicens: Auerti ſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus.* Audiat iſte tantum virum docentem, imitetur credentem, cuius fidem doctrinamque laudauit. Audiat humiliter, imitetur fideliter, non de ſe pertinaciter præſumat ne pereat. Quid in eo pelago vult mergi Pelagius, vnde per petram liberatus eſt Petrus?

Ambroſius ſuper Lucam, lib. 10 cap. 76.

Matth. 26. 70 ibid. 72 ibid. 74. & 75.

Quibus oculis Petrum Chriſtus reſpexerit.

Luc. 22. 61.

Ephe. 2. 13

Matth. 26 33.

Pſal. 29. 7

Ibidem. 8.

CA-

CAPUT XLVI.

Ea verba nunc existans libro septimo ad illud.

AUdiat eundem Antistitem Dei in sexto libro eiusdem operis dicentem: *Cur autem non receperint eum, Euangelista ipse memorauit dicens; qua facies eius erat euntis in Hierusalem, Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* O sensum hominis Dei ex ipso hausum fonte gratiæ Dei! *Deus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Videte si non propheticum illud est: *Miserebor cuius misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Et illud Apostolicum: *Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Quia vt dicit etiam nostrorum temporum homo eius, *quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Nunquid aliquis dicere audebit, nondum esse religiosum, *qui currit ad Deum, ab eo se regi cupit, & voluntatem suam ex eius voluntate suspendit, & qui ei adhærendo iugiter, vnus secundum Apostolum cum eo sit spiritus?* At hoc totum tam magnum religiosi hominis opus, Pelagius non dicit effici nisi *arbitrij libertate.* Contra autem Beatus Ambrosius ipsius tam excellenter ore laudatus: *Dominus Deus*, inquit, *quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Ergo vt *currat ad Dominum, & ab eo se regi cupiat, suamque voluntatem ex eius voluntate suspendat, eique adhærendo iugiter, vnus secundum Apostolum cum eo fiat spiritus, Deus quem vult religiosum facit.* Et hoc totum homo nisi religiosus non facit. Qua propter nisi à Deo fiat vt hoc faciat, quis hoc facit?

Luc. 9. 53.

Exod. 33. 19.

Rom. 9. 16

2. Cor. 6. 17.

Deus quos dignatur vocat.

Pelagius.

CAPUT XLVII.

SEd quia ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: potest Pelagius ita se latebris obscuritatis huius inuoluere, vt etiam ijs quæ à Sancto Ambrosio conscripta posuimus consentire se dicat;

Liberi arbitrij, & gratiæ Dei conciliam de difficultate.

&

& ea se quoque sentire proclamet, semperque sensisse, atque ita singula conetur exponere, vt etiam eius sententiæ conuenire credantur. Quapropter quantum attinet ad istam de diuina gratia, & adiutorio quæstionem, tria ista quæ apertissimè distinxit attendite, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solàm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene; sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, vt bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: Si vt dixi, consenserit etiam ipsam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, & sic adiuuari vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, in quà nos sua, non nostra iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.

Quid à Pelagio in hoc argumento exigatur.

Rom.7.25

CAPUT XLVIII.

ILlud autem propter quod sic laudauit Sanctum Ambrosium, quia scilicet in scriptis eius inuenit ex laudibus Zachariæ, & Elizabeth, posse hominem in hac vita esse sine peccato: quanquam negandum non sit, si hoc velit Deus, apud quem sunt omnia possibilia; consideret tamen diligentius quemadmodum dictum sit. Dictum enim est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conuersationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum iustè posset in accusationis, & criminationis querelam vocare. Quam propterea *in Dei conspectu* Zacharias, & eius vxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant: sed vt apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundùm illam perfectionem iustitiæ, in quà verè atque omnimodo immaculati perfectique viuemus: nam & Apostolus Paulus dixit, *secundum iustitiam, quæ ex lege est, se fuisse sine querela*: in quà lege etiam Zacharias sine querela conuersabatur: sed hanc Apostolus iustitiam in *stercoribus*, & *detrimentis* deputauit, in comparatione *iustitiæ* quam speramus, & quam nunc *essurire ac sitire* debemus, vt ea quandoque sa-

Sine peccato quomodo quidam in hac vita dici possint.

Luc. 1. 6.

Philip. 3. 6

Ibid. 8.

Matth. 6. 6.

Rom. 1, 17 turemur in ſpecie, quæ nunc in eſt fide, quandiu *iuſtus ex fide viuit.*

CAPUT XLIX.

AUdiat denique ipſum venerabilem Antiſtitem, cùm exponeret Eſaiam Prophetam dicentem, *neminem in hoc mundo eſſe poſſe ſine peccato*: vbi nemo poteſt dicere, in hoc mundo eum dixiſſe velut in dilectione huius mundi. De Apoſtolo etenim loquebatur, qui dicit: *Conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Hunc ergo ſenſum memoratus Epiſcopus explicans: *Perfectos*, inquit, *ſecum multos ait Apoſtolus in illo adhuc mundo ſitos, qui ſi ad perfectionem veram reſpicias, perfecti eſſe non poterant. Quia ipſe dixit: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut, & cognitus ſum. Ita, & immaculati ſunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei; cùm vtique ſi minutiùs excutias, immaculatus eſſe nemo poſsit, quia nemo ſine peccato.* Illud ergo Sancti Ambroſij teſtimonium, quo pro ſua ſententia Pelagius vtitur, aut ſecundum quendam modum dictum eſt, probabilem quidem, ſed non minutius excuſſum: aut certè, ſi ille vir Sanctus atque humilis Zachariam, & Elizabeth ſummæ atque omnimodo perfectæ iuſtitiæ, cui nihil addi iam poſſet, fuiſſe exiſtimauit, profecto ſententiam ſuam minutius excutiendo correxit.

Ambr. in Eſaiam.

Phil. 3, 20

2. Cor. 13, 12.

CAPUT L.

ATtendat ſanè iſte in eodem ipſo loco, vnde hoc Ambroſianum teſtimonium, quod ei placebat, aſſumpſit, etiam illud eum dixiſſe, quod *ab initio eſſe immaculatum humanæ impoſsibile ſit naturæ*: vbi omnino illam naturalem poſsibilitatem, quam Pelagius non vult fideliter reſpicere, peccato eſſe vitiatam, & ideò iactanter extollit, eneruem infirmamque teſtatur venerandus Ambroſius: proculdubio contra iſtius voluntatem, ſed non contra Apoſtolicam veritatem, vbi legitur: *Fuimus, & nos aliquando natura filij iræ ſicut, & cæteri.* Ipſa eſt enim

Epheſ. 2, 3

per

per peccatum primi hominis, quod ex libero eius venit arbitrio, vitiata, & damnata natura. Cui sola per *mediatorem Dei, & hominum*, & omnipotentem medicum diuina subuenit gratia: de cuius adiutorio, ad iustificationem nostram, quo Deus *diligentibus* eum *omnia cooperatur in bonum*, quos *prior dilexit* donans eis vt diligeretur ab eis, quia iam diu est vt differimus: deinceps incipiamus, quantum Dominus adiuuerit, etiam de peccato, quod *per vnum hominem cum morte intrauit in mundum, atque ita in omnes homines pertranſijt*, aduersus istos, qui in errorem huic contrarium veritati, apertius eruperunt, quæ satis esse videbuntur exprimere.

1. *Tim* 2, 5

Rom. 8. 28

1. *Ioan.* 4. 19.

Rom. 5. 12

ADMONITIO. IN LIBRUM DE PERFECTIONE JUSTITIÆ HOMINIS.

HOC *opusculum Auguſtinus in librorum ſuorum retractatione ſilentio præterijt, eo nimirum quod pertineret ad ſeriem epiſtolarum, de quibus ſeorſim retractandis cogitabat. Nam exordium ejus in omnibus codicibus ducitur ab iſta Epiſtolari Salutatione*, Sanctis fratribus, & coepiſcopis Eutropio, & Paulo Auguſtinus: *tametſi eum hæc Epiſtola locum apud omnes obtinuit, vt liber ſemper, non modo in ijs voluminibus quæ exemplar illius continent, ſed in veterum etiam qui illam citant ſcriptis, appelletur. Inter hos illuſtriores magiſque in Auguſtini lectione verſati, Poſſidius in indiculo, cap. 4. & Fulgentius in libro 1. ad Monimum, cap. 3. hoc opus vocant.* Librum de perfectione juſtitiæ hominis. *Conſentiunt omnia ferè exemplaria calamo ſcripta; ſed ex ijs Audœnenſe, Pratellenſe, & quædam alia eidem titulo addunt hæc verba*, adverſus eos qui aſſerunt hominem poſſe fieri juſtum ſolis ſuis viribus. *In Remenſis Eccleſiæ codice inſcriptio hæc legitur*: Liber de definitionibus quæ dicuntur Cæleſtij. *Proſper in libro adverſus Collatorem, cap. 43. hortatur ad legendum, inter alios Auguſtini libros, eum quem ſcriptum dicit* ad Paulum, & Eutro-

tropium Sacerdotes contra Pelagij, & Cæleſtij quæſtiones.

Ex hoc autem loco Proſperi, vbi quedam ex opuſculis Auguſtini contra Pelagianos, parum habita ordinis ratione recenſuit, nemo rectè probauerit, librum de perfectione iuſtitiæ hominis, aut libris de nuptijs, & concupiſcentia, aut ſex primis contra Iulianum libris, quia ibidem prius nominantur, tempore poſteriorem eſſe. Enim vero in fine libri nondum eos reprehendere audet, qui iuſtos ſine vllo prorſus peccato exſiſtere in hac vita vel extitiſſe aliquos affirmarent, quorum opinioni, quemadmodum in libro de ſpiritu, & littera, cap. 2. & in libro de natura, & gratia, cap. 42. & 60. ita hic Auguſtinus adhuc exiſtimat non nimis reluctandum. Nihil ergo ſuper ea re definitum hactenus erat, neque conditi adverſus illam opinionem tres Carthaginenſis Concilij, quod anno 418. habitum eſt notiſſimi Canones, ſextus, ſeptimus, & octauus, quorum auctoritate illam deinceps vt pernicioſum errorem caueri iubet, ſicuti videre licet paſſim in libris contra duas Epiſtolas Pelagianorum, præſertim libro 4. cap. 10. vbi ait: Illud iam tertium videamus, quod non minus in iſtis omne Chriſti membrum, & totum eius corpus exhorret, quia contendunt eſſe in hac vita vel fuiſſe iuſtos nullum habentes omnino peccatum. *Certè anno Chriſti* 414. *cùm epiſtolam* 157. *ſcriberet Hilario, reſpondens ad quæſtiones quæ in Sicilia mouebantur, eodem planè modo ac ijſdem ferè verbis de loquitur quibus in libri huius concluſione.* Sed iſti, *inquit in ipſa epiſtola, cap.* 2. vtcumque tolerandi ſunt, quando dicunt, vel eſſe vel fuiſſe hic aliquem, præter vnum Sanctum Sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum, illud vero quod dicunt, ſufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratia, & Spiritus-Sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus exſecrationibus deteſtandum. *His ad extrema verba ſubſequentis libri comparatis, nihil veri ſimilius apparebit, quam ipſum librum, quo definitiones Cæleſtij ex Sicilia pariter allatæ refelluntur, non longo poſt epiſtolam tempore conſcriptum eſſe. Illum Poſsidius in indice proxime poſt librum de natura, & gratia collocat, præmittitque libro de geſtis Pelagij. Auguſtinus vero in Epiſtola* 169. *quæ ſub anni* 415. *finem ad Euodium data eſt, huius quidem operis non memenit: verùm ibi ſignificat ſe*

ad

ad Oroſij commonitorium reſpondiſſe, in quo ille commonitorio dicebat, Eutropium, & Paulum Epiſcopos, *quoddam etiam* commonitorium *eidem Auguſtino*, iam dediſſe de aliquantis hæreſibus. *Sunt qui hoc non aliud, quam litteras ab ijs cùm Cæleſtij definitionibus datas intelligant. Vt eſt, haud temere creditur eos, non multo poſt appulſum Oroſij in Africam, ſcilicet ante medium annum* 415. *dediſſe eaſdem definitiones, atque aduerſus illas Auguſtinum, reſponſione Oroſio priùs reddita, mox Eutropio, & Paulo reſcripſiſſe.*

Cæleſtius porrò, cuius nomen definitiones illæ præferebant, ante quàm Pelagianum dogma incurreret, ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio, *vt Gennadius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtatur*, epiſtolas in modum libellorum tres, omnibus Deum deſiderantibus neceſſarias. *Cæleſtio poſtea Pelagianam hæreſim profeſſo editus ab ipſo eſt libellus, quo inter alia, per Baptiſmum Chriſti, etiam parvulorum fieri redemptionem confeſſus eſt in Carthaginenſi Eccleſia epiſcopali iudicio ibidem ſub initium anni* 412. *habito, vt diſcimus ex epiſtola ad Innocentium Papam, inter Auguſtinianas* 175. *num.* 1. *&* 6. *ex citata item epiſtola* 157. *num.* 22. *ex libro* 1. *de peccatorum meritis, cap.* 34. *& libro* 2. *cap. vltimo, ex libro de peccato originali, cap.* 19. *& ex libro contra Iulianum* 3. *cap.* 3. *Alius præterea, nomine quidem auctoris ſui carens, ſed qui perhibebatur eſſe Cæleſtij liber, in capitula diſtributus, memoratur in proxime ſecuturo libro de geſtis Pelagij, cap.* 13. 14. *&* 35. *Exſtabant denique anno* 417. *opuſcula Cæleſtij plura ſiue libelli, quos in libro de Gratia Chriſti, cap.* 30. *&* 33. *dicitur ipſe Romæ geſtis Eccleſiaſticis apud Zoſimum allegaſſe. Quod autem Auguſtinus hic in exordio libri de perfectione iuſtitiæ hominis teſtatur à ſe viſum opus Cæleſtij indubitatum, ex quo intelligebat illas definitiones ſeu ratiocinationes ab eius ingenio non adhorrere, idem illud forſitan erat, quod Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem anno* 413. *aut* 414. *ſcripta citat in hæc verba*: Vnus Diſcipulorum eius, (*Pelagij nimirum*,) immo iam magiſter, & totius ductor exercitus, & contra Apoſtolum vas perditionis, per ſoloeciſmorum; & non vt ſui iactitant, ſyllogiſmorum ſpineta decurrens, ſic philoſophatur, & diſputat. Si nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera eius eſt omne quod geſſero: ergo

non

non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuuerit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter non erit liberum, nisi fecero quod voluero. Ac per hoc, aut vtor semel potestate quæ mihi data est, vt liberum seruetur arbitrium; aut si alterius ope indigeo, libertas in me arbitrij destruitur.



S. AURELIJ AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD EPISCOPOS EUTROPIUM, ET PAULUM, EPISTOLA SIVE *LIBER DE PERFECTIONE JUSTITIÆ HOMINIS.

* *Scriptus circiter finem anni 415.*

DAta sibi chartula deffinitionum, quæ Cælestij esse dicebantur, Augustinus ratiocinationes primum singulas, quibus ille, vel si quis alius erroris socius, perperam definiebat posse hominem hic sine peccato esse, dissoluit breuibus responsis, docens perfectionem plenitudinemque iustitiæ illam, qua homo sine vllo prorsus peccato sit, nec sine gratia possibilem per vires naturæ, præsertim vitiatæ, nec vnquam esse præsentis huius vitæ. Pergit inde ad auctoritates, quas eadem chartula de Scripturis corrogatas continebat, alias quibus homini præcipitur vt sit immaculatus, & perfectus, alias quibus commemoratur non esse grauia Dei mandata, alias tandem quasi his, quæ à Catholicis contra Pelagianos proferri solerent, auctoritatibus contrarias.

CA-

CAPUT I.

SAnctis fratribus & Coepiſcopis, Eutropio, & Paulo, Auguſtinus. Charitas veſtra, quæ in vobis tanta eſt, & tam ſancta, vt etiam iubenti ſeruire delectet, petiuit vt definitionibus, quæ dicuntur Celeſtij eſſe, reſpondeam. Sic enim prænotata eſt eadem chartula quam dediſtis, *definitiones, vt dicitur, Celeſtij*: quæ prænotatio credo, quòd non illius, ſed eorum ſit qui hoc attulerunt de Sicilià, vbi Celeſtius non eſſe perhibetur. Sunt enim multi talia garrientes, &, ſicut ait Apoſtolus, *ipſi errantes, & alios in errorem mittentes*: ex illius tamen hæc eſſe doctrina, vel etiam quorundam ſectatorum eius, & nos poſſumus arbitrari. Nam neque iſtæ breues definitiones, vel potiùs ratiocinationes ab illius abhorrent ingenio, quod in opere alio eius inſpexi, cuius eum eſſe conſtat authorem: & non fruſtra iſtos fratres qui hæc attulerunt, in Sicilia exiſtimo audiſſe, quòd ipſe docuerit iſta vel ſcripſerit. Vellem autem ſi poſſem, ita obtemperare veſtræ fraternæ beneuolentiæ, vt etiam ego tam breuiter reſponderem. Sed niſi & illa commemorem quibus reſpondeo, quis poterit quemadmodùm reſponderim iudicare? Conabor tamen quantum valuero adiuuantibus me apud domini miſericordiam etiam orationibus veſtris, vt non vltra quàm neceſſe eſt meus ſermo procurrat.

2. *Tim.* 3. 13.

CAPUT II.

Ratiocinatio prima.

ANte omnia, inquit, *interrogandus eſt qui negat hominem ſine peccato eſſe poſſe; quid ſit quodcumque peccatum, quod vitari poteſt, an quod vitari non poteſt. Si quod vitari non poteſt, peccatum non eſt: Si quod vitari poteſt, poteſt homo ſine peccato eſſe, quod vitari poteſt. Nulla enim ratio vel iuſtitia patitur ſaltem dici peccatum, quod vitari nullo modo poteſt.* Reſpondemus, vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur *gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* In tantum enim ſana non eſt, in quan-

Rom. 7. 25.

tum id quod faciendum eſt, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non ea quæ vult homo faciat. Iterum*, ait, *quærendum eſt, peccatum voluntatis, an neceſsitatis eſt? Si neceſsitatis eſt, peccatum non eſt: ſi voluntatis eſt, vitari poteſt.* Reſpondemus quod ſupra; & vt ſanemur inuocamus eum, cui dicitur in pſalmo, *De neceſsitatibus meis educ me. Iterum*, inquit, *quærendum eſt, quid ſit peccatum; naturale an accidens. Si naturale, peccatum non eſt: Si autem accidens eſt, & recedere poteſt; & quod recedere poteſt, vitari poteſt, & quod vitari poteſt, poteſt homo ſine eo eſſe quod vitari poteſt.* Reſpondetur, naturale non eſſe peccatum; ſed accidens naturæ, præſertim vitiatæ, vnde *facti ſumus natura filij iræ*: parumque eſſe ad non peccandum voluntatis arbitrium, niſi adiuta ſanetur *gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Iterum*, ait, *quærendum eſt, quid eſt peccatum; actus an res. Si res eſt, neceſſe eſt vt authorem habeat; & ſi authorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius author induci videbitur: at ſi hoc dici impium eſt, confiteri neceſſe eſt peccatum omne actum eſſe, non rem. Si igitur actus eſt, imò quia verè actus eſt, vitari poteſt.* Reſpondemus, peccatum quidem actum dici & eſſe, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus eſt, non res. Quoniam res, pes ipſe vel corpus vel homo eſt, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare poteſt homo claudicationem, niſi habeat ſanatum pedem. Quod etiam in interiore homine fieri poteſt, ſed *gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ipſum ſanè vitium quo claudicat homo, quæ pes eſt, nec corpus, nec homo, nec ipſa claudicatio; nec vtique non eſt quando non ambulat, cùm tamen inſit vitium quo fit claudicatio quando ambulat. Quærat ergò quod eidem vitio nomen imponat; vtrùm rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus exiſtit. Sic & in homine interiore animus res eſt, rapina actus eſt, auaritia vitium eſt; id eſt, qualitas ſecundum quam malus eſt animus, etiam quando nihil agit vnde auaritiæ ſuæ ſeruiat, etiam quando audit, *Non concupiſces*; ſeque vituperat, & tamen auarus manet; ſed per fidem *renouatur*, id eſt ſanatur *de die in diem*, nec tamen niſi *gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Ratiocinatio 1. — *Gal. 5. 17.*

Ratiocinatio 3. — *Pſal. 24. 17.*

Epheſ 2. 3

Ratiocinatio 4.

Exod. 20. 17.

2. Cor. 4. 16.

CA-

CAPUT III.

ITerum, inquit, *quærendum est, vtrum ne debeat homo sine peccato esse: Proculdubiò debet. Si debet, potest; si non potest, ergò nec debet. Et si non debet homo esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse, & iam peccatum non erit, si illud haberi debere confiteris. Aut si hoc etiam dici absurdum est, confiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse, & constat eum non aliud habere quàm potest.* Respondetur eadem similitudine quà superiùs iam respondimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè vtique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione: & si debet, potest: nec tamen cùm vult continuò potest, sed cùm fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuuerit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet tanquam ad eius claudicationem, per eius gratiam, qui *venit non vocare iustos, sed peccatores*: quia *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Iterum*, ait, *quærendum est, vtrùm præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, & præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* Respondetur: Consultissimè homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem, *gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum. Iterum*, ait, *quærendum est, an velit Deus hominem sine peccato esse. Proculdubiò vult, & proculdubiò potest. Quis enim tam demens est, vt vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?* Respondetur: si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret filium suum sine peccato, qui sanaret homines à peccatis. Hoc fit in credentibus, & proficientibus *renouatione interioris hominis de die in diem*, donec fiat perfecta iustitia tanquam sanitas plena. *Iterum*, ait, *quærendum est: quomodo vult Deus hominem esse, cum peccato, an sine peccato? Proculdubio non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit, cogitandum est, vt dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; & negetur posse esse sine peccato, quod Deus vult: quasi aliquem ad hoc Deus creauerit*

Ratiocinatio 5.

Matt. 9. & 13. & 12.

Ratiocinatio 6.

Ratiocinatio 7.

Ratiocinatio 8.

vt posſit esse quod nolit, & non posſit esse quod velit, & vt contra suam magis quàm vt secundum suam existeret voluntatem. Iam superiùs responsum est: sed addendum video, quòd *spe salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Tunc ergò erit plena iustitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas. *Plenitudo enim legis charitas.* Tunc autem plena charitas, quandò *videbimus eum sicuti est.* Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides peruenerit ad visionem.

Rom. 8. 24. & 25.

Rom. 13. 10.

1. Ioan. 3. 2.

CAPUT IV.

Ratiocinatio 9.

ITerum quærendum est, inquit, *per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem? Si per naturæ necessitatem, culpâ caret; si per arbitrij libertatem, quærendum est à quo ipsam arbitrij libertatem acceperit: Proculdubio à Deo. Deus autem quod dedit, certè bonum est, negari enim non potest. Qua igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quàm ad bonum pronum est? Magis enim ad malum quàm ad bonum pronum est, si homo per illud potest esse cum peccato, & non potest esse sine peccato.* Respondetur: Per arbitrij libertatem factum vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Vnde ad Deum fides clamat, *De necessitatibus meis educ me.* Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur. *Si vos*, inquit, *filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia scriptura dicit, *A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Sicut ergò *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus*, ita non est opus liberis liberator, sed seruis, vt ei dicat gratulatio libertatis, *Saluasti de necessitatibus animam meam.* Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non periisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccauit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas; & accipiatur tanta libertas, in qua

Pſ. 24. 17.

Ioan. 8. 36

2. Petr 2. 19.

Matth. 9. 12.

Pſal. 30. 8

Peccantem secuta est peccatum habendi dura necessitas.

qua ſicut neceſſe eſt permaneat beatè viuendi voluntas, ita vt ſit etiam bene viuendi, & nunquam peccandi voluntaria felixque neceſsitas. *Proinde*, inquit, *Deus bonum hominem fecit, & præterquàm quòd illum bonum fecit, bonum ei inſuper vt faceret imperauit. Quàm impium, vt confiteamur hominem malum eſſe, quod nec factus eſt, nec ei præceptum eſt; & negemus eum bonum poſſe eſſe, quod factus eſt, & quod ei vt faceret imperatum eſt.* Reſpondemus: Quia ergò non ſeipſe homo, ſed Deus bonum hominem fecit, Deus eum, non ſeipſe vt ſit bonus reficit, dum volentem, credentem, inuocantem liberat à malo, quod ſibi ipſe fecit. Hoc autem fit, dum *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum renouatur homo interior de die in diem*, vt ad ſempiternam, non pœnam, ſed vitam reſurgat homo exterior in nouiſsimo die. *Ratiocinatio 10.*

CAPUT V.

ITerum, ait, *quærendum eſt; quot modis conſtat omne peccatum. Duobus ni fallor; ſi aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur. Tam certè omnia illa quæ prohibita ſunt, vitari poſſunt, quàm quæ præcepta ſunt, perfici. Nam fruſtra aut prohiberetur aut iuberetur, quod vel caueri, vel impleri non poſsit. Et quomodò negabimus poſſe eſſe hominem ſine peccato, cùm confiteri neceſſe ſit eum tam omnia illa quæ vetantur poſſe cauere, quam quæ imperantur efficere?* Reſpondetur, multa eſſe in ſcripturis ſanctis diuina præcepta, quæ omnia commemorare nimis operoſum eſt. Sed *Dominus*, qui *verbum conſummans, & breuians fecit ſuper terram, in duobus præceptis*, dixit, *legem prophetaſque pendere*; vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquàm te ipſum. In his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Quicquid ergò Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere, ad hoc prohibemur & iubemur, vt duo iſta compleamus. Et fortè generalis prohibitio eſt, *Non concupiſces*; & generalis iuſsio, *Diliges*. Vnde breuiter, & Apoſtolus Paulus quodam loco vtrumque complexus eſt. Prohibitio enim eſt, *Nolite conformari huic ſæ-*

Ratiocinatio 11.

Rom. 9. 28.

Matth. 22. 40.

Ibid. 37. & ſeq.

Non concupiſces generalis eſt prohibitio.

Exod. 20. 17.

Rom. 12. 2.

Diliges generalis iuſſio.

ſæculo : iuſsio autem, *Sed renouamini in nouitate mentis veſtræ.* Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere ; illud ad continentiam, hoc ad iuſtitiam ; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo enim vetuſtate expoliamur, & nouitate induimur diligendo. Sed nec quiſquam *poteſt continens eſſe, niſi Deus det, & charitas Dei diffundatur in cordibus noſtris,* non per nos ipſos, ſed *per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Hoc autem fit *de die in diem* in ijs qui volendo, & credendum, & inuocando proficiunt, & *præterita obliuiſcentes, in ea quæ ante ſunt extenduntur.* Ad hoc enim lex iſta præcipit, vt cùm in his implendis homo deffecerit, non ſe extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus, ac ſic eum lex terrendo, ad Chriſtum diligendum pædagogi perducat officio.

Sap. 8. 21.

Rom. 5. 5.

Phil. 3. 13.

Legis officium.

CAPUT VI.

Ratiocinatio 12.

ITerùm *quærendum eſt*, inquit : *Quomodo non poteſt homo ſine peccato eſſe, voluntate an natura? Si natura, peccatum non eſt ; ſi voluntate, perfacilè poteſt voluntas voluntate mutari.* Reſpondemus admonentes eſſe cogitandum quanta ſit iſta præſumptio, quà dicitur non ſolùm poſſe (quod quidem adiuuante gratia Dei negandum non eſt) ſed etiam *perfacilè poſſe voluntatem voluntate mutari*, cùm dicat Apoſtolus : *Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem. Hæc enim inuicem aduerſantur, vt non ea quæ vultis faciatis.* Non enim ait : *Hæc inuicem aduerſantur*, vt quæ poteſtis facere, nolitis : ſed, *vt non ea quæ vultis faciatis.* Cur ergò *concupiſcencia carnis* (quæ vtique culpabilis atque vitioſa eſt, nihilque eſt aliud quam deſiderium peccati, quod idem Apoſtolus præcipit, *ne regnet, in noſtro mortali corpore* ; vbi ſatis oſtendit eſſe tamen *in noſtro mortali corpore*, quod permittendum non ſit vt regnet.) Cur ergò iſta concupiſcentia non mutata eſt ea voluntate, quam voluntatem ſatis euidenter expreſsit Apoſtolus dicens, *vt non ea quæ vultis faciatis*, ſi *facilè poteſt voluntas voluntate mutari*? Nec ſanè iſto modo naturam, ſiue animæ, ſiue corporis, quam Deus creauit, & quæ tota bona eſt, accuſamus ; ſed eam dicimus propria voluntate vitiatam, ſine Dei gratia non poſſe ſanari. *Iterum*, ait, *quæren-*

Concupiſcentiæ carnis, nihil aliud quàm peccati eſt deſiderium.

Gal. 5. 17.

Rom. 6. 12.

quæren-

rendum est: *Si non potest homo sine peccato esse, cuius culpa est, ipsius ne hominis, an cuiuslibet alterius? Si ipsius hominis; quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest?* Respondetur ideò esse culpam hominis, quòd non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, vt ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit. *Iterum*, ait, *quærendum est*: *Si natura hominis bona est, quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit; quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile? Omne enim peccatum malum esse quis dubitet?* Respondemus: Et naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse. Nam ideò clamamus. *Libera nos à malo*; quod non perficitur, quamdiu *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Sed hoc agitur gratia per fidem, vt aliquando dicatur. *Vbi est mors contentio tua, vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex*: quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem, quæ plena, & perfecta tunc erit, cùm *videbimus facie ad faciem. Et hoc*, inquit, *dicendum est. Certe iustus est Deus, negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum est quicquid non imputabitur in peccatum. Et si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodo iustus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitari non possit?* Respondemus, iam olim contra superbos esse clamatum: *Reatus cui non imputauit Dominus peccatum.* Non enim imputat his qui fideliter ei dicunt. *Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et iustè non imputat, quia iustum est quod ait: *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum est autem, cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quam debet, siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuuatur.

Ratiocinatio 13.

Ratiocinatio 14.

Matth. 6. 13. Sap. 9. 15.

1. Cor. 15. 55. & 56.

Lex quæ re virtus peccati Apostolo dicta.

Ratiocinatio 15.

1. Cor. 13. 12.

Psalm. 31. 2.

Matth. 6. 12.

Matth. 7. 2.

CAPUT VII.

Ratiocinatio 16.

POst hoc ille qui ista conscripsit, introducit personam suam quasi cum altero disputantem, & facit se interrogari, & quasi ab interrogante sibi dici, *Da mihi hominem sine peccato.* Et respondet: *Do tibi qui esse possit.* Et rursus ab interrogante dicitur ei, *Quis est?* Et respondet, *Ipse tu. Quod si dixeris*, inquit, *ego esse non possum; respondendum est, cuius culpa est? Quod si dixeris, mea, dicendum est, Et quomodo tua est, si ipse sine peccato esse non potes?* Iterùm facit se interrogari, & dici sibi: *Tu ipse sine peccato es, qui dicis hominem sine peccato esse posse?* Et respondet; *non sum sine peccato. Cuius culpa est? Quod si dixerit*, inquit, *tua est*, respondendum est: *Quomodo mea, si esse non possum?* Nos respondemus nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum, quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum; sed tantummodo esse posse, respondit; quod neque nos negamus. Quando autem possit, & per quem possit, hoc quæritur. Si enim modo est, non omni animæ fideli positæ in *corpore mortis huius* orandum est, & dicendum: *Dimitte nobis debita nostra*, cum iam in sancto baptismo vniuersa fuerint dimissa præterita. Quisquis autem membris fidelibus Christi hoc non esse orandum persuadere conatur, nihil aliud quam seipsum Christianum non esse profitetur. Porro si per seipsum potest homo esse sine peccato, *ergò Christus gratis mortuus est*: Non autem *gratis Christus mortuus est*: non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuuet *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quod vt perficiatur, & nunc in proficientibus agitur, & omnimodo implebitur contentione mortis absumpta, & charitate, quæ credendo, & sperando nutritur, videndo, & obtinendo perfecta.

Matth. 6. 12.

Gal. 2. 21.

CAPUT VIII.

DEinde instituit diuinis testimonijs agere quod intendit. Quod quale sit, diligentius aduertamus. *Testimonia*, inquit, *quibus probatur præceptum esse homini vt absque peccato sit.* Ad hoc respondemus. Non vtrùm præceptum sit quæritur, quod valde manifestum est; sed ipsum quod præceptum esse constat, vtrùm in *corpore mortis huius*, possit impleri, vbi *caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, vt non ea quæ volumus faciamus.* De quo *corpore mortis huius*, non omnis liberatur qui finit hanc vitam, sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum suscipiat bonis operibus egerit. Aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ huius vltimus cogit; aliud est autem *liberari de corpore mortis huius*, quod sola *Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum*, sanctis, & fidelibus eius impertit. Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ cum hinc exierit quisque perveniet, nisi ad eam cum hic est, esfuriendo, & sitiendo cucurrerit. *Beati* quippè *qui esfuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quando ergo *peregrinantes à Domino per fidem ambulamus, non per speciem* (vnde dictum est, *Iustus ex fide viuit*) hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vbi in specie decoris eius iam plena, & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus, *castigando corpus nostrum, & seruituti subijciendo*, & eleemosynas in dandis beneficijs, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo; & hoc faciendo in doctrina sana, quà ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Hæc est nunc nostra iustitia qua currimus, esfurientes, & sitientes ad perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vt ea postea saturemur. Vnde Dominus in Euangelio cum dixisset: *Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus vt videamini ab eis*, ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur; non est

Ratiocinatio 7.

Gal. 5. 17.

Aliud exire, aliud liberari de corpore mortis huius Plant. eis vitæ æternæ merces nulli redditur nisi qui eius in hac vita meritum sibi cõparauerit.

Rom. 7. 24 & 25.

Matt. 5. 6. 2. Cor. 5. 6. & 7. Abac. 2. 4.

Vitæ huius iustitia.

Matt. 6. 1.

in expositione iustitiæ ipsius executus, nisi tria ista, ieiunium, eleemosynas, orationes: ieiunio scilicet vniuersam corporis castigationem significans; eleemosynis omnem beneuolentiam, & beneficentiam vel dandi, vel ignoscendi: oratione insinuas omnes regulas sancti desiderij; vt quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quæ non frænari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione iustitiæ, vbi nullum erit omnino peccatum, & sæpe in vsu rerum etiam concessarum atque licitarum exerit immoderationem suam: in ipsa vero beneficentia qua iustus consulit proximo, quædam fiunt quæ obsint cum prodesse putata sint, & aliquando per infirmitatem, vel cum minus sufficitur necessitatibus aliorum, vel parum in eis proficit quod benignitatis ac laboris impenditur, surrepit tædium, quo fulcetur hilaritas, in qua *datorem diligit Deus*. Surrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, & tanto minus, quanto magis profecerit. His atque huiusmodi consideratis, merito in oratione dicimus: D*imitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*; si tamen quod dicimus, faciamus, vt vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo paruulus hoc nondum facit; pœnitenti tamen, quod in eum quisque peccauit, & veniam petenti ex intimo cordis ignoscat, si vult vt eius orationem *pater cælestis* exaudiat. In qua oratione si contentiosi esse nolimus, satis nobis propositum speculum est, vbi inspiciatur vita iustorum qui *ex fide viuunt*, & perfectè currunt, quamuis sine peccato non sint. Vnde dicunt. D*imitte nobis* quia nondum quo curritur peruenerunt. Hinc dicit Apostolus: *Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim; fratres, ego me non arbitror apprehendisse; vnum autem, quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis* Dei *in Christo Iesu. Quotquot ergò perfecti hoc sapiamus*: id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur quo perfectè adhuc currimus: *vt cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur*; id est, non iam ex parte sit, sed ex toto: quia fidei, & spei iam res ipsa non quæ credatur, & speretur, sed quæ videatur teneaturque succedet. *Charitas autem* quæ in his tribus *maior est*, non auferetur, sed augebitur, & im-

Iustitia Christiana tribus comprehensa, ieiunio, eleemosynis, & oratione.

Inimico omni salutem pœnitenti, & veniam petenti, ex animo ignoscendũ.

1. Cor. 9. 7.

Matth. 6. 12.

Phil. 3. 12 & seq.

1. Cor. 13. 10.

implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo *ex tota anima* diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamuis *caro concupiscere* dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit iustus sine vllo omnino peccato, quia nulla *lex erit in membris eius repugnans legi mentis eius*; sed prorsus *toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum.* Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergò curramus, vt comprehendamus. Omnes enim qui rectè currunt, comprehendent; non sicut in agone theatrico, *omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* Curramus credendo, sperando, desiderando, curramus *corpus castigando*, & eleemosynas in dandis bonis malisque ignoscendis, hilariter, & ex corde faciendo; & currentium vires vt adiuuentur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

Deut 6.5.

Rom.7.23

Matth.22. 37.& 38.

2. Cor. 9. 24.& 25.

Præcepti dilectionis in futura vita erit omnimoda impletio.

Carnem concupiscere, est animam ipsa carnaliter concupiscere.

CAPUT IX.

HIS præmissis, ea testimonia quæ posuit iste cui respondemus, tanquam nos ea protulerimus, diligenter audiamus. *In Deuteronomio, Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. Item illic, & non erit inconsummatus in filijs Israel. Item saluator in Euangelio, Estote perfecti, quia pater vester qui in cælis est, perfectus est. Item Apostolus ad Corinthios secunda, De cætero fratres gaudete, perfecti estote. Item ad Colossenses, Corripientes omnem hominem, & docentes in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem, perfectum in Christo. Item ad Philippenses, Omnia facite sine murmuratione, & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles, & simplices, sicut filij Dei immaculati. Item ad Ephesios, Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu-Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,*

Deut. 18. 13.

Matth. 5. 48.

2. Cor. 13. 11.

Coloss. 1. 28.

Phil. 2. 14 & 15.

Ephes. 2. 3 & 4.

nem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius: Item ad Colossenses, Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis eius per mortem eius, exhibete vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles. Item ad Ephesios, Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, vt sit sancta, & immaculata. Item ad Corinthios prima, Sobrij estote, & iusti, & nolite peccare. Item in Epistola Sancti Petri, Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ concupiscentijs, sed secundum eum qui vocauit vos sanctum, & ipsi sancti in omni conuersatione sitis, quia scriptum est, Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Vnde, & beatus Dauid dicit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Et alibi, Et ero immaculatus cum eo. Et alibi, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item apud Salomonem, Diligit Dominus sancta corda, accepti sunt autem illi omnes immaculati. Horum testimoniorum aliqua currentes adhortantur, vt perfectè currant, aliqua ipsum finem commemorant quo currendo pertendant, *Ingredi* autem *sine macula* non absurde etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio vbi veraciter dicitur, *Dimitte nobis, sicut, & nos dimittimus*; vt dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, *sine macula*, noster ad perfectionem cursus habeatur: in qua perfectione cùm ad eam peruenerimus, iam non sit omnino quod ignoscendo mundetur.

Coloss. 2. 21 & 22.

Ephes. 5. 27.

1. Cor. 15. 34.

1. Petr. 1. 13. & seq.

Leuit. 19. 2.

Psalm. 14. 1. & 2.

Psalm. 17. 24.

Psal. 118. 1.

Prouer. 12

Ingredi sine macula quis dicatur? Peccata damnabilia, & venialia.

Mat. 6. 12

CAPUT X.

DEinde iſte adhibet teſtimonia quibus oſtendat, non eſſe grauia diuina præcepta. Quis autem neſciat, cùm præceptum ſit generale *charitas*, quia *finis præcepti*
1. Tim. 1. 5. *eſt charitas*, & *plenitudo legis eſt charitas*, non eſſe graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in
Rom. 12. 10. Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; ſed
1. Ioan. 4. 18. *perfecta charitas foras mittit timorem*, & facit præcepti ſarcinam, non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum. Quæ tamen *charitas* vt habeatur, etiam tanta quanta in *corpore mortis huius* haberi poteſt; parum eſt noſtræ voluntatis arbi-
Rom. 5. 5. trium, niſi adiuuet *gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. *Diffunditur* quippe *in cordibus noſtris*, quod ſæpe dicendum eſt, non per nos ipſos, ſed *per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Nec aliam ob cauſam ſcriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima quæ illa grauia ſentit, intelligat, ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta domini qualia commendantur, leuia ſcilicet atque ſuauia; & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis. Qui enim
Pſal. 118. 80. dicit, *Fiat cor meum immaculatum*; Et, *Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum*; Et, *ne dominetur mihi omnis*
Ibid. 133. *iniquitas*; Et, *Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in ter-*
Matth. 6. 10. & 13. *ra*; & *ne nos inferas in tentationem*; & cætera huiuſmodi quæ commemorare longum eſt; hoc vtique orat, vt præcepta Dei faciat: quæ vt fierent nec iuberetur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret; nec oraretur, ſi ſola ſufficeret. Commendantur ergò non eſſe grauia; vt cui grauia ſunt, intelligat nondum ſe accepiſſe donum, quo grauia non ſint; nec arbitretur ea ſe perficere, quando ira facit,
2. Cor. 9. 7. vt grauia ſint, *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Nec tamen cùm ea grauia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur. Audiamus ergò, & in his teſtimonijs quæ deinde poſuit, Deum ſua præcepta non grauia commendantem. *Quod Dei manda-*
Deut. 10. 9. & ſeq. *ta*, inquit, *non modo impoſsibilia non ſint, verum ne grauia quidem. In Deuteronomio*; *Et convertetur Dominus Deus tuus epulari in te ſuper bonis, ſicut epulatus eſt ſuper patres tuos,*

Quibus grauia ſint vel nõ ſint Dei præcepta.

Grauia nõ eſſe Dei præcepta, cur ſcriptura commemoret.

Præceptum liberi arbitrij eſt argumentum; oratio gratia.

ſi

si audieritis vocem Domini Dei vestri, custodire & facere omnia mandata eius, & iustitias, & iudicia quæ scripta sunt in libro legis huius: si conuersus fueris ad Dominum *Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est graue, neque longè à te est: non est in cælo, vt dicas, quis ascendet in cælum, & accipiet illud nobis, & audientes faciamus? Non est trans mare, vt dicas, quis transfretabit mare, & accipiet illud nobis, & audientes faciamus? Iuxta te est enim verbum in ore tuo, in corde, & in manibus tuis facere illud. Item* Dominus *in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Item in Epistola Sancti Ioannis: Hæc est charitas* Dei, *vt mandata eius obseruemus, & mandata eius grauia non sunt.* His auditis legitimis, & Euangelicis, & Apostolicis testimonijs ædificemur ad gratiam, quam non intelligunt, qui *ignorantes* Dei *iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ* Dei *non sunt subiecti.* Si enim non intelligunt illud ex Deuteronomio, quemadmodum Apostolus Paulus commemorauerit, vt *corde credatur ad iustitiam, ore autem fiat confessio ad salutem*; quia *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus*; isto certè Ioannis Apostoli testimonio, quod ad istam sententiam posuit vltimum, vbi ait, *Hæc est charitas* Dei, *vt mandata eius seruemus, & mandata eius grauia non sunt*; debent vtique commoneri, *charitati* Dei non esse graue mandatum Dei, quæ non nisi *per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris*, non per arbitrium humanæ voluntatis; cui plus dando quàm oportet, *ignorant iustitiam* Dei: quæ tamen charitas tunc perfecta erit, cùm pœnalis timor omnis abscesserit.

Matth. 11. 28. *& seq.*

1. *Ioan.* 5. 3.

Rom. 10. 3.

Ibid. 10.

Matth. 9. 19.

Proponuntur scripturæ, quas sibi à Catholicis obiectas Celestius alijs scripturis conatur eludere.

CAPUT XI.

Prima scriptura.

POst hæc proposuit testimonia quæ contrà eos dici solent, nec ea soluit; sed commemorando quasi contraria, quæstiones arctiùs illigauit. Ait enim: *Testimonia scripturarum quæ è diuerso ponenda sunt his, qui arbitrij libertatem, vel non peccandi possibilitatem imperitè existimant*

mant se scripturarum authoritate posse destruere. Objicere
Iob 14. iuxta 70. *enim solent*, inquit, *quod sanctus Iob dixerit, Quis mundus est à peccato? Nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Deindè quasi respondet huic testimonio alijs
Iob 12. iuxta 70. testimonijs, *quod ipse Iob dixerit, Iustus enim vir, & sine querela, factus sum in derisum.* Non intelligens posse dici hominem iustum, qui perfectioni iustitiæ plurimum accessit, ita vt ei proximus fieret; quod multos etiam in hac vita potuisse, in quâ *ex fide viuitur*, non negamus. Hoc & illo testimonio confirmatur, quod iste consequenter adiunxit ab eodem Iob dictum, *Ecce ipse proximus*
Iob 13. iuxta 70. *sum iudicio meo, scio quia iustus inueniar.* Hoc enim est
Psal. 36. iudicium, de quo alibi dicitur, *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum velut meridiem.* Denique non dixit, ibi sum, sed *proximus sum.* Quod si *iudicium* suum illud intelligi voluit, non quo ipse iudicauit, sed quo in fine est iudicandus; iusti in illo iudicio inuenien-
Mat. 6. 12 tur omnes, qui non fallaciter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Per hanc enim dimissionem iusti inuenientur, eo quòd ea quæ hic habebant peccata, eleemosynis deleuerunt. Vnde
Luc. 11. 14. Dominus dicit, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Denique hoc dicetur iustis in regnum prom-
Matt. 25. 35. sum ituris, *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*: & cætera huiusmodi. Sed aliud est, esse sine peccato, quod de solo in hac vita vnigenito dictum est; aliud esse *sine querela*, quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit: quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conuersatione, iuxta querela esse non possit. Quis enim iustè queritur de homine, qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter consulit; nec contra cuiusquam iniurias tenet libidinem vindicandi, vt
Matt. 6. 12. veraciter dicat, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et tamen eo ipso quòd verum dicit, *Dimitte, sicut & nos dimittimus*; sine peccato se non esse declarat. Inde
Iob 16. 18 est quod dicit, *Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea.* Hinc enim erat *munda oratio*, quia veniam non iniustè petebat qui veraciter dabat, & quòd
Iob 9. 17. dicit de Domino, *Multas enim contritiones meas fecit sine*
Iob 6. 2. *causa*: non ait, nullas fecit cum causa; sed *multas sine causa.* Non enim propter multa peccata eius, *factæ sunt* ei *multæ contritiones*; sed propter probationem patientiæ.

Nam

Nam propter peccata, sine quibus, vt alibi confitetur, non fuit, pauciora se pati debuisse iudicat. Item quod dicit, *Vias enim eius custodiui, & non declinaui à mandatis eius, neque discedam.* Custodit vias Dei qui non sic exorbitat, vt eas relinquat, sed in eis currendo proficit: & si aliquando vt infirmus offendit aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perueniat vbi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi *custodiendo vias eius.* Declinat autem *à mandatis Domini* atque discedit apostata; non ille qui etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseuerantiam non relinquit, donec eò perueniat, vbi nulla cùm morte contentio remanebit. In isto ergò conflictu induimur ea iustitia qua hic *ex fide viuitur*, & ea quodammodo loricamur. Assumimus quoque *iudicium*, quod etiam contra nos pro nobis facimus, quando peccata nostra accusando damnamus: vnde scriptum est: *Iustus ipse sui accusator est in primordio sermonis.* Hinc item dicit, *Iustitia vestitus eram, & circumdedi mihi iudicium, sicut chlamydem*: nam, & ista vestis belli magis solet esse quàm pacis, vbi adhuc expugnatur concupiscentia, non vbi erit plena sine aliquo prorsus hoste iustitia, nouissima inimica morte destructa. Quod autem iterùm ait idem sanctus Iob, *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: tunc nos in ista vita in qua *ex fide viuimus, non reprehendit cor nostrum*, si eadem fides qua *corde creditur ad iustitiam*, non negligit reprehendere peccatum nostrum. Vnde dicit Apostolus, *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago.* Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonum vult *iustus*, qui *ex fide viuit*; & tamen *facit quod odit*, quia concupiscit, quamuis *post concupiscentias suas non eat.* Quod si fecerit, tunc verè ipse fecit vt cedat, vt consentiat, vt desiderio peccati obediat. Tunc * eum cor eius reprehendit, quia ipsum reprehendit, non illud *peccatum* eius, *quod habitat in membris eius.* Cùm verò non sinit *regnare peccatum in suo mortali corpore ad obediendum desiderijs eius, nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato*; *in est* quidem *peccatum in membris eius*, sed *non regnat*, quia non *obeditur desiderijs eius.* Et ideò dùm *quod non vult agit*, id est, non vult concupiscere & concupiscit; *consentit legi, quia bona est.* Hoc enim vult & ipse quod lex: quia vult & ipse non concupiscere; &

Custodire vias Domini quis dicatur. — *Iob 23. 11*

Declinare & discedere à vijs Domini quid.

Prou. 18. 17. — *Iob 29. 14*

Reprehendere, vel non reprehendere quando nos cor nostrũ dicatur. — *Iob 27. 6.*

Rom. 7. 15. — *Abac. 2. 4.* — *Eccl. 18. 30.*

* *Plant. enim.*

Rom. 6. 12. & 13. — *Rom. 7. 16.*

lex

lex dicit, *Non concupiſces.* In hoc quoniam vult, quod
Exod. 20. 17. & lex vult, proculdubiò *conſentit legi*: concupiſcit tamen, quia non eſt ſine peccato; ſed iam *non ipſe operatur illud, ſed id quod in illo habitat peccatum.* Ideò *non*
Rom. 7. 17. *ipſum reprehendit cor eius in omni vita eius*; hoc eſt in fide eius, quia *iuſtus ex fide viuit*: & ideò fides eius eſt
Ibid. 18. vita eius. *Scit enim quia non habitat in carne eius bonum*, vbi *habitat peccatum*; ſed non ei conſentiendo *viuit ex fide*, quà inuocat Deum vt adiuuetur pugnans contra peccatum; quod vt omnino ibi non ſit, *adiacet ei velle, ſed*
Ibid. *perficere bonum non adiacet*: non facere bonum non *adiacet*, *ſed perficere.* Nàm in eo quòd non conſentit, bonum facit; & in eo quòd odit concupiſcentiam ſuam, bonum facit; Et in eo quòd eleemoſynas facere non ceſſat, bonum facit; & in eo quòd illi qui in eum peccat ignoſcit, bonum facit; & in eo quòd petit *ſibi dimitti debita ſua*, & veraciter dicit, quòd *dimittit* etiam ipſe *debitoribus ſuis*, & orat vt *non inferatur in tentationem, ſed liberetur a malo*, bonum facit: ei tamen *perficere bonum non adiacet*, quod tunc erit quando illa concupiſcentia quæ *habitat in membris eius*, nulla erit. *Non ergò eum reprehendit cor eius*; quando reprehendit *peccatum quod habitat in membris eius*, & non habet quam reprehendat infidelitatem eius. Ita nec in vita ſua, id eſt, in fide ſua, à corde ſuo reprehenditur, & ſine peccato non eſſe conuincitur. Quod
Iob 14. 16 & 17. & ipſe Iob de ſe confitetur vbi dicit: *Nihil te latuit peccatorum meorum. Signaſti iniquitates meas in ſaculo, & annotaſti ſi quid inuitus tranſgreſſus ſum.* Teſtimonia ergo quæ poſuit de verbis ſancti viri Iob, nos ſicut potuimus, quemadmodum ſint accipienda monſtrauimus. Nec tamen ille ſoluit, quod eumdem Iob dixiſſe propoſuit; *Quis enim*
Iob 26 *iuxta* 70. *mundus eſt à peccato? Nec infans cuius eſt diei vnius vita ſuper terram.*

Bonum quãdo perficietur.

CAPUT XII.

Pſ. 115. 2. ITerum *proponere ſolent*, inquit, *Omnis homo mendax.* Neque hoc contra ſeipſum à ſeipſo propoſitum ſoluit, ſed commemorando alia velut contraria teſtimonia, apud eos qui non intelligunt ſanctam Scripturam, diuina eloquia in lite dimiſit. Ait enim: *Quibus reſpondendum eſt, quod*

Secunda ſcriptura.

quod in Numeri libro ſcriptum eſt, Homo verax. Et de ſancto Iob legitur ita: Erat vir habitans in regione Auſitide, nomine Iob, verax, ſine crimine, iuſtus, Dei cultor, abſtinens ſe ab omni re mala. Miror quod auſus eſt ponere hoc teſtimonium, vbi dictum eſt, *abſtinens ſe ab omni re mala*, cùm hoc ab omni peccato vellet intelligi; cùm ſuperiùs dixerit, peccatum actum eſſe, non rem. Reminiſcatur ergò quia etiam ſi actus ſit, res poteſt dici. *Abſtinet ſe* autem *ab omni re mala*, qui peccato, ſine quo non eſt, vel nunquam omnino conſentit, vel ſi aliquando premitur, non opprimitur, ſicut luctator fortior; & ſi aliquando tenetur, non ideò perdit quo ſuperior inuenitur. Legitur ſanè homo *ſine crimine*, legitur *ſine querela*; at non legitur ſine peccato, niſi filius hominis, vnus idemque Dei filius vnicus. *Item*, inquit, *apud ipſum Iob; Et miraculum tenuit veracis hominis. Item apud Salomonem de ſapientia: Viri mendaces non erunt illius memores; viri autem veraces inueniuntur in illa. Item in Apocalypſi; & in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium; ſine macula ſunt.* Ad hæc & nos reſpondemus, admonentes, quomodò dicendus ſit *homo verax* per Dei gratiam atque veritatem, qui per ſeipſum ſine dubio mendax eſt. Vnde dictum eſt: *Omnis homo mendax.* Hoc, teſtimonium ſonat de ſapientia quod ipſe poſuit. *Viri autem veraces inuenientur in illa*: qui proculdubio non *in illa*, ſed in ſeipſis *inuenientur eſſe mendaces.* Sicuti eſt, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Cùm diceret, *tenebræ*, non addidit *in Domino*: cum autem dixiſſet, *lux*, addidit vtique *in Domino*: quia in ſeipſis *lux* eſſe non poſſent, *vt qui gloriatur in Domino glorietur.* Illi verò in Apocalypſi propterea tales dicti ſunt, quod *non ſit inuentum in ore eorum mendacium*, quia non *dixerunt ſe non habere peccatum*: quod ſi dicerent, *ſeipſos deciperent, & veritas in eis non eſſet.* Porrò ſi *veritas in eis non eſſet, inueniretur in ore eorum mendacium.* Quòd ſi propter inuidiam, cum eſſent ſine peccato, dicerent, ſe non eſſe ſine peccato; hoc ipſum eſſet mendacium, falſum eſſe quod dictum eſt: *Non eſt inuentum in ore ipſorum mendacium.* Ideò ergo *ſine macula ſunt*, quia *ſicut ipſi dimiſerunt debitoribus ſuis*, ſic illis Deo dimittente mundati ſunt. Ecce nos, vt valuimus, expoſuimus quomodò accipienda eſſent teſtimonia, quæ pro ſua cauſa commemorauit. Ipſe autem

Num. 25. iuxta 70. Iob 1. 1.

Cap. 2.

Abſtinere ab omni re mala, quis dicatur.

Eccl. 15. 8

Apo. 14. 5

Pſ. 115. 2.

Epheſ. 5. 8

1. Cor. 1. 31.

1. Ioan. 1. 8.

autem quomodò sit accipiendum quod scriptum est, *Omnis homo mendax* omnino non soluit; nec soluere poterit, nisi correcto errore, quo credit hominem sine adiutorio gratiæ Dei, per solam propriam voluntatem posse esse veracem.

Ps.115.2.

CAPUT XIII.

Tertia scriptura.

SIc aliam quæ sequitur quæstionem proposuit, nec soluit; imò verò auxit, & difficiliorem reddidit, proponendo aduersum se prolatum testimonium; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*: & quasi contraria testimonia referendo, quibus ostenderet esse homines *qui faciunt bonum.* Quod quidem ostendit; sed aliud est, non facere bonum; aliud, non esse sine peccato, etiamsi homo faciat multa bona. Quapropter ea testimonia quæ posuit, non sunt contra illud quòd dicitur, non esse in hac vita hominem sine peccato. Ipse autem non ostendit quemadmodum dictum sit; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Ait enim sanctus Dauid*, inquit, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Hoc præceptum est, non factum. Quod præceptum non vtique faciebant de quibus dictum est; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Ait *etiam dixisse sanctum Tobiam*; *Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.* Verissimè tunc erunt homini multa bona cùm *recesserit ab omni peccato.* Tunc enim nulla erunt mala, vt non opus habeat dicere; *Libera nos à malo.* Quamuis & nunc omnis qui proficit recta intentione proficiens, *recedit ab omni peccato*, & tanto inde fit loginquior, quanto plenitudini iustitiæ perfectionique propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est *peccatum habitans in carne nostra*, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergò *recedere ab omni peccato*, quod nunc in opere est; aliud, recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit. Sed tamen & qui iam recessit, & qui adhuc recedit, non est negandus facere bonum. Quomodò ergò dictum est; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*; quod ille proposuit & non solutum reliquit; nisi quia

Psal.13.3

Psal.36.3

Tob.4.23.

Mat.6.13

Aliud recedere, aliud recessisse ab omni peccato.

Non est qui faciat bonum, de quibus intelligendū.

Psal.13.3

populum quemdam psalmus ille culpat, in quo *nec vnus erat qui faceret bonum*, dùm volunt remanere filij hominum, & non esse filij Dei, cuius gratia homo bonus, vt *fiat bonum*? De illo enim *bono* dictum hic debemus accipere, quod ibi ait: *Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum.* Hoc ergò *bonum*, quod est *requirere Deum non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum*; sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim *respexit* Dei præscientia, protulitque sententiam. *Ibid.* 2.

CAPUT XIV.

Quarta scriptura.

ITem *dicunt*, inquit, *illud quod Saluator ait: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hanc item propositionem omnino non soluit; sed oppositit velut ex aduerso alia testimonia, quibus probaret esse, & hominem bonum: Dixit enim *esse respondendum quod idem Dominus alibi ait; bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Et iterum; Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Et alibi scriptum est*, inquit, *Bona bonis creata sunt ab initio. Et iterum; Qui sunt boni, erunt habitatores terræ.* Cui sic respondendum est, vt & illud intelligatur quomodò dictum sit, *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Siue quia omnia quæ creata sunt, quamuis ea Deus *fecerit bona valde*, creatori tamen comparata, nec bona sunt; cui comparata, nec sunt. Altissimo quippe & proprio modo quodam de seipso dixit, *Ego sum qui sum*: sicut dictum est, *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Quemadmodum de Ioanne dictum est, *Non erat ille lumen*; cùm Dominus eum dicat *lucernam esse*; sicut discipulos, quibus dixit, *Vos estis lumen mundi. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*: sed in comparatione luminis illius, quod *est verum lumen, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; non erat ille lumen.* Siue quia ipsi etiam filij Dei comparati sibi ipsis quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, vt adhuc & mali sint. Quod de illis dicere non auderem (Quis enim audeat dicere malos esse, quorum pater est Deus) nisi ipse Dominus diceret: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis pater vester, qui*

Bonus quomodò solus Deus.

Lux & lumen.

Luc. 8. 19. *Matt.* 12. 35. *Ibid.* 5. 45. *Eccl.* 39. 30. *Prov.* 2. 21. *Marc.* 10. 18. *Exod.* 3. 14. *Ioan* 1. 8. *Ioan.* 5. 35 *Matt.* 5. 14. & 15. *Mat.* 7. 11.

in

in cælis est, dabit bona petentibus se? Cùm ait vtique *pater vester*, filios Dei esse iam monstrauit, quos tamen adhuc *malos esse* non tacuit. Ille tamen non soluit, quomodo, & isti boni sint, & *nemo* sit *bonus, nisi vnus Deus*: vnde est ille admonitus qui interrogauerat quid boni faceret, vt illum quæreret cuius gratia bonus esset, cui bonum esse, hoc est ipsum esse, quia incommutabiliter bonus, & non potest omnino malus esse.

Deo bonũ esse, est ipsum eius esse.

Marc. 10. 17.

CAPUT XV.

Quæstio scripturæ.

Prouer. 20. 9.

ITem dicunt, inquit, *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Et ad hoc respondit multis testimonijs, volens ostendere posse esse in homine *castum cor*: nec tamen dicit quomodo accipiendum sit, quod proposuit contra se dici: *Quis gloriabitur castum se habere cor*; ne scriptura diuina in hoc testimonio, & his per quæ respondit, sibi ipsa aduersari videatur. Nos autem huic respondentes dicimus ideò secutum esse, *quis gloriabitur castum se habere cor*, quoniam præcessit, *cum rex iustus sederit in throno*, quantalibet enim iustitia sit præditus homo cogitare debet ne aliquid in illo quod ille non videt inueniatur esse culpandum, *cùm Rex iustos sederit in throno*, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est: *Delicta quis intelligit? Cum ergo rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor?* Aut *quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Nisi fortè isti qui volunt in sua iustitia, non in ipsius iudicis misericordia gloriari. Tamen etiam illa vera sunt quæ respondendo subiecit, quod Saluator ait in Euangelio, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: Et quod Dauid dicit: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco Sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde*: Et alibi, *Benefac Domine bonis, & rectis corde.* Item apud Salomonem; *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Item illic. *Auerte te à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Item in Epistola Ioannis. *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus, accipiemus ab eo.* Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, iniurias ignoscendo, instan-

Ibid. 3.

Psalm. 18 13.

Matt. 5 8. Psalm. 23 3. & 4. Psal. 124. 4. Eccl. 13. 30. Ibid. 38. 10. 1. Ioan. 3. 21. & 22.

ſtanter orando, & proficiendi vires præcando, veraciterque dicendo, *Dimitte nobis, ſicut, & nos dimittimus, & ne inferas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.* Hoc prorſus agitur vt cor mundetur, & peccatum omne tollatur, & quod *rex iuſtus cum in throno ſederit*, occultum inuenerit minuſque mundatum, eius miſericordia remittatur, vt Deo videndo totum ſanum mundumque reddatur. *Iudicium enim ſine miſericordia, ſed illi qui non fecit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia iudicio.* Quod ſi non eſſet, quæ ſpes eſſet? Quandoquidem *cùm rex iuſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor*, aut quis *gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato?* *Tunc* ergò per eius miſericordiam *iuſti* plene perfecteque mundati, *fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui.* Tunc plena atque perfecta erit. *Eccleſia, non habens maculam aut rugam aut aliquid huiuſmodi*, quia etiam tunc erit verè *glorioſa.* Cùm enim non tantum ait, *vt exhiberet ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam*; ſed addidit, *glorioſam*: ſatis ſignificauit, quando erit *ſine macula, & ruga aut aliquid huiuſmodi*, tunc vtique quando *glorioſa.* Non enim modo in tantis malis, in tantis ſcandalis, in tanta permixtione hominum peſsimorum, in tantis opprobrijs impiorum dicendum eſt eam eſſe *glorioſam*, quia reges ei ſeruiunt, vbi eſt periculoſior maiorque tentatio; ſed tunc potius *glorioſa* erit, quando fiet, quod idem ait Apoſtolus. *Cum Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc, & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Cùm enim Dominus ipſe ſecundum *formam ſerui*, per quam ſe *mediator* coniunxit Eccleſiæ, non fuerit glorificatus niſi reſurrectionis gloria (Vnde dictum eſt, *Spiritus non erat datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus*) quomodo dicenda eſt ante reſurrectionem ſuam, Eccleſia eius eſſe *glorioſa*? Mundat ergo eam nunc lauacro aquæ in verbo abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum: deinde perficiens eius ſanitates, facit eam occurrere in illam *glorioſam, ſine macula, & ruga. Quos enim prædeſtinauit, illos, & vocauit, & quos vocauit, ipſos, & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos, & glorificauit.* In hoc myſterio dictum arbitror, *Ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & creas, & tertia die conſummor*, id eſt perficior. Dixit enim hoc ex perſona corporis ſui, quod eſt Eccleſia Dei: ponens pro diſtinctis ordinatiſque temporibus,

Iacob. 2. 13.

Matth. 13. 43.

Epheſ. 5. 27.

Coloſ. 3. 4.

Ioan. 7. 39.

Rom. 8. 30.

Luc. 13. 32.

Corde rectus, & mundus qui differant.

bus, quod & in ſua reſurrectione ſignificauit in triduo. Puto autem intereſſe inter rectum corde, & mundum corde. Nam, & rectus corde *in ea quæ ante ſunt extenditur, ea quæ retro ſunt obliuiſcens*, vt recto curſu, id eſt recta fide atque intentione perueniat, vbi habitet *mundus corde*. Sicut illa ſingula reddenda ſunt ſingulis, vbi dictum eſt: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Innocens manibus aſcendet, & mundus corde ſtabit.* Illud in opere eſt, iſtud in fide. Et illic magis intelligendum quod dictum eſt: *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia.* Tunc enim erit verè *bona ſubſtantia*, id eſt veræ diuitiæ, cum tranſierit tota paupertas, id eſt cum conſummata fuerit omnis infirmitas. Nunc verò *auertat ſe* homo *à delicto*, cùm proficiendo inde diſcedit, & *renouetur de die in diem*, & *dirigat manus* in opera miſericordiæ, & *ab omni delicto mundet cor ſuum*, miſereatur, vt quod reſtat, per veniam dimittatur. Hoc enim ſalubriter, & ſine vana inanique iactantia bene intelligitur in eo, quod dixit Sanctus Ioannes: *Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus ab eo accipiemus.* Hoc enim videtur iſto loco admonuiſſe, *ne cor noſtrum nos* in ipſa oratione, & petitione *reprehendat*; hoc eſt, ne fortè cum cœperimus dicere: *Dimitte nobis, ſicut, & nos dimittimus*, compungamur non facere quod dicimus; aut etiam non audeamus dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

Philip. 3. 13.

Pſalm. 23. 3. & 4.

Eccl. 13. 30.

Ibid. 38. 10.

1. *Ioan.* 3. 21. & 22.

CAPUT XVI.

Eccl. 7. 21.

ITem ſibi oppoſuit teſtimonium ſanctarum ſcripturarum, quod eis dici ſolet, *Quia non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et quaſi reſpondit alijs teſtimonijs, quia *Dominus de Sancto Iob ait, Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob? Non enim eſt ei ſimilis quiſquam in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni malo.* Vnde iam ſuperius diſſeruimus. Nec tamen ipſe oſtendit nobis quomodo, & Iob, ſi hæc verba ita intelligenda ſunt, ſine vllo peccato fuerit in terra, & verum ſit quod ſcriptum eſſe dixit, *Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet.*

Iob. 1. 8.

CA-

CAPUT XVII.

Sexta scriptura.

ITem dicunt, inquit, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et huic testimonio quasi respondit ad nihil aliud, nisi vt scripturæ sanctæ inter se litigare videantur: quarum concordiam nos debemus ostendere. Ait enim, *quibus respondendum est quod de Sancto Zacharia, & Elizabeth Euangelista testatur*, dicens, *Erant autem Zacharias, & Elizabeth vxor eius iusti ambo in conspectu Domini, & in omnibus mandatis eius incedentes, & iustificationibus Domini sine querela.* Qui *iusti ambo* vtique legerant inter ipsa mandata, quemadmodum sua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de *omni Sacerdote de hominibus accepto* in epistola ad Hebræos dicitur, etiam pro suis peccatis vtique hostias offerebat. Quomodo autem intelligendum sit quod dicitur, *sine querela*, iam supra satis, quantum opinor, ostendimus. *Et Beatus*, inquit, *Apostolus ait, Vt simus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Hoc agitur, vt hoc simus; si *immaculati* intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt. Si autem *immaculati sunt* qui sunt *sine crimine*, etiam in hac vita fuisse atque esse negare non possumus: quia non ideò sine vllo peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Vnde, & Apostolus cum ministros eligeret ordinandos, non ait, si quis sine peccato, quod inuenire non posset, sed ait; *Siquis sine crimine*, quod vtique posset. Nec tamen ipse ostendit quemadmodum secundum suam causam debeamus accipere, quod scriptum est: *Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Aperta quippe sententia est de superiore versu illustrius declarata: *Non intres*, inquit, *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Iudicium* timet, quia *misericordiam* desiderat, quæ *superexaltat iuditio.* Hoc est enim *ne intres in iudicium cum seruo tuo*, noli me iudicare secundum te qui es sine peccato, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*: quod de hac vita dictum sine difficili quæstione intelligitur. Et quod ait, *non iustificabitur*, ad illam perfectionem iustitiæ retulit quæ in hac vita non est.

Cap. 11. Immaculati esse qui dicuntur.

In conspectu Dei quo modo nemo iustificetur.

Psal. 145. 2.

Luc. 1. 6.

Heb. 5. 3.

Ephes. 1. 4.

Tit. 1. 9.

Psal. 142. 2.

CA-

CAPUT XVIII.

Septima scriptura.

ITem *dicunt*, inquit, *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. 9. Et huic euidentissimo testimonio quasi contrarijs testimonijs respondere conatus est, quod *idem Sanctus Ioannes in eadem epistola dicat: Hoc autem dico fratres vt non peccetis. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. Item illic: Qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio Dei conseruat eum, & malignus non tanget eum. Item illic*, inquit, *vbi de saluatore ait, quoniam ille apparuit, vt peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum nec cognouit eum. Item illic, Charissimi, nunc filij Dei sumus, nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & omnis qui habet spem hanc in eum, sanctificat se sicuti, & ipse sanctus est.* Et tamen cum hæc omnia testimonia vera sint, verum est, & illud quod proposuit, & non soluit: *Quod si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ac per hoc, secundum id quod ex Deo nati sumus, & in eo *qui apparuit vt peccata tolleret*, id est in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quod *interior homo renouatur de die in diem.* Secundum autem quod de homine illo nati sumus, *per quem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt*, sine peccato non sumus: quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renouatione, quæ fit *de die in diem*, quoniam secundum ipsum ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus, cuius reliquijs in homine manentibus interiore, quamuis *de die in diem* minuantur in proficientibus, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quomodo enim verum est. *Omnis qui peccat non vidit eum, neque cognouit eum*; cum secundum visionem, & cognitionem quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundum autem visionem atque cognitionem quæ est in fide, multi sunt qui peccent; certe

1. Ioan. 1. 9.

Ibid. 5. 18

Ibid. 3. 5. & 6.

Ibid. 2. & 3.

1. Ioan. 1.

2. Cor. 4. 16.

Rom. 5. 12

1. Ioan. 3. 6.

Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quo sensu dictum.

Omnis qui peccat quo modo non viderit neque cognouerit Deū.

tè ipſi apoſtatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt; vt de nullo eorum dici poſsit, ſecundum viſionem, & cognitionem quæ adhuc in fide eſt, *non vidit eum neque cognouit eum*? Sed intelligendum arbitror, quia renouatio perficienda videt, & cognoſcit; infirmitas vero abſumenda non videt, neque cognoſcit eum. In cuius quantiſcunque reliquijs conſtitutis interius, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Cum ergo per gratiam renouationis *filij Dei ſimus*, tamen propter reliquias infirmitatis *nondum apparuit quod erimus ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior vlla remanebit, *& omnis qui habet hanc ſpem in eum, ſanctificat ſeipſum ſicut, & ipſe ſanctus eſt. Sanctificat* enim ſe non per ſe ipſum, ſed credendo in illum, & inuocando illum qui ſanctificat ſanctos ſuos. Cuius ſanctificationis perfectio, quæ nunc proficit, & creſcit *de die in diem*, omnes infirmitatis reliquias ablatura eſt.

CAPUT XIX.

Octaua ſcriptura.

ITem dicunt, inquit, *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt* Dei. Quibus reſpondendum eſſe dicit, *quod idem Apoſtolus alibi de quodam ait, Quod vult faciat. Item*, inquit, *ad Philemonem de Oneſimo, Quem ego volueram apud me detinere, vt pro te mihi miniſtraret; ſed ſine conſilio tuo nihil volui facere, vt non quaſi ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Item in* Deuteronomio, *Vitam, & mortem dedit ante faciem tuam, bonum, & malum, elige vitam vt viuas. Item apud Salomonem*, Deus *ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui: adiecit ei præcepta, & mandata; ſi voles, præcepta ſeruabunt te, & in poſterum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod vis porrige manum tuam. Ante* Dominem *bonum & malum, vita & mors, paupertas & honeſtas à* Domino Deo *ſunt. Item apud Eſaiam: Et ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ manducabitis: Si autem nolueritis nec obaudieritis me, gladius vos comedet: Os enim* Domini *locutum eſt hæc.* Hic verò quantumlibet iſti ſe obtegant, aperiuntur. Declarant enim ſe contra

Rom. 9. 16. *1. Cor.* 7. 36. *Phil.* 13. & 14. *Deut.* 30. 15. & 19. *Eccl.* 15. 14 & ſeq. *Eſai.* 1. 19 & 20.

contrà Dei gratiam vel misericordiam disputare, quam
Mat. 6. 10 & 13. volumus impetrare cùm dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, ita & in terra*: vel, *ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Vt quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si *volentis* hominis, & *currentis*, & non *miserentis est Dei*? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi diuinitus
Luc. 11. 9. adiuuetur. Hæc est fidei sanitas quæ nos facit *quærere* vt inueniamus, *petere* vt accipiamus, *pulsare* vt aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus quam sermonibus meis. Videte tamen obsecro quale sit, ideò *volenti & currenti* misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam præuenit, vt curreret, quia de quodam
1. Cor. 7. 36. ait Apostolus, *Quod vult faciat.* Ibi vt arbitror, vbi sequitur, & dicit, *Non peccat, si nubat.* Quasi pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur. Aut vero etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus prouidentia, quà gubernat omnia,
Phile 14. marem fœminamque coniungat. Aut quoniam *ad Philemonem scripsit Apostolus, vt non quasi ex necessitate bonum eius*
Phil. 2 13 *esset, sed voluntarium*: quasi aliter sit *voluntarium bonum*, nisi cum *Deus operatur in nobis, & velle & operari pro bona*
Deut. 30. 19. *voluntate.* Aut quia *in Deuteronomio scriptum est, Vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum*; & admonuit vt *eligeret vitam*: quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat; vel aliquid prodesset *eligere vitam*, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, & electam habe-
Psalm. 29. 6. re præstaret. De quo dictum est: *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Aut quia dictum est;
Eccl. 15. 16. *Si voles, præcepta seruabunt te*: quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit; qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset. Positis ante hominem *igne & aqua*, quo vult quidem *porriget manum*, sed altior est qui vocat altius quam omnis humana cogitatio. Quandoquidem initium corrigendi cor fides est, sicut
Cant. 4. iuxta 70 scriptum est: *Venies & pertransibis ab initio fidei*, & quisquis ita elegit bonum, *sicut vnicuique Deus partitus est*
Rom. 12. 3. *mensuram fidei*, Et *nemo potest ad me venire*, ait princeps fidei, *nisi pater meus qui misit me, traxerit eum.* Quod
Ioan. 6. 44 de fide dictum esse qua in eum creditur, satis euidenter

Ibid. 64. 65. & 66. postea explanat, vbi dicit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; sed quidam sunt ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis eum traditurus esset, & dicebat, Propterea dixi vobis quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Magnum autem aliquid pro sua causa se inuenisse arbitratus est apud Esaiam Prophetam, quia Deus

Esai. 1. 19 & 20. dixit: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis: Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet. Os enim domini locutum est hæc.* Quasi non lex tota huiusmodi conditionibus plena sit: aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia *lex prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est.* Vnde *subintrauit vt abundaret delictum, & vbi abundauit delictum, superabundauit gratia*; id est, vt acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confidens, in quibus deficiens, & factus etiam prævaricator, liberatorem saluatoremque requireret; atque ita eum timor legis humilem factum tanquam *pædagogus* ad fidem

Gal. 3. 19. Rom. 5. 20.

Promissa Dei conditionata.

Psal. 15. 4 gratiamque perduceret. Ita *multiplicatis infirmitatibus postea acceleraverunt*, quibus sanandis opportune Christus aduenit. In cuius gratiam etiam iusti antiqui crediderunt, eadem ipsa gratia eius adiuti, vt gaudentes eum prænoscerent, & quidam etiam prænunciarent esse venturum; vel in illo populo Israel sicut Moyses, & Iesus Naue, & Samuel, & Dauid, & cæteri tales; vel extra ipsum populum, sicut Iob; vel ante ipsum populum, sicut Abraham, sicut Noe, & quicumque alij sunt, quos vel commemorat vel tacet diuina scriptura. *Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, sine cuius gratia nemo à condemnatione liberatur, siue quam traxit ex illo, *in quo omnes peccauerunt*, siue quam postea suis iniquitatibus addidit.

Antiqui iusti, & ipsi per Christi gratiam saluati.

1. Tim. 2. 5.

CAPUT XX.

QUale est autem quod iste posuit in extremo: *Si quis dixerit, potest fieri, vt homo vel verbo non peccet? Respondendum est*, inquit, *Si vult* Deus, *potest; vult enim Deus, ergo potest.* Item ait: *Si quis dixerit, fieri potest, vt homo cogitatione non delinquat? Respondendum est: Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest.* Videte quemad-

quemadmodùm nòluit dicere, si Deus adiuuet, potest; cui dicitur, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Non vtique ad corporalia bona capessenda, & mala cauenda, sed ad gerendam perficiendamque iustitiam; propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec adiuuatur, nisi qui & ipse aliquid agit; adiuuatur autem si inuocat, si credit, si *secundùm propositum vocatus est; quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; Quos autem prædestinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, illos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Currimus ergò cùm proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit: sicut etiam cicatrix currere dicitur, quando bene vulnus diligenterque curatur, vt ex omni parte perfecti sine vlla simus omnino infirmitate peccati, quod non solùm vult Deus, verùmetiam vt impleatur facit atque adiuuat. Et hoc nobiscum agit *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, non solùm præceptis, sacramentis, exemplis; sed & *Spiritu sancto*, per quem latenter *diffunditur charitas in cordibus nostris, qui interpellat gemitibus inenarrabilibus*, donec in nobis perficiatur sanitas, & Deus sicut videndus est in æterna veritate monstretur.

Psal. 26. 9

Mat. 6. 13

Adiuuatur nemo nisi qui & ipse aliquid agit.

Rom. 8. 29 & 30.

Cursus profectus est.

Rom. 5. 5.

Rom. 8. 26.

CAPUT XXI.

Conclusio operis.

QUisquis ergò fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto *vno mediatore Dei, & hominum*, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum; contrarius est diuinæ scripturæ, vbi Apostolus ait, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*: & necesse est, vt impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine *mediatore Christo* liberante atque saluante sint liberi saluique à peccato, cùm ille dixerit, *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus, non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iustè vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Ioanni qui ait, *Si dixerimus, quia pec-*

Rom. 5. 12.

Mat. 9. 12 & 13.

Occupatio. *peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Non enim ait, habuimus; sed, *habemus.* 1. Ioan. 1. 8. Quod si quis asserit de illo peccato esse dictum, quod *habitat in carne mortali nostra* secundùm vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cuius *peccati desiderijs ne obediamus*, Paulus Apostolus præcipit: non autem peccare, qui eidem peccato quamuis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamuis ipsa concupiscentia moueatur, quæ alio modo peccati nomen accipit, quòd ei consentire peccare sit, nobisque moueatur inuitis: subtiliter quidem ista discernit; sed videat quid agatur de Dominica oratione, vbi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desiderijs aliquantulum consentiremus, sed tantummodò dicendum esset, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec Iacobus Apostolus diceret; *In multis offendimus omnes.* Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra iustitiæ rationem appetendo seu vitiando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, siue fallens, siue præualens persuadet. Postremò si excepto illo capite nostro, sui corporis Saluatore, asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato, siue nunquam consentiendo desiderijs eius, siue quia pro nullo peccato habendum est, quod tantum est, vt hoc pietati non imputet Deus (quamuis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem *beatus, cui non imputat Dominus peccatum*) non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quanquàm nec defendere valeam. Sed planè quisquis negat nos orare debere, *ne intretis in tentationem* (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.

Rom. 6. 12. Mat. 6. 12 Ibid. 13. Iacob. 3. 2 Psal. 31. 2

Non ipsa in renatis concupiscentia, sed consensus peccatum est.

Finis de Perfectione Iustitiæ.

EPIST.

EPIST. CVII.

Augustinus Vitali Carthaginensi, delato quòd doceret non orandum pro incredulis, sed tantùm illis impartiendam doctrinam: cui proponit duodecim regulas, minitans ni desinat obstrepere precibus ab Ecclesia fieri solitis, se censuris Ecclesiasticis cum eo acturum.

AUGUSTINUS EPISCOPUS SERVUS CHRISTI, & per ipsum seruus seruorum ipsius, Vitali Fratri in ipso salutem.

CUm de te mihi essent nunciata non bona, & rogaui Dominum, & donec mihi bona nuncientur, adhuc rogo vt literas meas nec aspernanter sumas, & salubriter legas. Si hanc exaudit pro te orationem meam, etiam de te gratiarum actionem donat vt offeram. Quod si impetro, proculdubiò non contradices huic ipsi principio Epistolæ meæ. Hoc enim pro te oro, vt sis rectæ fidei. Si ergò pro charis nostris non tibi displicet vt oremus, si hanc orationem recognoscis esse Christianam, si & tu pro charis tuis talia vel orare te recolis, vel orare te debere cognoscis, quomodo dicis quod te audio dicere, *vt rectè credamus in Deum, & Euangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse*? Et ad hoc cùm audieris, quid est ergò quod ait Apostolus: *Deus in nobis operatur, & velle, & perficere*? Respondes, *per legem suam, per scripturas suas, Deum operari vt velimus quas vel legimus, vel audimus, sed eis consentire, vel non consentire, ita nostrum est, vt si velimus, fiat: si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippè ille*, dicis, *quantum in ipso est vt velimus, cùm nobis nota fiunt eius eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos vt operatio eius nihil in nobis pro-*

Vitalis.

Philipp. 2. 13.

Vitalis.

Refellitur. *præsit efficimus.* Quæ si dicis, profectò nostris orationibus contradicis. Dic ergò apertissimè nos pro ijs quibus Euangelium prædicamus non debere orare vt credant, sed eis tantummodò prædicare. Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro Cathecumenis vt eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus vt in eo quod esse cœperunt, eius munere perseuerent; subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id est, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare, eò quòd non sint ista diuinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis. Et homo in Carthaginensi eruditus Ecclesia, etiam Beatissimi Cypriani librum de Dominica oratione condemna, quam Doctor ille cùm exponeret, ea petenda esse ostendit à Deo Patre, quæ tu dicis esse homini ab homine, hoc est à seipso. Quòd si de precibus Ecclesiæ, & de Martyre Cypriano, parum putas esse quod dixi, audi maiora, reprehende Apostolum qui dixit: *Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali.* Neque enim dicturus es, nihil mali eum facere qui non credit in Christum, aut qui fidem deserit Christi; ac per hoc qui dicit, *Ne quid faciatis mali*, nec ista vult fieri. Satisque illi non est præcipere, sed confitetur se Deum rogare ne fiant, sciens hominis voluntatem ab ipso corrigi ac dirigi vt ista non faciat: *A Domino* enim *gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*: non dixit, Et viam eius discet, aut tenebit aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini iam volenti, vt scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente sua voluntate mereatur. Sed ideò dixit: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*: vt intelligeremus ipsam voluntarem bonam quà incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitus vt velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit: sed *diriguntur*, inquit, *& volet*. Non igitur quia voluit, diriguntur, sed quia diriguntur, volet. Hic tu rursus fortasse dicturus es, hoc fieri à Domino, dum doctrina eius le-

2. *Cor.* 15. 7.

Ps. 36. 23

gitur

gitur vel auditur, si homo veritati quam legit vel audit, sua consentiat voluntate. *Si enim lateret eum*, inquis, *doctrina Dei, non dirigerentur gressus eius, quibus directis vellet viam Dei.* Ac per hoc tantùm putas à Domino gressus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, quia sine doctrina Dei non ei potest innotescere veritas, cui propria voluntate consentiat. *Cui si consentit*, inquis, *quod in eius libero arbitrio constitutum est, rectè vtique dicuntur ab illo dirigi gressus eius vt viam eius velit, cuius doctrinam suasione præcedente, subsequente consensione sectatur, quod libertate naturali si vult facit, si non vult non facit, pro eo quod fecerit præmium, vel supplicium recepturus.* Hæc est illio Pelagianorum mala, malè diffamata, meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia, quà dicunt, *gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*: & vsque adeò, frater, crimus graues corde, vt de gratia Dei, imò aduersùs gratiam Dei eam Pelagianam sententiam teneamus, quam pectore quidem ficto, sed tamen catholicos iudices timens Pelagius ipse damnauit? *Et quomodo*, inquies, *respondebitur?* Quomodò censes facilius & apertius, quàm vt illud quod de orando Deo superius egimus, sic amplectamur, vt hoc menti nostræ nulla subtrahat obliuionis irreptio, nulla calliditas argumentationis extorqueat. Si enim quod scriptum est; *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* Et, *Præparatur voluntas à Domino.* Et, *Deus est enim qui operatur in nobis, & velle.* Et multa huiusmodi quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit. Si ergò ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodò legem suam atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum: proculdubiò eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare vt Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret, & conuersis proficientem perseuerantiam eiusdem gratiæ suæ largitate donaret. Si ergò hæc à Domino poscenda esse non

Vitalis.

Vitalis.

Refellitur.

Pelag. lib. de gest. Pal. c. 14.

Vitalis.

Augustinus

Psalm 36. 23.

Prov. 20. 24.

Phil. 2. 13

Vocatio alta, & secreta.

renuis, quid reſtat, frater Vitalis, niſi vt ab illo ea donari fatearis à quo poſcenda eſſe conſentis? Si autem negas ab illo nos poſcere iſta debere, eidem doctrinæ ipſius contradicis, quia & hoc in ea didicimus, vt ab illo iſta poſcamus. Orationem Dominicam in noſti, nec dubito te Deo dicere: *Pater noſter qui es in Cœlis*, &c. Lege expoſitorem eius Beatiſsimum Cyprianum, & quemadmodum expoſuerit quod ibi dicitur; *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*; diligenter attende, & obedienter intellige: profectò docebit te orare pro infidelibus inimicis Eccleſiæ ſecundum præceptum Domini, dicentis: *Orate pro inimicis veſtris*: & hoc orare, vt fiat voluntas Dei, ſicut in eis qui iam fideles ſunt, & portant imaginem cœleſtis hominis, & propterea cœli nomine digni ſunt; ita & in eis qui per infidelitatem non niſi imaginem terreni hominis portant, & ob hoc terra meritò nuncupantur. Nempe iſti pro quibus inimicis Dominus nos iuſsit orare, & glorioſiſsimus martyr ſic expoſuit, quod in oratione dicimus, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, vt ipſis etiam poſcamus fidem quam fideles habent: nempe ergò iſti Chriſtianæ pietatis inimici, legem Dei atque doctrinam quà Chriſti prædicatur fides, vel omnino audire nolunt, vel ad hoc audiunt ſiue etiam legunt vt irrideant & deteſtentur, & quanta poſſunt contradictione blaſphement. Inaniter igitur, & perfunctoriè potius quam veraciter pro eis, vt doctrinæ cui aduerſantur credendo conſentiant Deo fundimus preces, ſi ad eius non pertinet gratiam conuertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam, & perfunctoriè potius quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, ſi hoc in eis ipſe non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus. Prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos non illum credimus facere quod oramus. Prorſus non gratias Deo agimus, ſed nos agere fingimus, ſi vnde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus. Labia doloſa ſi in hominum quibuſcumque ſermonibus ſunt, ſaltem in orationibus non ſint. Abſit, vt quod facere Deum rogamus oribus, & vocibus noſtris, eum facere negemus cordibus noſtris. Et quod eſt grauius, ad alios etiam decipiendos hoc non taceamus diſputationibus noſtris, & dum volumus apud homines defen-

Lib de bono perſeuer. c. 3.

Mat. 6. 9.

Mat. 5. 44

Mat. 6. 10

fendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium, & gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam. Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, quà nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum. Respondeo obsecro quomodò dicit Apostolus; *Gratias agentes patri idoneos facienti nos in parte sortis Sanctorum in lumine, qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ*: si non ipse arbitrium nostrum, sed ipsum arbitrium se liberat? Mendaciter ergò agimus gratias patri, tanquam ipse faciat quod ipse non facit. Et errauit qui dixit, quòd *ipse nos faciat idoneos in parte sortis Sanctorum in lumine*, quia *ipse nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ*. Respondeo quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum; vnde nos, si quemadmodum dicit Apostolus, *Deus eruit*, ipse vtique illud liberum fecit? Quod tam magnum nostrum bonum, si per suæ doctrinæ prædicationem tantummodò facit, quid de ijs dicemus, quos de ipsa tenebrarum potestate nondum eruit? prædicanda tantum illis est doctrina diuina, an etiam orandum pro eis vt de tenebrarum potestate diuinitus eruantur? Si tantummodò prædicandum esse dicis, iussioni Domini & orationibus Ecclesiæ contradicis: si autem fateris pro eis orandum, id vtique orandum fateris, vt eidem doctrinæ arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant. Ita fit vt neque fideles fiant, nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Sic & Dei gratia non negatur, sed sine vllis humanis præcedentibus meritis veri monstratur: & liberum ità defenditur, vt humilitate solidetur, non elatione præcipitetur arbitrium; & *qui gloriatur*, non in homine, vel quolibet alio, vel seipso, sed *in Domino glorietur*. Potestas enim tenebrarum quid est nisi potestas diaboli, & Angelorum eius? Qui cùm fuissent Angeli lucis, in veritate per liberum arbitrium non stantes, sed inde cadentes facti sunt tenebræ? Non te ista doceo, sed quæ nosti, vt recorderis admoneo. Huic igitur potestati tenebrarum, per illius ruinam, cui primo homini, ab

Col. 1. 12. & 13.

2. *Cor.* 10. 17.

ea potestate prævaricatio persuasa est, & in quo omnes cecidimus, subiectum est genus humanum, propter quod de hac potestate tenebrarum eruuntur œ paruuli, cùm regenerantur in Christo. Neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, nisi cùm ad annos peruenerint ratione vtentis ætatis, habentes consentientem doctrinæ salutari in qua nutriti sunt voluntatem, & in ea finientes istam vitam si *electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate prædestinati in adoptionem filiorum.* Hæc autem potestas tenebrarum, id est diabolus, qui dicitur etiam *princeps potestatis aeris, operatur in filijs diffidentiæ*, princeps iste rector tenebrarum, id est diffidentiæ filiorum, regens eos ad arbitrium suum, quod neque ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam maleuolentiam pœna sui sceleris obduratum: vnde nemo sanæ fidei credit, aut dicit hos apostatas Angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate conuerti. Quid ergò operatur hæc potestas in filijs diffidentiæ, nisi opera sua mala, & in primis maximèque ipsam diffidentiam, & infidelitatem quà sunt inimici fidei, per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer inuidet, in æternitate regnare. Itaque aliquos eorum per quos amplius decipere affectat, sinit habere non nulla velut opera bona in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, qui præclarè glorioſissinèque vixerunt. Sed quoniam sicut * veriſsima scriptura dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est: & sine fide impossibile est vtique placere Deo*, non hominibus, nihil sic agit hic princeps, quàm vt non credatur in Deum, nec ad mediatorem à quo soluuntur opera eius credendo veniatur. Sed ipse mediator *intrat in domum fortis*, id est, in hoc sæculum mortalium sub potestate diaboli, quantùm ad ipsum pertinet constitutum: de ipso quippe scriptum est; quòd *potestatem habeat mortis*, Intrat in domum fortis: id est, in suo dominatu habentis genus humanum, & priùs *alligat eum*, id est, eius coercet, & cohibet potestatem potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic *eripit vasa eius* quæcumque prædestinauit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt illo non impediente credant in istum libera voluntate. Proinde hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est, inquam, gratiæ

Ephes. 1.4.

Ephes. 2.2

* *Veraciſſima.*

Rom. 14. 23.

Heb. 11.6

Mat. 12. 29.

Heb. 2. 14

quam

quam nobis attulit secundus Adam, non naturæ quam totam perdidit in semetipso primus Adam. Opus est gratiæ tollentis peccatum, & viuificantis mortuum peccatorem, non opus legis ostendentis peccatum, nec à peccato viuificantis. Nam ille magnus gratiæ prædicator : *Peccatum*, inquit, *non cognoui, nisi per legem.* Et, *si data esset*, inquit, *lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia.* Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt doctrinæ salutari scripturarum sanctarum, etsi fuerunt inimici, fiunt amici : non opus eiusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici. Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrij, & in lege atque doctrina, sicut Pelagiana peruersitas delipit, sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum est : *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*; quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, & lex Dei atque doctrina, quamuis sancta, & iusta & bona, tamen occidit, si non viuificet spiritus, per quem fit, non vt audiendo, sed vt obediendo, neque vt lectione, sed vt dilectione teneatur. Quapropter vt in Deum credamus, & piè viuamus, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* non quia velle non debemus, & currere, sed quia ipse in nobis, & velle operatur, & currere. Vnde & ipse Dominus Iesus credentes à non credentibus, id est, ab iræ vasis vasa misericordiæ discernens : *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Et vtique vt hoc diceret, in eius doctrina fuerant scandalizati discipuli eius, qui eum postea non sunt secuti. Non ergò gratiam dicamus esse doctrinam, sed agnoscamus gratiam quæ facit prodesse doctrinam; quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam. Propterea Deus vt omnia futura opera sua in prædestinatione præsciuerit, sic illa disposuit, vt quosdam non credentes ad fidem suam orationes credentium pro eis exaudiendo conuertat : vnde refutentur, & si ille est ijs propitius, corrigantur, qui putant gratiam Dei esse naturam liberi arbitrij, cum qua nascimur, aut gratiam Dei esse doctrinam quamuis vtilem, quæ per linguas, & literas prædicatur. Non enim hoc oramus pro infidelibus, vt fiat eorum natura, id est, vt homines sint, aut vt doctrina eius prædicetur, quam malo suo audiunt, si non credunt; & plerumque pro eis oramus, qui cum legant vel audiant

Rom. 7. 7.

Ps. 67. 10

Concilium Arauf. c. 9. Cælestinus Epist. ad Episc. Gal. c. 8.

Enchir. c. 31.

Ioan. 6. 69

Lib. de bono perseu. c. 21. Oratio festis gratiæ.

non-

nolunt credere : ſed oramus vt voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, natura ſanetur. Iam vero vt perſeuerent in eo quod eſſe cœperunt, etiam pro ſe ipſis orant fideles ; vtile eſt quippe omnibus, vel pene omnibus propter humilitatem ſaluberrimam, vt quales futuri ſint, ſcire non poſsint. Ad hoc dicitur : *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat* ; propter huius timoris vtilitatem, ne regenerati, & piè viuere incipientes, tanquam ſecuri alta ſapiamus quidam non perſeueraturi perſeueraturis Dei permiſsione vel prouiſione ac diſpoſitione miſcentur, quibus cadentibus territi cum timore, & tremore gradiamur viam iuſtam donec ex hac vita, quæ tentatio eſt ſuper terram, tranſeamus ad aliam, vbi iam non ſit elatio comprimenda, nec contra eius ſuggeſtiones tentationeſque luctandum. Sed de hac re, id eſt, cur quidam non permanſuri in fide, & ſanctitate Chriſtiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, & dimittantur hic viuere donec cadant, cùm poſsint rapi de hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum, quod de ſancto immatura ætate defuncto ſcriptum eſt in libro Sapientiæ, quærat quiſque vt potuerit, & ſi inuenerit præter hanc quæ a me reddita eſt, aliam probabilem rationem à recta fidei regula non recedens, teneat eam, & ego cum illo, ſi me non latuerit; verùmtamen *in quod peruenimus in eo ambulemus*, *donec nobis Deus reuelet, quid aliter ſapimus*, ſicut Apoſtolicis literis admonemur. Peruenimus autem in ea quæ ad fidem ueram, & Catholicam pertinere firmiſsimè ſcimus, in quibus ita nobis ambulandum eſt, adiuuante illo atque miſerante cui dicimus : *Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua* ; vt ab eis nullo modo deuiemus. Quoniam ergò propitio Chriſto Chriſtiani Catholici ſumus ; *ſcimus* nondum natos nihil egiſſe in vita propria boni ſeu mali, nec ſecundùm merita prioris alicuius vitæ, quæ * nulla propria ſinguli habere potuerunt, in huius vitæ venire miſerias ; ſed tamen ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere, nec liberati à ſupplicio mortis æternæ, quod trahit ex vno in omnes tranſiens iuſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto. *Scimus* gratiam Dei nec paruulis nec maioribus ſecundum merita noſtra dari. *Scimus* maioribus ad ſingulos actus dari. *Scimus* non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolùm ſecundum

Lib. de Cor. & grar. c. 13.

Lib. de bono perſeu. c. 13.

Lib. de præd. Sanct. c. 14.

* *Al nullam proprium.*

1. *Cor.* 10. 12.

Phil. 3. 16

Pſ 85. 11.

1.

2.

3.

4.

dum merita operum non dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in
5. paruulis. *Scimus* eis quibus datur miſericordia Dei gratuita dari. *Scimus* eis quibus non datur, iuſto iudicio Dei
6. non dari. *Scimus* quod omnes aſtabimus ante Tribunal
7. Chriſti, vt ferat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſsit, non ſecundum ea quæ ſi diutius viueret geſturus
8. fuit, ſiue bonum ſiue malum. *Scimus* etiam paruulos ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum vel malum. Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos quibus pro illis reſpondentibus, & renunciare diabolo dicuntur, & credere in Deum, vnde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Do-
Marc. 16. 16. mini dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Vnde & ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parua ætate moriuntur, vtique ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora geſtantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducauerunt vel non manducauerunt, quando & ſanguinem biberunt vel non biberunt, ſecundum hæc ergo quæ per corpus geſſerunt, non ſecundum ea quæ ſi diu hic viuerent geſturi fuerant,
9. iudicantur. *Scimus* felices eſſe mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere, quicquid acturi fue-
10. rant, ſi tempore diuturniore vixiſſent. *Scimus* eos qui corde proptio credunt in Dominum, ſua id facere volun-
11. tate ac libero arbitrio. *Scimus* pro eis qui nolunt credere, nos qui iam credimus recta fide agere cùm Deum oramus
12. vt velint. *Scimus* pro eis qui ex illis crediderunt tanquam de beneficijs rectè atque veraciter, & debere nos Deo agere gratias, & ſolere. Recognoſcis me, vt puto, in ijs quæ nos ſcire dixi, non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluiſſe, ſea ea tantum quæ ad iſtam quæ inter nos agitur de Dei gratia quæſtionem, vtrùm præcedat hæc gratia an ſubſequatur hominis voluntatem, hoc eſt, vt planius id eloquar, *vtrum ideò nobis detur, quia volumus, an per ipſam Deus etiam hoc efficiat vt velimus.* Si ergo iſtas duodecim ſententias, quas nos dixi ſcire ad fidem rectam, & Catholicam pertinere, etiam

tu

tu frater nobiſcum tenes, ago Deo gratias, quas profectò non veraciter agerem, niſi gratia Dei fieret vt teneres. Quæ tibi tenenti, nullum omnino remanet nobiſcum de hac quæſtione certamen. Vt enim eadem duodecim breui expoſitione percurram; *quomodo* voluntatis humanæ meritum ſequitur gratia, cùm *detur & paruulis, qui hoc nondum poſſunt velle ſeu nolle?* *Quomodo* gratiam vel in maioribus dicuntur præcedere merita voluntatis, ſi gratia vt vera ſit gratia non ſecundum merita datur? quam ſententiam Catholicam Pelagius ipſe ſic timuit, vt eos qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſine dubitatione damnaret, ne à catholicis iudicibus damnaretur. *Quomodo* dicitur gratia Dei in natura eſſe liberi arbitrij, vel in lege atque doctrina, cùm & iſtam ſententiam Pelagius ipſe damnauerit, proculdubio confitens gratiam Dei ad ſingulos actus dari eis vtique qui iam libero arbitrio vtuntur? *Quomodo* dicitur omnes homines eam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur eam ſua voluntate reſpuerent; quoniam *Deus vult omnes homines ſaluos fieri;* cùm multis non detur paruulis, & ſine illa plerique moriantur qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repente antequam detur expirat, pro quo vt acciperet currebatur? Vnde manifeſtum eſt eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino quâ locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſaluos fieri, cùm tam multi ſalui non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis; ſed ſicut illud quod dictum eſt: *Omnes in Chriſto viuificabuntur*, cùm tam multi æterna morte puniantur, ideò dictum eſt; Quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ità quod dictum eſt, omnes homines vult Deus ſaluos fieri, cùm tam multos nolit ſaluos fieri, ideò dictum eſt, quia omnes qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente non fiunt, etſi quo alio modo illa verba apoſtolica intelligi poſſunt, vt tamen huic apertiſsimæ veritati, in quâ videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſsint. *Quomodò* vt detur gratia diuina, voluntas meretur humana, ſi eis quibus datur, gratuita miſericordia datur, vt vera ſit gratia? *Quomodò* in

1.
2.
Lib. de geſt. Pelag. c. 14.
3.
Ibid.
4.
Lib. de bono perſeu. c. 12.
1. Tim. 2. 4.
Lib. 4. contra Iul. c. 8
1. Cor. 15. 22.
Enchir. c. 103.
Lib. de Cor. & grat. c. 14.
5.
6.

hac

hac re merita pensantur voluntatis humanæ, quandoquidem illis quibus gratia ista non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate distantibus, sed similem cum eis quibus datur habentibus causam, iusto tamen iudicio Dei non datur? Non enim est iniquitas apud Deum, vt intelligant quibus datur, quam gratis eis detur, quando iustè vtique non daretur, quoniam similem habentibus causam
7. iustè non datur. *Quomodo* non gratiæ Dei est non solum credendi voluntas ab initio, verum etiam perseuerandi vsque in finem, cùm finis ipse vitæ huius non in hominis sed in Dei sit potestate, & possit vtique Deus etiam hoc beneficium non perseueraturo conferre, vt rapiatur ex corpore, ne malitia mutet intellectum illius? Non enim recipiet homo seu bonum, seu malum, nisi secundum ea
8. quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ si diutius viueret gesturus fuit. *Quomodo* dicitur propterea quibusdam non dari, quibusdam morituris paruulis Dei gratia dari: quia eorum futuras prænidet voluntates, quas habituri essent si viuerent, cùm secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ gesturus esset, si diutius fuisset in corpore vnusquisque recipiat siue bonum siue ma-
9. lum, sicut Apostolus definit? *Quomodo* secundum voluntates suas futuras homines iudicantur, quas habituri fuisse dicuntur, si diutius tenerentur in carne, cùm dicat Scriptura: *Felices mortui qui in Domino moriuntur*? quorum sine dubio certa, & secura felicitas non est, si & ea quæ non egerunt, sed acturi fuerant, si esset eis hæc vita prolixior, iudicabit Deus: nullumque accipit beneficium qui rapitur, nè malitia mutet intellectum eius; quia & pro illa malitia cui forsitan imminenti subtractus est, pœnas luit: nec gaudendum est de ijs, quos in fide recta, & vita bona nouimus esse defunctos, nè secundum aliqua scelera iudicentur quæ fuerant si viuerent fortasse facturi: nec dolendi vel detestandi sunt ij, qui vitam istam in infidelitate ac perditis moribus finierunt, quia forte si viuerent, acturi fuerant pœnitentiam pièque victuri, & secundum ista sunt iudicandi; totusque ille de mortalitate liber gloriosissimi martyris Cypriani reprobandus, & abijciendus est, in quo tota eius intentio est, vt sciamus bonis fidelibus gratulandum esse morientibus, quando huius vitæ tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri. Sed quoniam hoc falsum non est, & sine dubita-

f Liber de præ. Sanct. cap. 14.

Apocal. 14 13.

Lib. de Bono perseu. cap. 10 & seq.

Li. de præ. Sanct. cap. 14.

tione *felices ſunt mortui qui in Domino moriuntur*, ridendus eſt, & execrandus error, quo putatur quod homines ſecundum ſuas futuras, quæ morientium non ſunt futuræ, iudicandi ſunt voluntates. *Quomodo* dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate, cùm potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam quà verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum? *Quomodo* dicitur quod per legem Dei atque doctrinam ſcripturarum fiat, quod eadem ſcriptura dixit, *Præparatur voluntas à Domino*, ac non potiùs per occultam inſpirationem gratiæ Dei, quandoquidem pro eis qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt ei credere, ipſum Deum fide recta rogamus vt velint? *Quomodo* Deus expectat voluntates hominum vt præueniant eum quibus det gratiam, cùm gratias ei non immerito agamus de ijs quibus non ei credentibus, & eius doctrinam voluntate impia perſequentibus miſericordiam prærogauit, eoſque ad ſe ipſum omnipotentiſsima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit? vt quid ei inde gratias agimus; Si hoc ipſe non fecit? vt quid tanto magis eum magnificamus, quanto magis nolebant credere quos credidiſſe gaudemus, ſi gratia diuina voluntas in melius non mutatur humana? Apoſtolus Paulus: *Eram*, inquit, *ignotus facie Eccleſijs Iudeæ quæ ſunt in Chriſto, tantum autem audiebant, quia qui aliquando nos perſequebatur, nunc euangelizat fidem quam aliquando vaſtabat, & in me magnificabant Deum.* Vt quid *magnificabant Deum*, ſi non Deus ad ſe ipſum cor illius viri ſuæ gratiæ bonitate conuerterat, quando vt ipſe confitetur, *miſericordiam conſequutus eſt vt fidelis eſſet* ea fide quam aliquando vaſtabat? ipſum etiam verbum quod poſuit, quem niſi Deum hoc tam magnum bonum feciſſe declarat? Quid eſt enim, *In me magnificabant Deum*, niſi in me Deum magnificum prædicabant? Quomodo autem eum magnificum prædicabant, ſi magnum illud factum de Pauli conuerſione ipſe non fecerat; & quo pacto ipſe fecerat, ſi volentem credere ex nolente ipſe non fecerat? Nempe manifeſtum eſt ex illis duodecim ſententijs quas pertinere ad catholicam fidem negare non ſineris, non ſolùm omnibus, verùm etiam ſingulis id confici, vt confiteamur gratia Dei præueniri hominum

10. 11. 12. Gal. 1. 22.

Con. Arauſic. cap. 4.

Vid. Proſp. lib. 1. de vocat. gent. cap. 8.

Lib. 1. ad Bon. cap. 19.

Lib. de Bono perſeu. cap. 13.

vo-

voluntates, & per hanc eas potiùs præparari, quàm propter earum meritum dari. Aut si aliquid earum duodecim esse verum negas, quarum propterea commendo etiam numerum, vt facilius memoriæ mandentur, distinctiusque teneantur, non te pigeat rescribere vt sciam, & ea quam mihi Dominus dederit facultate respondeam. Ego enim hæreticum quidem Pelagianum te esse non credo, sed ita te esse volo, vt nihil illius ad te transeat, vel in te relinquatur erroris. Sed inter hæc duodecim reperies fortasse aliquid, quod negandum vel dubitandum putes, & vnde nos operosius disputare compellas. Nunquid, & orare prohibebis Ecclesiam pro infidelibus, vt sint fideles; pro ijs qui nolunt credere, vt velint credere; pro ijs qui ab eius lege doctrinaque dissentiunt, vt legi eius doctrinæque consentiant, vt det illis Deus quod per Prophetam promisit, *cor cognoscendi eum*, & *aures audiendi*, quas vtique acceperant, de quibus Saluator ipse dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat*? Nunquid vbi audieris Sacerdotem Dei ad *eius altare populum hortantem* ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, vt incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen? An etiam huius fidei sanitati contraria disputabis? Nunquid beatissimum Cyprianum in hoc errasse clamabis vel susurrabis, vbi pro inimicis fidei Christianæ, vt etiam ipsi ad eam conuertantur orare nos docet? Nunquid postremò Apostolum Paulum pro Iudæis infidelibus habentem talia vota culpabis? de quibus ait: *Bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum fit pro illis in salutem.* Quinetiam Thessalonicensibus dicit: *De cætero fratres orate pro nobis, vt verbum Domini currat, & glorificetur, sicut etiam apud vos, & vt eruamur ab iniquis, & malis hominibus, non enim est omnium fides.* Quomodo curreret, & glorificaretur verbum Dei, nisi ad fidem conuersis eis quibus prædicaretur, quandoquidem iam credentibus dicit, *quemadmodum, & apud vos*? Scit certè hoc ab illo fieri quem vult rogari vt hoc faciat, *vt etiam eruatur ab iniquis, & malis hominibus*, qui profecto, & illis orantibus non erant credituri. Propter quod addidit: *Non enim est omnium fides*; tanquàm diceret, Non enim apud omnes etiam nobis orantibus glorificabitur verbum Dei, quia ipsi vtique fuerant *credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in*

Non solum Pelagianis me, sed & reliquijs eius obuiãdum.

Lib de Bono perseu. cap. 23.

Matt. 13. 9.

Lib de Bono perseu. cap. 3.

Rom. 10. 1.

2. Thes. 3. 1.

Ibid. 2.

Lib. de Bono perseu. cap. 7.

adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum; & electi in ipso ante mundi constitutionem; sed ideò Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, vt ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere quod rogari se præcepit vt faciat. Hæc & alia testimonia diuina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum: ita vt voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non vt gratia merito voluntatis antecedente donetur; hoc & gratiarum actio indicat quod oratio: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus vt faciat, illi est actio gratiarum reddenda cum fecerit. Vnde idem dicit Apostolus ad Ephesios: *Propter hoc, & ego audita fide vestra in Domino Iesu, & in omnes Sanctos non cesso gratias agere pro vobis.* Loquimur autem nunc de ipsis initijs, cùm homines qui erant auersi, & aduersi, conuertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem quam non habebant, quod vt fiat in eis, oratur pro eis, quamuis non oretur ab eis. Ipsi enim *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Cùm vero factum fuerit quod oratur, ei qui fecit aguntur gratiæ & pro eis & ab eis. De orationibus autem iam fidelium quas & pro se, & pro alijs fidelibus faciunt vt proficiant in eo quod esse cœperunt, & de gratiarum actionibus quia proficiunt, confligendum esse tecum non puto. Contra Pelagianos est iste conflictus tibi nobisque communis. Illi quippe omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, vt habenda ex nobis, non à Domino putent esse poscenda: tu autem si ea quæ de te audio vera sunt, initium fidei, vti est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis vt credere incipiamus, cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam iam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis. Nec attendis ideo pro infidelibus Deum rogari vt credant, quoniam Deus donat, & fidem; ideò pro eis, & qui crediderint Deo gratias agit, quoniam donat fidem. Quamobrem vt hunc ad te sermonem aliquando concludam; si negas orandum esse,

Actor. 13. 48.

Ephes. 1. 5.

Oratio, & gratiarum actio, sunt testes gratiæ.


Ephes. 1. 15.

Rom. 10. 14.

Vitalis Semipelagianismus.

vt

vt qui nolunt credere velint credere ; ſi negas agendas eſſe Deo gratias , quoniam credere voluerunt qui nolebant credere ; aliter tecum agendum eſt vt non ſic erres, aut ſi errare perſiſtis , nè mittas alios in errorem. Si autem quod de te magis credo , ſentis atque conſentis orare nos Deum debere ac ſolere pro nolentibus credere vt velint credere , & pro eis qui aduerſantur , & contradicunt legi eius atque doctrinæ , vt ei credant eamque ſectentur ; ſi ſentis atque conſentis debere nos etiam Deo agere gratias ac ſolere pro talibus , quod ad fidem eius doctrinamque conuerſi volentes ex nolentibus fiant, oportet ſine dubitatione fatearis , voluntates hominum Dei gratia præueniri , & vt bonum velint homines quod nolebant Deum facere , qui rogatur vt faciat , & cui nos nouimus agere gratias dignum , & iuſtum eſſe cùm fecerit. Dominus tibi det intellectum in omnibus , domine frater.



D. AURELIJ AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, EPISTOLA CV.

QUÆ EST AD SIXTUM.

Augustinus Sixto Presbytero posteà Pontifici Rom. instruens illum aduersùs Pelagianorum argumenta.

DOMINO IN DOMINO DOMINORUM dilectissimo sancto fratri & compresbytero Sixto, Augustinus in Domino. S.

IN Epistola, quam per charissimum fratrem nostrum Albinum Acolitum misi, prolixiorem me missurum esse promisi per sanctum fratrem & compresbyterum nostrum Firmum, qui nobis literas attulit sinceritatis tuæ, plenas fidei tuæ, quæ nobis tantum gaudium contulerunt, quantum magis possumus habere quàm dicere. Quod enim fatendum est charitati tuæ, tristes eramus nimis, cùm fama iactaret inimicis Christianæ gratiæ te fauere. Sed vt hæc tristitia de nostris cordibus tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo frequentissimè pronunciasse eadem fama non tacuit. Deinde cum literis Apostolicæ Sedis de illorum damnatione ad Aphricam missis,

miſsis, tuæ quoque literæ ad venerabilem ſenem Aurelium conſequutæ ſunt, quæ tametſi breues erant, tuum tamen vigorem aduerſus eorum errorem ſatis indicabant. Nunc verò cùm apertius, & latius quid de illo dogmate contraque ſentires, in literis tuis fides ipſa nobiſcum Romanæ Eccleſiæ loqueretur, cui potiſsimum beatus Apoſtolus Paulus de gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, multa, & multipliciter eſt loquutus; non ſolum illud omne triſtitiæ nubilum fugit de cordibus noſtris, ſed etiam tantum ibi lætitiæ lumen infulſit, vt nihil egiſſe in nobis videretur ille mœror & timor, niſi ſucceſſu horum, ampliorem flagrantiam gaudiorum. Itaque te frater chariſsime, quamuis non videamus nos oculis carnis, animo tamen in fide Chriſti, in gratia Chriſti, in membris Chriſti tenemus, amplectimur, oſculamur, & remeante à nobis ad te noſtrorum inuicem colloquiorum ſanctiſsimo, & fideliſsimo perlatore, quem voluiſti eſſe apud nos non ſolum aduectorem ſcriptorum tuorum, verùm etiam narratorem teſtemque factorum, reſcripta perſoluimus, & aliquanto diutius tecum ſermocinamur, admonentes, vt docendis inſtes, quibus terrendis ſatis quantum comperimus inſtitiſti. Sunt enim quidam qui iuſtiſsimè damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant; & ſunt qui occultius penetrant domos, & quod in aperto iam clamare metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt. Sunt autem qui omnino ſiluerunt magno timore compreſsi, ſed adhuc in corde retinent quod ore iam proferre non audent, qui tamen eſſe poſſunt fratribus ex priore ipſius dogmatis defenſione notiſsimi. Proinde alij ſeuerius coercendi, alij vigilantius veſtigandi, alij tractandi quidem lenius, ſed non ſegnius ſunt docendi, vt ſi non timentur nè perdant, non tamen negligantur ne pereant. Quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adiutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt non ſe firmare humanum arbitrium, ſed impellere vt per inania feratur, non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur. *Paratur enim voluntas à Domino.* Quod autem *perſonarum acceptorem Deum ſe credere* exiſtimant, *ſi credant quod ſine vllis præcedentibus meritis, cuius vult miſereatur, & quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit*, parum attendunt quod debita reddatur

Prou. 8. 35. *iuxta* 70.

tur pœna damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eademque massa damnationis, & offensionis inuoluit; vt liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia; vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. *Sed iniustum est*, inquiunt, *in vna eademque mala causa hunc liberari, illum puniri.* Nempe ergò iustum est vtrumque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergò gratias saluatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, vtique lateret quid peccato per iustitiam debeatur; si nemo, quid gratia largiretur. Vt ergò in hac difficillima quæstione verbis potius vtamur Apostoli: *Volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; cui non potest figmentum dicere: Quare sic me feciſti? cùm habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Vbi quia vniuersa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed *altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.* Nolunt autem, vt sit ipsi gloria in iustificandis impijs gratuita gratia, qui *eius ignorantes iustitiam suam volunt constituere*; vel iam conclamantium religiosorum, & piorum vocibus pressit, ita se fatentur ad habendam seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, vt sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare, vt retribuatur eis ab illo, de quo dictum est: *quis prior dedit illi, & retribuetur ei*; & suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut potius audire nolunt, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quarum autem *diuitiarum*

Rom. 9. 22.

Rom. 11. 33.

Rom. 10. 3.

Rom. 11. 35.

est

est altitudo sapientiæ, & scientiæ eius, ex his sunt *diuitiæ gloriæ eius in vasa misericordiæ*, quæ vocat in adoptionem; quas *diuitias notas vult facere* etiam per *vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Et quæ sunt *viæ inuestigabiles*, nisi de quibus in Psalmo canitur: *vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*? Igitur inuestigabiles sunt misericordia, & veritas eius; quoniam *cuius vult miseretur*, non iustitiæ, sed misericordiæ gratia, *& quem vult obdurat*, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Quæ tamen misericordia, & veritas ita sibi occurrunt, quia scriptum est: *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi*; vt nec misericordia impediat veritatem, quà plectitur dignus: nec veritas misericordiam quà liberatur indignus. Quæ igitur sua merita iactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita iustorum? Sunt planè, quia iusti sunt. Sed vt iusti fierent, merita non fuerunt. Iusti enim facti sunt, cùm iustificati sunt; sed sicut dicit Apostolus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Cùm igitur huic gratiæ inimici infestique sint isti, Pelagius tamen in Ecclesiastico iudicio Palæstino, non enim aliter inde impunitus exisset, anathematizauit eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita dari. Sed nihil aliud in eorum etiam posterioribus disputationibus inuenitur, quam meritis dari etiam gratiam. De cuius commendatione maximè ad Romanos Apostolica Epistola loquitur, vt inde se prædicatio eius velut à capite orbis toto orbe diffunderet; ea est enim quà iustificatur impius, idest fit iustus qui prius erat impius. Et ideò percipiendæ huius gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impij, non gratia, sed pœna debetur. Nec ista esset gratia si non daretur gratuita, sed debita redderetur. Sed cùm ab istis quæritur, quam gratiam Pelagius cogitaret sine vllis præcedentibus meritis dari, quando anathematizabat eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari; respondent, *sine vllis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus. Neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus vt essemus.* Abijciatur à Christianorum cordibus ista fallacia; nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, quà creati sumus vt homines essemus, sed quà iustificati sumus vt homines iusti essemus. Ita est enim gratia per Ie-

Psal. 24. 10.

Psal. 84. 11.

Rom. 3. 24.

ſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et enim Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur, ſed pro impijs mortuus eſt vt iuſtificarentur; quippe homo erat qui dicebat: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Rom. 7. 24. Poſſunt quidem dicere remiſsionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim boni meriti habere poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſsio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori; & deſcendit iuſtificatus* meritò fidelis humiliatus, quoniam, *qui ſe humiliat, exaltabitur.* Luc. 18. 13. Reſtat igitur, vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium, propter quod dicitur ad Eccleſiam in Cantico Canticorum, *Venies, & pertranſies ab initio fidei*, non humano * quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur; ſi gratiam veram, id eſt ſine meritis cogitamus: Quia ſicut in eadem Epiſtola legitur: *Deus vnicuique partitur menſuram fidei.* Rom. 12. 3. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine quâ illa à nullo fiunt homine. *Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Rom. 14. 13. Quapropter nè ſe vel ipſius orationis meritum extollat, propter quam ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipſum fontem omnium bonorum Deum, adiutorium datur oranti, fides orat quæ data eſt non oranti, quæ vtique niſi data eſſet, orare non poſſet. *Quomodo* enim *inuocabunt, in quem non crediderunt?* quomodo *credent, quem non audierunt? quomodò audient, ſine prædicante? Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Rom. 10. 14. Proinde miniſter Chriſti, huius fidei prædicator, ſecundum gratiam, quæ data eſt illi, plantator eſt, & rigator. *Nec tamen qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, qui *vnicuique partitur menſuram fidei.* 1. Cor. 3. 7 Vnde & alibi dicitur: *Pax fratribus, & charitas cum fide*; quam ne ſibi tribuerent, continuò ſubiunxit: *A Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto*; quia *non omnium eſt fides*, qui audiunt verbum, ſed *quibus Deus partitur menſuram fidei*: ſicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, *ſed quibus Deus dat* Epheſ. 5. 23. 2. Theſ. 2. 3. Rom. 12. 3.

in-

incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu
Rom. 11. 33. fiat, ambo idem vident; *altitudo est diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud*
Rom. 9. 18. *quem non est iniquitas*, dum *cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*; neque enim propterea sunt ista iniusta, quia occulta. Deinde post remissionem peccatorum, nisi
Matt. 12. 45. mundatam domum habitet spiritus sanctus, nonne *cum alijs septem redit spiritus immundus, & erunt nouissima*
Ioan. 3. 8. *hominis illius peiora quàm erant prima*? Vt autem habitet spiritus sanctus, nonne *vbi vult spirat, & charitas* Dei, sine quà nemo bene viuit, *diffunditur in cordibus nostris*, non à nobis, sed *per spiritum sanctum qui datus est nobis*?
Rom. 5. 5. Hanc enim fidem Apostolus definiuit, dicens: *Neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed fides quæ per*
Gal. 5. 6. *dilectionem operatur.* Ista quippe fides est Christianorum, non dæmoniorum, nam & *dæmones credunt, & contremis-*
Iac. 2. 19. *cunt*, sed nunquid & diligunt? Nam si non crederent,
Luc. 4. 34. non dicerent: *Tu es sanctus* Dei: vel, *tu es filius* Dei.
Luc 8. 28. Si autem diligerent, non dicerent: *Quid nobis, & tibi*?
Mat. 8. 29
Ioan. 6. 44 Fides igitur ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret: *Nemo*
Ibid. 63. *potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum.* Vnde & paulò post ait: *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt, sed sunt quidam ex vobis*
Ibid. 64. *qui non credunt.* Deinde Euangelista subiungit: *Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis esset traditurus eum.* Et nè quisquam existimaret credentes sic ad eius præscientiam pertinere, quomodo non credentes, id est, vt non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodò voluntas eorum prænosceretur, mox adiecit
Ioan. 6. 66 atque ait: *Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Hinc erat quod eorum, qui audierant loquentem de carne sua, & sanguine suo, quidam scandalizati abscesserunt, quidam credendo manserunt: Quia nemo potest venire ad illum, nisi cui datum est à Patre, ac per hoc, & ab ipso Filio, & à Spiritu Sancto. Neque enim separata sunt dona vel opera inseparabilis Trinitatis, sed Filius sic honorans Patrem, non affert, vllius distantiæ documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum. Hic iterum isti liberi arbitrij defensores, imò deceptores, quia infla-

tores, & inflatores, quia præsumptores, non aduersum nos, sed aduersus Euangelium loquuturi, quid aliud dicunt quam id quod Apostolus sibi, quasi à talibus diceretur, obiecit: *Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Hanc contradictionem sibimetipsi tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce qui nolunt accipere quod superius dixerat: *Ergò cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo inuenire possumus quid dicamus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Quærimus namque meritum obdurationis, & inuenimus. Merito namque peccati vniuersa massa damnata est; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; at potius, vt non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præcessisse in qua esset meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, vt acciperet fidem? *Quid enim habet quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit?* Sicut enim non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Dei, nisi secundum propheticum eloquium accepisset *spiritum sapientiæ, & intellectus; consilij, & fortitudinis; scientiæ, & pietatis, ac timoris Dei*; sicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, nisi accepto spiritu, de quo dicit Apostolus: *Non enim accepistis spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis, & continentiæ*; ita non haberet fidem nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit: *Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod loquutus sunt, & nos credimus propter quod, & loquimur*; non autem merito accepisse, sed misericordia eius, qui *cuius vult miseretur*, Manifestissimè ostendit, vbi de se ipso ait: *Misericordia consequutus sum, vt fidelis essem.* Si dixerimus meritum præcedere orationis, vt donum gratiæ consequatur, impetrando quidem oratio quicquid impetrat, euidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à se ipso sibi esse, quod si in potestate haberentur, non vtique posceretur; verùmtamen nè saltem oratio-

Rom. 9. 19.
Ibid. 18.
Ibid. 20.
1. *Cor.* 4. 7.
Isai. 11. 2.
Rom. 8. 15.
2. *Cor.* 4. 13.
Psal. 115. 10.
2. *Cor.* 4. 5 13.
Rom. 9. 18.
1. *Cor.* 7. 25.
1. *Tim.* 1. 13.

tionis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed iam nec gratia eſſet, quia debita redderetur; etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur.
Rom. 8. 26 *Quid enim oremus*, ait Doctor gentium, *ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid eſt autem *interpellat*, niſi interpellare nos facit? Indigentis enim certiſsimum indicium eſt, interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere Spiritum Sanctum. Sed ita dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum: ſicut illud in Euan-
Matt. 10. 20. gelio: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Neque enim, & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus Sancti ſic expreſſum eſt, vt ipſe facere diceretur, quod vt faciamus facit. Nam non eſſe intelligendum ſpiritum noſtrum, de quo dictum eſt: *Interpellat gemitibus inenarrabilibus*, ſed Spiritum Sanctum, quo noſtra
Rom. 8. 26 infirmitas adiuuatur, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus. Inde enim cœpit: *Spiritus*, inquit, *adiuuat infirmitatem noſtram*; deinde ita ſubiunxit: *Quid enim oremus ſicut*
Ibid. 26. *oportet neſcimus*; & cætera. De hoc quippe ſpiritu aper-
Ibid. 15. tius alibi dicit: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba pater.* Ecce hic non dixit quod ipſe ſpiritus clamet orando, ſed, *In quo clamamus, Abba*
Gal. 4. 6. *pater.* Alio tamen loco ait: *Quoniam filij Dei eſtis, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater.* Non hic ait, In quo clamamus; ſed ipſum ſpiritum *clamantem* dicere maluit, quo efficitur vt clamemus, ſi-
Rom 8. 28 cut ſunt illa: *Ipſe ſpiritus interpellat gemitibus inenarra-*
Matt. 10. 20. *bilibus, & Spiritus patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis.* Sicut ergò nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudine præualet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acce-
Iſai. 11. 2. perit Spiritum *ſapientiæ, & intellectus, conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Dei*? Nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per *ſpiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ*: Ita ſine ſpiritu fidei non eſt rectè
1. Cor. 1. 11. quiſpiam crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus. Non quia tot ſunt ſpiritus, ſed *omnia hæc ope-*

ra-

ratur vnus atque idem ſpiritus diuidens propria vnicuique prout vult; quia *ſpiritus vbi vult ſpirat*; ſed quod faciendum eſt, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuuat vt ſint fideles, inhabitans adiuuat iam fideles. Quod eſt ergò meritum hominis ante gratiam quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum, non in nobis faciat niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quam munera ſua? Sicut enim ab initio fidei *miſericordiam conſecuti ſumus*, non quia *fideles* eramus, ſed *vt eſſemus*; ſic in fine quod erit in vita æterna, *coronabit nos*, ſicut ſcriptum eſt: *In miſeratione, & miſericordia.* *Pſal. 58. 11.* Non itaque fruſtra Deo cantatur, *Et miſericordia eius præueniet me, & Miſericordia eius ſubſequetur me.* Vnde, & *Pſal. 22. 6.* ipſa vita æterna quæ vtique in fine ſine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa *gratia* nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis datur; nec ideò quia meritis non datur, ſed quia data ſunt, & ipſa merita quibus datur. Vbi autem inuenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem gratiæ magnificum defenſorem Apoſtolum Paulum: *Stipendium*, inquit, *peccati mors eſt, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* *Rom. 6. 23.* Vide obſecro te, in quanta breuitate quam vigilanter verba poſuerit, quibus diligenter conſideratis, quæſtionis huius aliquantulum diluceſcat obſcuritas. Cum enim dixiſſet: *Stipendium peccati mors*: quis non congruentiſsimè, & conſequenter addere iudicaret, Stipendium autem iuſtitiæ vita æterna? Et verum eſt, quia ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna. Aut ſi nollet dicere iuſtitiæ, diceret fidei: quoniam *iuſtus ex fide viuit.* Vnde *Abac. 2. 4.* etiam, & merces appellatur plurimis ſanctarum ſcripturarum locis; nuſquam porrò dicta eſt merces iuſtitia vel fides, quia iuſtitiæ vel fidei redditur merces. Quod eſt autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium. Sed beatus Apoſtolus aduerſus elationem quæ vſque adeò magnis tentat irrepere, vt & ſibi propter ipſam dicat datum angelum Satanæ, à quo colaphizaretur, nè verticem præſumptionis erigeret, aduerſus hanc ergò elationis peſtem *Rom. 1. 17*

ſtem vigilantiſsimè militans: *Stipendium*, inquit, *peccati mors*. Rectè ſtipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur. Deinde nè iuſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanum meritum malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario retulit, dicens: Stipendium iuſtitiæ vita æterna; ſed *gratia*, inquit, *Dei vita æterna*. Et hæc, nè præter mediatorem aliqua alia via quæreretur, adiecit: *In Chriſto Ieſu Domino noſtro*; tanquam diceret, Audito quod ſtipendium peccati ſit mors, quid te diſponis extollere? O humana, non iuſtitia, ſed nomine iuſtitiæ planè ſuperbia, quid te diſponis extollere, & contrariam morti vitam æternam tanquam debitum ſtipendium flagitare? Cui debetur vita æterna, vera iuſtitia eſt. Si autem vera iuſtitia eſt, ex te non eſt, *deſurſum eſt deſcendens à patre luminum*, vt haberes eam; ſi tamen habes eam, profectò accepiſti. *Quid enim habes quod non accepiſti*? Quapropter ò homo, ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt, & ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia cui debetur. Nunc ergò *de plenitudine eius accepimus* non ſolum gratiam, quà nunc iuſtè in laboribus vſque in finem viuimus, ſed *etiam gratiam pro hac gratia*, vt in requie poſteà ſine fine viuamus. Hoc nihil ſalubrius fides credit, quia nihil verius intellectus inuenit. Et debemus audire Prophetam dicentem: *Niſi credideritis, non intelligetis*. Sed *excuſabunt ſe*, inquit, *homines, qui nolunt rectè, & fideliter viuere, dicentes: Quid nos fecimus qui malè viuimus, quandoquidem gratiam vnde bene viueremus, non accepimus*? Non poſſunt veraciter dicere, nihil mali ſe facere, quia malè viuunt. Si enim nihil mali faciunt, bene viuunt, ſi autem malè viuunt, de ſuo malè viuunt, vel quod originale traxerunt, vel quod iuſuper addiderunt. Sed ſi *vaſa* ſunt *iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem*, quæ illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter vnius peccatum, *in quo omnes peccauerunt*, meritò Deus iuſtèque damnauit. Si autem vaſa ſunt miſericordiæ, quibus ex eadem maſſa factis ſupplicium debitum reddere noluit, non ſe inflent, ſed ipſum glorificent, qui eis miſericordiam non debitam præſtitit, & *ſi quid aliter ſapiunt, & hoc quoque illis ipſe reuelauit*. Poſtremò quo-

Iac. 1. 17.
1. *Cor.* 4. 7.
Ioan. 1. 16
Iſai. 7. 9. *iuxta* 70.
Rom. 9. 22
Rom. 5. 12
Phil. 3. 15

nam

nam ſe iſti excuſabunt modo ? Nempe illo quem breuiter tanquam ex eorum voce ſibi obiecit Apoſtolus , vt dicant : *Quid adhuc conqueritur ? Nam voluntati eius quis reſiſtit ?* Hoc eſt enim dicere , Quid de nobis fit querela quod Deum offendamus malè viuendo , cùm illius voluntati nemo poſsit reſiſtere , qui nos obdurauit miſericordiam non præſtando ? Si ergo illos non pudet hac excuſatione , non nobis , ſed Apoſtolo contradicere , cur nos pigeat eis quod dixit Apoſtolus , hoc idem atque identidem dicere : *O homo , tu quis es qui reſpondeas Deo ? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit , Quare ſic me feciſti ? An non habet poteſtatem figulus luti , ex eadem maſſa ,* vtique merito rectèque damnata , *facere aliud vas in honorem* indebitum propter miſericordiæ gratiam , *aliud in contumeliam* debitam propter iræ iuſtitiam , *vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ* , ſic oſtendens quid eis largiatur , cum id ſupplicium recipient vaſa iræ quod pariter omnibus debebatur. Satis ſit interim Chriſtiano ex fide adhuc viuenti , & nondum cernenti quod perfectum eſt , ſed ex parte ſcienti , noſſe vel credere quod neminem Deus liberet , niſi gratuita miſericordia per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , & neminem damnet niſi æquiſsima veritate per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cur autem illum potius quam illum liberet , ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum , verùmtamen caueat præcipitium. *Numquid* enim *eſt iniquitas apud Deum ? Abſit.* Sed *inſcrutabilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius.* Et in maioribus quantaxat ætatibus merito dici poteſt , Hi *noluerunt intelligere , vt bene agerent* : Hi , quod grauius eſt , intellexerunt , & non obedierunt ; quia , ſcriptum eſt , *Verbis non emendabitur ſeruus doloſus , ſi enim , & intellexerit non obediet.* Vnde non obediet , niſi ſua peſsima voluntate , cui grauior damnatio diuina æquitate debetur ? *Cui enim plus datur , plus exigitur ab eo.* Iſtos quippe ſcriptura dicit inexcuſabiles , quos non latet veritas , & in eis perſeuerat iniquitas. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo* , ait Apoſtolus, *ſuper omnem impietatem , & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem in iniuſtitia detinent ; quia quod notum eſt Dei , manifeſtum eſt in illis ;* Deus *enim illis manifeſtauit; Inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur , ſempiterna quoque virtus eius ac*

Rom. 9. 19

Ibid. 21

Rom. 9. 14

Pſal. 35. 4

Prov. 29. 19.

Luc. 12. 48.

Rom. 1. 18

Ibid. 21.

di-

diuinitas ; vt sint inexcusabiles. Si ergò istos inexcusabiles dicit, qui inuisibilia illius per ea quæ facta sunt intellecta conspicere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, sed iniqui, & impij permanserunt ; neque enim non cognouerunt, sed *cognoscentes* (inquit) *Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt* ; quanto magis inexcusabiles sunt, qui *ex lege eius instructi confidunt seipsos duces esse cæcorum, & alios docentes, seipsos non docent: qui prædicant non furandum, & furantur* ; & cætera quæ de ipsis Apostolus loquitur. Eis quippe dicit: *Propterea inexcusabilis es, ò homo omnis qui iudicas ; in quo enim alium iudicas, teipsum condemnas ; eadem enim agis quæ iudicas.* Dicit enim ipse Dominus in Euangelio : *Si non veniissem, & eis loquutus non fuissem, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Non vtique peccatum nullum haberent, qui pleni erant alijs magnis multisque peccatis ; sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse si non veniisset, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum ; hanc eos excusationem non habere asserit qua possint dicere, non audiuimus, ideò non credidimus. Humana quippe superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij excusatam se putat, quando ignorantiæ non voluntatis est quod peccat. Secundum hanc excusationem, *inexcusabiles* dicit scriptura diuina quoscunque scientes peccare conuincit ; Dei tamen iustum iudicium nec illis parcit qui non audierunt. *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Et quamuis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem qui scit se *feciisse hominum rectum*, eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi eius quo malè vsus est libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros manasse peccatum. Neque enim damnantur qui non peccauerunt, quandoquidem illud *ex vno in omnes pertransijt, in quo* ante propria in singulis quibusque peccata *omnes* communiter *peccauerunt.* Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergò in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. Ideò autem diuina eloquia eos inexcusa-

Rom. 2. 19.

Rom. 2. 1.

Ioan. 15. 22.

Rom. 2. 12

Eccl. 7. 30

Rom. 5. 12

biles dicunt, qui non ignorantes sed scientes peccant, vt secundum iudicium superbiæ suæ quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia iam non habent excusationem, dum non est iustitia cui præsumebant sufficere voluntatem. At verò ille cui Dominus, & sciendi, & obediendi largitus est gratiam: *Per legem enim*, inquit, *cognitio peccati, & peccatum non cognoui, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*; nec vult intelligi hominem præceptricis legis ignarum, sed liberatricis indigum gratiæ, vbi dicit: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, & cum hac non solum scientia, verùm etiam, & delectatione legis, posteà dicit: *Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Nemo itaque liberat à vulneribus illius trucidatoris, nisi huius gratia saluatoris. Nemo liberat venundatos sub peccato à vinculis captiuantis, nisi gratia redimentis; ac per hoc vniuersi qui se in nequitijs, & iniquitatibus excusatos volunt, ideò iustissimè puniuntur, quoniam qui liberantur non nisi gratia liberantur. Nam si excusatio illa iusta esset, non indeiam gratia, sed iustitia liberaret. Cum vero non liberat nisi gratia, nihil iustum inuenit in eo quem liberat; non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem; nam si hæc iusta est, quisquis ea vtitur, merito non gratia liberatur. Nouimus enim liberari per gratiam Christi quosdam etiam eorum qui dicunt: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Quæ si iusta est excusatio, non iam gratuita gratia, sed propter huius excusationis iustitiam liberantur. Si autem gratia est qua liberantur, profecto hæc excusatio iusta non est. Tunc enim vera gratia est, qua homo liberatur, si non secundum debitum iustitiæ retribuitur. Nihil ergò fit in eis qui dicunt: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Nisi quod legitur in libro Salomonis: *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.* Quamuis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, vt ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua bene etiam vtitur malis, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum; tamen in eisdem iræ vasis propter

Rom. 3. 20
Rom. 7. 7.
Exod. 20. 17.
Rom. 7. 22
Ibid. 24
Rom. 9. 19
Prov. 19. 3.

ter meritum maſſæ in contumeliam debitam factis, id eſt hominibus propter naturæ quidem bonum creatis, ſed propter vitia ſupplicio deſtinatis, iniquitatem, quam rectiſsimè veritas improbat, damnare nouit ipſe, non facere. Sicut enim voluntati eius tribuitur humana natura nullo dubitante laudanda, ſic hominis voluntati culpa tribuitur nullo recuſante damnanda. Quæ voluntas hominis aut hæreditarium vitium tranſmiſit ad poſteros quos in ſe habuit cùm peccaret; aut acquiſiuit etiam cætera vitia; cùm in ſeipſo vnuſquiſque perditè viueret. Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ vnuſquiſque in vita propria vel non intelligendo vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam inſtructus ex lege, additamento præuaricationis exaggerat, quiſquam liberatur, & iuſtificatur, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu, & effectu, donec *ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram, & coronet nos in miſeratione, & miſericordia.* Verùm illi qui perſonarum acceptorem fieri exiſtimant Deum, ſi in vna eademque cauſa ſuper alios veniat miſericordia eius, ſuper alios vero maneat ira eius; nempe totas vires argumentationis humanæ in paruulis perdunt. Nam vt interim taceam, quod non eſt præter paruulos quamlibet materno vtero recentiſsimos ea pœna, de quâ loquens Apoſtolus ait: *Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem*, vnde non liberat niſi vnus ille de quo idem ait: *Per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ*; vt ergò hoc interim omittam, & hoc ſolùm de paruulis dicam, quod ipſi quoque authoritate euangelica territi, vel potius Chriſtianorum populorum concordiſsima fidei conſpiratione perfracti, ſine vlla excuſatione concedunt, quod nullus paruulus, niſi renatus ex aqua, & ſpiritu, intrat in regnum cœlorum; quam quæſo allaturi ſunt cauſam, quod alius ſic gubernatur vt baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium priuſquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? An hoc fato vel fortunæ daturi ſunt? Non opinor eos in tantam dementiam prodituros, quantulumcumque nomen Chriſtianum tenere cupientes. Cur ergò in regnum cœlorum, non

Pſal. 102 3.

Rom. 5. 18

accepto regenerationis lauacro, paruulus nullus intrabit? Nunquidnam ipſe ſibi parentes infideles vel negligentes, de quibus naſceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus ſæpè etiam religioſorum Chriſtianorum præueniuntur, & baptiſmo præripiuntur infantes, cùm è contrario ſacrilegorum, & inimicorum Chriſti aliquo modo in Chriſtianorum manus venientes, ex hac vita non ſine Sacramento regenerationis emigrent? Quid hinc dicturi ſunt qui vt gratia dari poſsit non nulla præcedere merita humana contendunt, ne ſit perſonarum acceptor Deus? Quæ tandem hic merita præceſſerunt? Si eorundem cogitaueris paruulorum, nulla ſunt propria; vtriſque eſt illa maſſa communis. Si parentum attenderis, bona ſunt illa quorum filij repentinis mortibus ſine Chriſti baptiſmate perierunt; mala vero illa, quorum filij per Chriſtianorum aliquam poteſtatem ad Sacramenta Eccleſiæ peruenerunt. Et cur providentia Dei, cui *noſtri capilli numerati ſunt, ſine cuius voluntate non cadit paſſer in terram*, quæ nec facto præmitur, nec fortuitis caſibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renaſcantur ad hæreditatem cœleſtem, non conſulit omnibus paruulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam paruulis impiorum? Iſte infans de fidelibus coniugatis ortus, lætitia parentum ſuſceptus, matris vel nutricis ſomnolentia ſuffocatus, fit exterus, & extorris ſuorum fidei. Ille infans de ſacrilego ſtupro naſcitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum miſericordi pietate colligitur, eorum Chriſtiana ſollicitudine baptizatur, fit æterni conſors, & particeps regni. Iſta cogitent, iſta conſiderent, hinc audeant dicere Deum, vel acceptorem in ſua gratia perſonarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum. Nam etſi conabuntur maioris ætatis aliqua merita ſuſpicari, ſeu bona, ſeu mala, quid de iſtis infantibus dicent, quorum nec iſte ſibi vllis proprijs meritis malis potuit acquirere violentiam ſuffocantis, nec bonis ille diligentiam baptizantis? Nimiæ vanitatis, & cæcitatis ſunt, ſi etiam his conſideratis nondum dignantur exclamare nobiſcum: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*! Non itaque miſericordiæ gratuitæ Dei, pertinaciſsima aduerſentur inſania. Sinant *filium hominis* in qualiber ætate

Matt. 10. 30.

Rom. 11. 33.

Luc. 19. 10.

quæ-

Rom. 9. 20 *quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Nec de inſcrutabilibus iudicijs eius audeant iudicare, cur in vna eadem cauſa *ſuper alium veniat miſericordia eius, ſuper alium maneat ira eius.* Qui enim ſunt iſti, qui reſpondeant Deo,
Ibid. 11. Geneſ. 25. 22. quandoquidem ille: *Rebeccæ habenti geminos ex vno concubitu Iſaac patris noſtri, cùm illi nondum nati nihil egiſſent boni vel mali, vt ſecundum electionem propoſitum eius maneret*, electionem ſcilicet gratiæ, non debiti electionem quà eligendos facit ipſe, non inuenit, *non ex operibus, ſed ex vocante dicit minori ſeruiturum eſſe maiorem.* In quam ſententiam beatus Apoſtolus etiam teſtimonium
Malac. 1. 2. & 3. prophetæ longè poſterioris aſſumpſit: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*; vt intelligeretur hoc apertum poſteà per prophetam, quod antequam illi naſcerentur, erat in Dei prædeſtinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret iuſtitiam, quam nullam ille fecerat; neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe perfecerat. Mirum autem cùm his coarctantur anguſtijs, in quanta ſe abrupta præcipitent metuentes retia veritatis. *Ideò*, inquiunt, *nondum natorum alium oderat, alium diligebat; quia eorum futura opera præuidebat.* Quis iſtum acutiſsimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando ſibi velut aduerſantis obiecta quæſtione, non id potius tam breue, tam apertum, tam (ſicut iſti putant) verum abſolutumque reſpondit. Cùm enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, rectè dici potuerit, quod vnum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipſe ſibi obiecta quæſtione motum exprimens auRom. 9. 14 ditoris: *Quid ergo dicemus?* inquit, *Nunquid iniquitas apud Deum? abſit.* Hic ergò erat locus, vt diceret quod iſti ſentiunt: *Futura enim Deus opera præuidebat, quando minori maiorem ſeruiturum eſſe dicebat.* Non autem hoc Apoſtolus dicit, ſed potiùs nè quiſquam de ſuorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cùm enim dixiſſet, *Abſit* vt ſit iniquitas apud Deum, tanquam ei diGeneſ. 25. 23. ceremus; Vnde hoc oſtendis cùm aſſeras non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe; *Maior ſeruiet minori, Moyſes*

ſes enim dicit, inquit, *Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Vbi nunc merita, vbi opera vel præterita vel futura tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apoſtolus de gratuitæ gratiæ, hoc eſt veræ gratiæ commendatione ſententiam? Nonne ſtultam fecit Deus hæreticorum ſapientiam? Quid autem agebatur, vt hoc Apoſtolus diceret, vt eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid perſuadere moliebatur? quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipſorum oppugnet amentia, quod ſuperbia non capiunt, quod ſapere nolunt. *Qui ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* De ipſa quippe gratia ſatis agebat Apoſtolus, & ideò promiſsionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, non facit niſi Deus; habet namque aliquid rationis, & veritatis, vt homo promittat, & Deus faciat; vt autem homo ſe facere dicat, quod promiſerit Deus, ſuperbæ impietatis eſt reprobus ſenſus. Commendans ergò filios promiſsionis, hoc primum ſignificatum oſtendit, per Iſaac filium Abrahæ. Euidentius namque opus Dei apparet in eo, quem non genuit vſitatus ordo naturæ de ſterilibus viſceribus, & ſenectute confectis, vt in filijs Dei, qui futuri prænunciabantur, hoc eſſet ſignum diuini operis, non humani. *In Iſaac*, inquit, *vocabitur tibi ſemen; hoc eſt, non qui filij carnis, ij filij Dei, ſed filij promiſsionis deputantur in ſemine. Promiſsionis enim verbum hoc eſt: Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ſolùm autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac Patris noſtri*; quò pertinuit vt adderet, *ex vno concubitu*, niſi vt non ſolùm de ſuis neque de parentum meritis aliorum, ſed ne de ipſius quidem vnius patris, mutata fortè in melius voluntate gloriaretur Iacob dicens, ideò ſe à creatore dilectum, quia pater eius quando eum ſeminauit, melioribus laudabilior moribus fuit? *Ex vno*, inquit, *concubitu*; vnum tunc ad eos ſeminandos meritum patris, vnum ad concipiendos meritum matris. Quia etſi mater eos donec pareret viſceribus portauit incluſos, & forte voluntates affectioneſque variauit, non vni ſed ambobus vtique variauit, quos pariter ventre portauit. Intentio igitur intuenda eſt Apoſtoli, quomodò propter

Exod. 33. 19. *Rom.* 9. 16

Rom. 10. 3

Rom. 9. 7.

gra-

gratiam commendandam nolit eum de quo dictum est: *Iacob dilexi*; nisi in Domino gloriari; vt cùm ex eodem patre, eadem matre, vno concubitu, antequam aliquid egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum; intelligat Iacob ex illa massa originalis iniquitatis, vbi fratrem suum, cùm quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni. *Nondum enim nascentibus, nec agentibus bonum aut malum, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est ei: Maior seruiet minori.* Electionem autem gratiæ nullis fieri operum præcedentibus meritis, alio loco apertissimè idem Apostolus ostendens: *Sic ergò*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non est gratia.* Secundum hanc ergò gratiam, etiam propheticum testimonium consequenter assumens: *Sicut scriptum est*, inquit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et continuo: *Quid ergò dicemus*, inquit, *Nunquid iniquitas est apud Deum? absit.* Sed quare, absit? An propter opera quæ futura præsciebat amborum? Imò & hoc absit. *Moyses enim dicit: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atque vt in vasis quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia diuina largita sit; *Dicit enim*, inquit, *scriptura ad Pharaonem, Quia ad hoc te excitaui, vt ostendam in te potentiam meam, & vt glorificetur nomen meum in vniuersa terra.* Denique ad vtrumque concludit: *Ergò cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem iustissimo merito. Sed dicat adhuc vel superbi infidelis elatio, vel puniti damnabilis excusatio; *quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Dicat & audiat quod conuenit homini: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo*, & cætera; de quibus iam quantum potui satis ac sæpè differui. Audiat hæc, & non contemnat. Quod si contempserit etiam vt contemneret se inueniat obduratum. Si non contempserit, etiam vt non contemneret esse credat adiutum, sed obduratum debito, adiutum gratia. Neque enim si

Rom. 11.5

Rom. 14.

Exod. 3. 19.

Rom. 9.17

Exod. 9. 16.

Rom. 9.17

Ibid. 20.

duo-

duorum de Isaac Patriarcha geminorum, quod quidem iam ostendimus quanta cæcitate dicatur, futura præuidit Deus opera, quia vixerunt atque senuerunt, & propterea *Iacob dilexit, Esau autem odio habuit*, ideò meritorum etiam paruulorum potest, quisquam dicere, vt huic ad percipiendum baptismum non consulat, illi autem consulat, Deum futura eorum opera præuidere. Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt? *Sed Deus*, inquiunt, *in eis quos hinc aufert, præuidet quemadmodùm victurus esset quisque si viueret, & ideò quem nequiter nouit fuisse victurum, sine baptismo facit, & mori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Si ergò diuinitus etiam quæ commissa non sunt, mala opera puniuntur: Primò attendant quam falso polliceantur in damnationem paruulos non ituros, qui sine baptismate moriuntur, qui propterea non baptizantur, quia malè victuri erant, si viuerent; propter ipsam quippe malam vitam proculdubiò damnabuntur, si etiam mala quæ fuerant futura damnantur. Deinde si eis ad percipiendum baptismatis consulitur Sacramentum, quos nouit Deus si viuerent bene fuisse victuros, cur non omnes tenentur in vita, quam bonis operibus ornaturi sunt? Cur etiam eorum qui baptizantur quidam diu viuentes pessimè viuunt, & vsque ad apostasiam aliquando perueniunt? Cur ipsum primum coniugium peccatorum, quos vtique nouerat Deus peccaturos, non de paradiso ante proiecit, nè ibi committerent quod tam sancto loco esset indignum, si iustè peccata etiam nondum commissa puniuntur? Quid denique præstatur ei qui *rapitur ne malitia mutet intellectum eius, & ne fictio decipiat animam eius*; si iustè etiam illa puniuntur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen viuendo facturus? Postremò cur non ad percipiendum regenerationis lauacrum, ei magis consulitur morituro, qui male fuerat victurus si viueret, vt ei peccata quæ fuerat commissurus, remittantur in baptismo? Quis enim est tam vecors qui ea neget per baptismum posse dimitti, quæ sine baptismo dicit posse puniri? Sed disputando aduersus eos qui vsque quaque conuicti, etiam non commissorum peccatorum Deum persuadere moliuntur vltorem, verendum est nè nos in eos ista fingere existimemur; illi autem nullo modo tam haberet esse credantur, vt hæc vel sentiant, vel cuiquam persuadere

Mal. 1. 2. & 3.

Sap. 4. 11.

co-

conentur : verumtamen nisi eos hæc dicere audissem, refellenda esse non arbitrarer. Circunstipantur enim & diuinarum authoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate paruulorum, vbi apertissimè demonstrantur infrates, & cùm exorcizantur, & cùm ei per eos à quibus gestantur renunciare respondent, à diaboli dominatione liberari ; & non inuenientes quà exeant, pergunt in præcipitem stultitiam, dùm nolunt mutare sententiam. Illud sanè sibi videntur acutissimè dicere, *quomodò peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus dimissum esse per baptismum*, quasi propterea possit non habere generatio carnalis, quod sola tollit regeneratio spiritalis. Aut verò in baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus eius aboletur, sed gratia renascendi, non conditione nascendi. Vnde quisquis per hanc concupiscentiam, etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur. Verùm quicquid est in hàc quæstione difficultatis, ita in agro Christi non impedit operarios eius, quò minùs ab eis in remissionem peccatorum baptizentur infantes, siue de fidelibus, siue de infidelibus nati sint ; sicut agricolas non impedit, quo minùs ab eis inserendi cura in oleas conuertantur oleastri, siue de oleastris, siue de oleis oriantur. Nam & hoc si vt respondeat rustico proponatur, quæ causa fit vt cùm aliud sit olea, aliud oleaster, non tamen nisi oleaster de semine vtroque nascatur, non omittit inserendi curationem, etiamsi non possit istam soluere quæstionem. Alioquin dum ex oliuæ semine exorta virgulta non aliud quàm oleas esse existimat, efficit desidia vanitatis, vt totus ille ager amarà sterilitate syluescat. Nam illud quod excogitauerunt cùm veritatis pondere premerentur, quia *fidelis Dominus in verbis suis*, & propterea eius Ecclesia nullo modo fallaciter paruulos in remissionem peccatorum baptizat, sed vt fide agatur quod agitur, vtique fit quod dicitur : Quod ergò excogitauerunt cùm hæc eos apertissima moles veritatis vrgeret, quis non Christianus irrideat quàmlibet versutissimum cernat ? Dicunt enim, *veraciter quidem respondere paruulos per ora gestantium, in remissionem se credere peccatorum, non tamen quia sibi remittuntur, sed quia credant quod in Ecclesia vel in baptismo remittantur in quibus inueniuntur, non in quibus nulla sunt.* Ac per hoc nolunt eos ita baptizari in remissionem pecca-

Psal. 144. 13.

torum tanquam in eis fiat ipſa remiſsio, quos contendunt nullum habere peccatum. Sed quoniam licet ſine peccato, ia eo tamen baptiſmate baptizantur, quo fit in quibuſque peccatoribus remiſsio peccatorum; fieri quidem poteſt vt hæc verſipellis aſtutitia ſubtiliùs, & acutius ex otio refellatur, verumtamen ſecundum iſtam ſuam calliditatem non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quòd exorcizantur & exſufflantur infantes, hoc enim proculdubiò fallaciter fit, ſi diabolus eis non dominatur; ſi autem dominatur, & ideò non ſallaciter exorcizantur & exſufflantur, per quid dominatur niſi per peccatum princeps vtique peccatorum? Proinde ſi iam erubeſcunt nec audent dicere hæc in Eccleſia mendaciter geri, fateantur *quod perierat* etiam in paruulis *quæri*. Neque enim niſi propter peccatum perierat, quod niſi per gratiam non poteſt quæri, non poteſt inueniri. Sed Deo gratias, quòd ſaltem cum argumentantur contra remiſſionem peccatorum nè fieri credatur in paruulis, iam tamen, quamuis per corda & ora maiorum, credere paruulos confitentur. Sicut ergò audiunt Dominum dicentem: *Qui non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non introibit in regnum cœlorum*: propter quod eos baptizandos eſſe concedunt; ſic audiant eundem Dominum dicentem: *Qui non crediderit, condemnabitur*: quia ſicut eos renaſci per miniſterium baptizantium, ita etiam credere per corda, & ora confitentium confitemur. Audeant ergò dicere quòd à Iuſto Deo innocens condemnabitur, ſi nullo vinculo peccati originalis innectitur. Si ſermo iſte prolixus eſt, & oneroſus occupationibus tuis, da veniam, quia vt hæc ad te ſcriberem, & occupatus literis tuis indicibus erga nos beneuolentiæ tuæ tecum ſta colloquerer, etiam ego vim feci interrumpendis occupationibus meis. Si qua illos alia excogitare aduerſus fidem catholicam ſcieritis, & quæcunque aduerſus eos nè Dominici gregis infirma deuaſtent, vos quoque fideli, & planè paſtorali dilectione differitis, nota facite nobis. Hæreticorum quippè inquietudine, vt ſcripturas vigilantius perſcrutemur, vnde nè ouili Chriſti noceant, eis poſsit occurri, tanquàm de ſomno ignauiæ noſtra excitatur induſtria: ita per multiplicem gratiam Saluatoris etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adiutorium: *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Luc. 19. 10.

Ioan. 3. 5.

Marc. 16. 16.

Rom. 8. 28.

Semper in Deo viuas, memor noſtr frater chariſsime.

DIVI

DIVI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER DE GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO,

AD VALENTINUM, ET CUM ILLO Monachos.

Argumentum ex lib. 2. Retract. cap. 66.

PRopter eos, qui cùm defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, vt negent Dei gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari; ſcripſi librum, cuius titulus eſt, De gratia, & libero arbitrio. Ad eos autem ſcripſi monachos Adrumetinos, in quorum monaſterio de hac re cæperat eſſe contentio, ita vt me conſulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber ſic incipit.

CAPUT I.

PRopter eos qui liberum hominis arbitrium sic prædicant, & defendunt, vt Dei gratiam quà vocamur ad eum, & à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perueniamus æternam, negare audeant & conentur auferre; multa iam disseruimus, literisque mandauimus, quantum nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, & cæteri qui simul Deo seruitis, compellente mutua charitate curaui. Nunciatum est enim mihi de vobis fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod de hac re dissensiones in vobis sint. Itaque dilectissimi, ne vos perturbet huius quæstionis obscuritas, moneo vos primùm, vt de ijs quæ intelligitis, agatis Deo gratias, quicquid est autem quò peruenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos, & charitatem seruantes à Domino vt intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate quò peruenire potuistis. Hoc admonrt Apostolus Paulus, qui cum dixisset nondum se esse perfectum, paulò post ait: *Quotquot ergò perfecti hoc sapiamus*, id est, ita nos esse perfectos, vt nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit venerimus: continuòque subiunxit, *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Ambulando quippe *in quod peruenimus*, & quò nondum peruenimus peruenire poterimus, Deo nobis reuelante si quid aliter sapiamus, si ea quæ iam reuelauit, non relinquamus. *Phil.* 3. 15. *Ibid.* & 16.

*****

CA-

CAPUT II.

REuelauit autem nobis per scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodò autem reuelauerit commemoro vos, non humano eloquio, sed diuino. Primum, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret. Ideò enim data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus dicit in Euangelio de Iudæis: *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præsciebat eorum futurum quando ista dicebat, id est, quo eum fuerant occisuri? Neque enim nullum habebant peccatum, antequàm Christus veniisset in carne ad eos. Item dicit Apostolus: *Reuelatur ira Dei de cœlo in omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas, vt sint inexcusabiles.* Quomodò dicit *inexcusabiles*, nisi de illa excusatione quà solet dicere humana superbia: Si sciissem, fecissem; ideò non feci, quia nesciui. Aut, si scirem, facerem, ideo non facio, quia nescio? Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit Apostolus Iacobus: *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentor. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deindè concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipso Deo se excusare volentibus respondet liber prouerbiorum Salomonis: *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne dixeris quia propter Deum recessi: quæ enim odit ne facias: Ne dixeris quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, &*

Ioan. 15. 22.

Rom. 1. 18. 19. & 20.

Iac. 1. 13. 14. & 15.

Prou. 29. 3.

Eccl. 15. 11. seq.

non

non est amabile timentibus eum. Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij sui. Si volueris conseruabis mandata & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit dabitur ei. Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodò iubet si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quòd *in lege Domini fuit voluntas eius*: nonnè satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conueniunt voluntatem; sicut est, *Noli vinci à malo*: & alia similia, sicut sunt, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Et, *Noli repellere consilia matris tuæ.* Et, *Noli esse sapiens apud te ipsum.* Et, *Noli deficere à disciplina Domini.* Et, *Noli negligere legem.* Et, *Noli abstinere benefacere egenti.* Et, *Noli fabricare in amicum tuum mala.* Et, *Noli intendere fallaci mulieri.* Et, *Noluit intelligere vt bene ageret.* Et, *Noluerunt accipere disciplinam*: & innumerabilia talia in veteribus libris diuinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam nouis Euangelicis, & Apostolicis quid aliud ostenditur, vbi dicitur: *Nolite vobis condere thesauros in terra.* Et, *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Et, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Et, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Et quod dicit Apostolus Paulus: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat: qui autem statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo seruare virginem suam, bene facit.* Item dicit: *Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo.* Et alio loco, *Sobrij estote iustè, & nolite peccare.* Et iterùm, *Vt quemadmodùm promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.* Et ad Thimoteum dicit: *Cùm enim in delicijs egerint in Christo, nubere volunt.* Et alibi: *Sed & omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et ipsi Timotheo: *Noli negligere gratiam quæ in te est.* Et ad Philemonem: *Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate.* Seruos etiam ipsos monet, vt dominis suis *ex animo seruiant cum bona voluntate.* Item Iacobus: *Nolite itaque errare fratres mei, & nolite in per-*

Psal. 1. 2.
Rom. 12. 2.
Psal. 31. 9
Prou. 1. 8.
Prou. 3. 7.
Ibid 11.
Ibid. 27.
Ibid. 29.
Prou. 5. 1.
Psal. 35. 4
Mat. 5. 19
Matt. 10. 28.
Matt. 16. 24.
Luc 2. 14
1. *Cor* 7. 36. & 37.
1. *Cor.* 7.
1. *Cor.* 15. 54.
2. *Cor.* 8. 11.
1. *Tim.* 5. 11
2. *Tim.* 3. 12.
1. *Tim.* 4. 14.
Phil v. 14
Eph. 6. 6. & 7.
Iac. 2. 1.

so-

Ibid 4.11 *sonarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi,*
1. Ioan. 2. & *nolite detrahere de alterutro.* Item Ioannes in Epistola
15. sua, *Nolite diligere mundum*: & cætera huiusmodi. Nempe vbi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis moniti opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergò
Matt. 16. 27. *Deum causetur in corde suo*, sed sibi imputet quisque cùm peccat. Neque cùm aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum: *Qui reddit vnicuique secundum opera sua.* Qui ergò nouerunt diuina mandata, aufertur eis excusatio, quam solent homines habere de ignorantia.

CAPUT III.

Rom. 2. 12. SEd nec ipsi sine pœna erunt qui legem Dei nesciunt *Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Quod mihi non videtur Apostolus ita dixisse, tanquam peius aliquid significauerit esse passuros qui legem nesciunt in peccatis suis, quàm illos qui sciunt. Peius enim videtur esse perire, quàm iudicari. Sed cum hoc de gentibus & de Iudæis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autem legem acceperunt; quis audeat dicere Iudæos *qui in lege peccant*, non esse perituros, cum in Christum non crediderunt, quandoquidem de illis dictum est, *per legem iudicabuntur*? Sine fide enim Christi nemo liberari potest, ac per hoc ita iudicabuntur vt pereant. Nam si peior est conditio nescientium quàm scientium legem Dei, quomodò verum
Luc. 12. 48. & 47. erit quod Dominus in Euangelio ait: *Seruus qui nescit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca: seruus autem qui scit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa.* Ecce vbi ostendit grauius peccare hominem scientem quàm nescientem, nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de
Psal. 35. 3 quo dicitur: *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum

qui

qui tanquàm ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat; ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet; ſed fortaſsis vt mitiùs ardeat: non enim ſine cauſa dictum eſt: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt.* Et illud quod ait Apoſtolus: *Cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum.* Veruntamen vt habeamus & ipſam ſcientiam; ne dicat vnuſquiſque, neſciui, non audiui, non intellexi, voluntas conuenitur humana, vbi dicitur: *Nolite eſſe ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*: quàmuis peior appareat, de quo dictum eſt: *Verbis non emmendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obaudiet.* Quando autem dicit homo: Non poſſum facere quod præcipitur, quoniam concupiſcentia mea vincor, iam quidem de ignorantia non habet excuſationem, nec *Deum cauſatur in corde ſuo*; ſed malum ſuum in ſe cognoſcit & dolet: cui tamen dicit Apoſtolus, *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Et vtique cui dicitur, *noli vinci*, arbitrium ſine dubio voluntatis eius conuenitur; velle enim, & nolle propriæ voluntatis eſt.

Pſal. 78. 6
2. *Eph.* 1. 8.
Pſal. 31. 9
Prou. 29. 19.
Rom. 12. 21.

CAPUT IV.

SEd metuendum eſt ne iſta omnia diuina teſtimonia, & quæcumque alia ſunt quæ ſine dubitatione ſunt plurima, in defenſione liberi arbitrij ſic intelligantur, vt ad vitam piam & bonam conuerſationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur: & audeat miſer homo quando bene viuit & bene operatur, vel potiùs bene viuere, & bene operari ſibi videtur, in ſeipſo non *in Domino gloriari*, & ſpem rectè viuendi in ſeipſo ponere, vt ſequatur eum maledictum Hieremiæ Propheræ dicentis: *Maledictus homo qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachij ſui, & à Domino diſcedit cor eius.* Intelligite fratres hoc propheticum teſtimonium; quia enim non dixit propheta: *Maledictus homo qui ſpem habet* in ſeipſo, poſſet alicui videri ideò dictum eſſe: *Maledictus homo qui ſpem habet in homine*; vt nemo habeat ſpem in altero homine, ſed in ſe. Vt ergò oſtenderet ſic ſe admonuiſſe hominem, vt nec in ſeipſo haberet ſpem, propterea cum dixiſſet: *Maledictus homo qui*

Hier. 17. 5.

ſpem

ſpem habet in homine: mox addidit, *& firmat carnem brachij ſui* Brachium pro potentia poſuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda eſt humana fragilitas: ac per hoc *firmat carnem brachij ſui*, qui potentiam fragilem atque inualidam, id eſt, humanam ſibi ſufficere ad bene operandum putat, nec adiutorium ſperat à Domino. Propter hoc enim ſubiecit; *Et à Domino diſcedit cor eius.* Talis eſt hæreſis Pelagiana, non antiqua, ſed ante non multum tempus exorta: contra quàm hæreſim cùm fuiſſet diutius diſputatum, etiam ad concilia Epiſcopalia nouiſsima neceſsitate peruentum eſt; vnde vobis non quidem omnia, ſed tamen aliqua legenda direxi. Nos ergò ad bene operandum ſpem non habeamus in homine, *firmantes carnem brachij noſtri, nec à Domino diſcedat cor noſtrum*; ſed ei
Pſ. 26. 9. dicat: *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus.* Proinde chariſsimi, ſicut ſuperioribus teſtimonijs ſcripturarum probauimus ſanctarum, ad benè viuendum, & rectè agendum eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium: ſic etiam de gratia Dei, ſine quà nihil boni agere poſſumus, quæ ſint diuina teſtimonia videamus. Ac primùm de ipſa veſtra profeſsione aliquid dicam: neque enim congregaret vos iſta ſocietas in qua continenter viuitis, niſi voluptatem coniugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cùm dixiſſent diſcipuli: *Si talis eſt cauſa homini cum vxore, non expedit nubere*;
Mat. 9. 10 & 11. reſpondit eis: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Nunquid non liberum arbitrium Timothei eſt exhortatus Apoſtolus dicens: *Contine teipſum?* Et
1. Tim 5. 22. in hac re poteſtatem voluntatis oſtendit: vbi ait, *Non habens neceſsitatem; poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, vt*
1. Cor. 7. 37. *ſeruet virginem ſuam*: & tamen *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*: *quibus* enim non *eſt datum*, aut nolunt, aut non implent quod volunt: *quibus* autem *datum eſt*, ſic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt *hoc verbum*, quod non ab omnibus capiatur, ab aliquibus capiatur & Dei donum eſt, & liberum arbitrium. De ipſa
Ibid. 36. quoque pudicitia coniugali nempè Apoſtolus ait: *Quod vult faciat, non peccat ſi nubat*: & tamen etiam hoc Dei donum eſt, dicente ſcriptura: *A Domino iungitur mulier viro.*
Prou. 19. 14. Ideò *doctor gentium*, & pudicitiam coniugalem, per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, ſermone ſuo commendans:

& hoc, & illud donum Dei esse monstrauit, scribens ad Corinthios, & admonens coniuges *ne se inuicem fraudent*: quos cùm admonuisset adiecit: *Vellem autem omnes homines esse sicut, & me ipsum*; quia vtique ipse ab omni concubitu continebat. Et continuò subiunxit: *Sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes, & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, quà diuinis præceptis obediret; & tamen Dei donum est, sine quo seruari castitatis præcepta non possunt. Vnde ait ille in libro Sapientiæ: *Cùm scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum.* Vt autem ista non seruentur castitatis sancta mandata, *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Vbi si dixerit volo seruare, sed vincor à concupiscentia mea; respondet Scriptura libero eius arbitrio, quod iam superius dixi: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*; quod tamen vt fiat, adiuuat gratia, quæ nisi adiuuerit, nihil *lex erit* nisi *virtus peccati.* Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adiuuet spiritus gratiæ. Hoc est quod dicit ille ipse doctor gentium. *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex.* Ecce vnde dicit homo. Volo legis seruare mandatum, sed virtute concupiscentiæ meæ vincor. Et cùm voluntas eius conuenitur, & ei dicitur: *Noli vinci à malo*, quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit; nam & cùm dixisset, *virtus peccati lex*; continuò subiecit: *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.* Ergò & victoria quà peccatum vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adiuuantis liberum arbitrium. Propter quod dicit, & cœlestis magister, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Ergo vnusquisque contra suam concupiscentiam dimicans *oret, nè intret in tentationem*; id est, nè sit *ab illa abstractus, & illectus. Non* autem *intrat in tentationem*, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, *nè intret in tentationem.* Quid verò euidentius quàm

1. Cor. 7. 5. & 7.

Sap. 8. 21.

Iac. 1. 14.

Rom. 12. 21.

1. Cor. 15. 56.

Ibid. 57

Matt. 26. 41.

quàm Dei oſtenditur gratia, vbi quod oratur, accipitur? Si enim dixiſſet Saluator noſter, *Vigilate nè intretis in tentationem*, admonuiſſe videretur tantummodo hominis voluntatem; cùm verò addidit, *& orate*, oſtendit Deum adiuuare, nè intretur in tentationem. Dictum eſt libero arbitrio: *Fili noli deficere à diſciplina Domini*; & Dominus dicit: *Ego rogaui pro te Petre, ne deficeret fides tua. Homo* ergò gratia iuuatur, nè ſine cauſa voluntati eius iubeatur.

Prou. 3. 11. *Luc.* 22. 32.

CAPUT V.

Zach. 1. 3. CUM dicit Deus, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, vnum horum *videtur* eſſe noſtræ voluntatis, id eſt, vt conuertamur ad Deum; alterum verò ipſius gratiæ, id eſt, vt etiam ipſe conuertatur ad nos: vbi poſſunt putare Pelagiani ſuam obtinere ſententiam, quà dicunt *gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*. Quod quidem in Oriente, hoc eſt, in Prouincìa Paleſtina, in quà eſt Ciuitas Hieruſalem, cùm ipſe Pelagius ab Epiſcopis audiretur, affirmare non auſus eſt. Nam inter cætera quæ illi obiecta ſunt, & hoc obiectum eſt, quòd diceret *gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*; quod ſic alienum eſt à catholica doctrina, & inimicum gratiæ Chriſti, vt niſi hoc obiectum ſibi anathematizaſſet, ipſe inde anathematizatus exiſſet. Sed fallaciter eum anathematizaſſe poſteriores eius indicant libri, in quibus omnino nihil aliud defendit, quam *gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*. Talia ergo de ſcripturis colligunt, quale eſt hoc vnum quod paulò ante dixi: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, vt ſecundum meritum conuerſionis noſtræ ad Deum, detur gratia eius, in qua ad nos, & ipſe conuertitur. Nec attendunt qui hoc ſentiunt; quia *niſi donum Dei eſſet etiam ipſa ad Deum noſtra conuerſio*, non ei diceretur: *Deus virtutum conuerte nos*. Et, *Deus tu conuertens viuificabis nos*. Et, *Conuerte nos Deus ſanitatum noſtrarum*; & huiuſmodi alia quæ commemorare longum eſt. Nam & venire ad Chriſtum, quid eſt aliud niſi ad eum credendo conuerti, & tamen ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei à patre meo*? Item quod ſcriptum eſt in libro ſecundo Paralipo-

Pſal 79. 8 *Pſal.* 84. 7 & 5. *Ioan.* 6. 65

menon : *Dominus vobiſcum , cùm vos eſtis cum eo ; & ſi quæſieritis eum , inuenietis ; ſi autem dereliqueritis eum , derelinquet vos :* manifeſtat quidem voluntatis arbitrium. Sed illi qui dicunt *gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari* , iſta teſtimonia ſic accipiunt , vt dicant meritum noſtrum in eo eſſe quod ſumus cum Deo ; eius autem gratiam ſecundum hoc meritum dari , vt ſit , & ipſe nobiſcum. Item meritum noſtrum in eo eſſe quod quærimus eum ; & ſecundum hoc meritum dari eius gratiam, vt inueniamus eum. Et in libro primo quod dictum eſt. *Et tu Salomon fili mi cognoſce Deum , & ſerui ei in corde perfecto , & anima volente : quia omnia corda ſcrutatur Dominus , & omnem cogitationem mentium nouit ; ſi quæſieris eum , inuenietur tibi , & ſi dimiſeris eum , repellet te in perpetuum ;* declarat voluntatis arbitrium. Sed illi in eo ponunt meritum hominis, quod dictum eſt ; *inuenietur tibi ;* & omnino laborant quantùm poſſunt, oſtendere *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari* : hoc eſt, *gratiam non eſſe gratiam.* Quibus enim ſecundum meritum redditur , *non imputatur merces ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum* , ſicut apertiſsimè dici Apoſtolus. Meritum enim fuit quidem in Apoſtolo Paulo , ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam : Vnde dicit , *Non ſum idoneus vocari Apoſtolus , quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Cum ergò haberet hoc meritum malum , redditum eſt ei bonum pro malo ; ideòque ſecutus adiunxit ; *ſed gratia Dei ſum quod ſum.* Atque vt oſtenderet , & liberum arbitrium , mox addidit, *Et gratia eius in me vacua non fuit , ſed plus omnibus illis laboraui.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in alijs , quibus dicit : *Rogamus nè in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis.* Vt quid enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, vt propriam perderent voluntatem ? Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò cùm dixiſſet, *Gratia eius in me vacua non fuit , ſed plus omnibus illis laboraui* , ſubiunxit, atque ait : *Non ego autem , ſed gratia Dei mecum* ; id eſt, non ſolus, *ſed gratia Dei mecum* ; ac per hoc nec *gratia Dei* ſola , nec ipſe ſolus, *ſed gratia Dei cum illo.* Vt autem de cœlo vocaretur, & tam magna , & efficaciſsima vocatione conuerteretur , *gratia Dei erat ſola* , quia merita eius erant magna , ſed mala. Denique, & alibi dicit ad Timotheum : *Collabora Euange-*

2. Paral. 15. 2.

1. Par. 28. 9.

Rom. 4. 4.

1. Cor. 15. 9.

Ibid. 10.

2 Cor. 6. 1.

1. Cor. 15. 10. Actor. 9.

2 Tim. 1. 8. & 9.

gelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu. Item merita sua, sed mala commemorans
Tit. 3. 3. dicit: *Fuimus enim stulti, & nos aliquando, & increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, abominabiles, inuicem odio habentes.* Quid istis tam malis meritis nisi pœna vtique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quæ non secundum merita nostra datur, factum est quod
Ibid. 4. & seq. deinde subiunxit, & dicit: *Cùm autem benignitas, & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ.*

CAPUT VI.

HIS, & talibus testimonijs diuinis probatur *gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari*, quandoquidem non solùm nullis bonis, verum etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen; nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui
Psal. 26. 9 dicitur in Psalmo: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me;* dicendo, *ne derelinquas me*, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se vnde, & ille ait:
Psal. 29. 7 *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Putauerat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat vt non moueretur; sed vt ostenderetur illi cuius esset illud bonum, de quo tanquam suo cœperat gloriari, paululum gratia Dei deserente admonitus dicit:
Ibid. 8. *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem; auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ideò necessarium est homini, vt gratia Dei non solum iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cùm red-

redduntur ei bona pro malis, sed etiam cùm fuerit iam *iustificatus ex fide*, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico Canticorum de ipsa Ecclesia: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super fratruelem suum?* *Dealbata* est enim quæ per seipsam alba esse non posset. Et à quo *dealbata* est, nisi ab illo, qui per Prophetam dicit: *Si fuerint peccata vestra vt phœnicium, sicut niuem dealbabo?* Quando ergo *dealbata* est, nihil boni merebatur, iam verò alba facta, bene ambulat; sed si super eum à quo *dealbata* est, perseueranter incumbat: Propter quod, & ipse Iesus super quem incumbit *dealbata*, dixit discipulis suis: *Sine me nihil potestis facere.* Ergo redeamus ad Apostolum Paulum, quem certè inuenimus sine vllis meritis bonis, imò cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis: videamus quid dicat sua iam propinquante passione, scribens ad Timotheum: *Ego enim iam immolor*, inquit, *& tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Ista vtique iam merita sua bona commemorat; vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur: *Super est*, inquit, *mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*, Cui *redderet coronam iustus iudex*, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista *corona iustitiæ*, nisi præcessisset gratia quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Sed cùm dicunt Pelagiani hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, quà homini peccata dimittuntur; illam vero quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia; quoniam vero merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à teipso, non ab illo, sunt merita tua, hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ mala sunt, non

Cant. 8. 5.

Esai. 1. 18

Ioan. 15. 5

2 *Tim.* 4. 6. & 7.

Ibidem 8.

1 *Cor.* 4. 7

non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt,
Iac. 1. 17. quia sicut dicit Apostolus Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Vnde dicit, & Ioannes præcursor Do-
Ioan. 3. 27. mini nostri: *Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit*
Eph. 4. 8. *ei datum de cœlo*: vtique *de cœlo*, vnde etiam venit Spiri-
Psalm. 67. tus Sanctus, quando Iesus *ascendit in altum, captiuauit*
19. *captiuitatem, dedit bona hominibus.*

CAPUT VII.

SI ergò Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita Apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, & videamus vtrùm merita ipsius tanquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Primò ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogita-
2. Cor. 3. 5. tionibus dicat; ait enim scribens ad Corinthios: *Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deinde singula inspiciamus: *Bonum*, inquit, *certamen certaui.* Quæro quâ virtute certauerit, vtrùm quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit vt tantus doctor ignorauerit legem Dei, cuius vox est in Deuteronomio:
Deu 8. 17 & 18. *Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere*
1. Cor. 15. 57. *virtutem.* Quid autem prodest *bonum certamen*, nisi sequatur *victoria*? Et quis *dat victoriam*, nisi ille de quo dicit ipse; *gratias Deo qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum?* Et alio loco cùm commemo-
Psalm. 43 22. rasset testimonium de Psalmo: *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oues occisionis*: subiecit atque ait: *Sed in his omnibus superuincimus per eum*
Rom. 8. 37. *qui dilexit nos*; non ergò per nos, sed *per eum qui dilexit nos.* Deinde dixit: *Cursum consummaui*, sed ille hoc di-
Rom. 9. 16. xit, qui alio loco dicit. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ sententia nullo modo po-

test

teſt etiam ſic conuerti vt dicatur, non miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis eſt hominis; quiſquis enim hoc auſus fuerit dicere, apertè ſe oſtendit Apoſtolo contradicere. Poſtremò dixit; *fidem ſeruaui*, ſed ille hoc dixit, qui alibi ait: *Miſericordiam conſecutus ſum vt fidelis eſſem.* 1. Tim. 1. 4. Non enim dixit, *Miſericordiam conſecutus ſum* quia fidelis eram, ſed *vt fidelis eſſem*; hinc oſtendens etiam ipſam fidem haberi niſi Deo miſerante non poſſe, & *eſſe donum Dei*, Quod apertiſsimè docet dicens: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* Epheſ. 2. 8. Poſſent enim dicere, ideò accepimus gratiam, quia credimus tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo; propter hoc Apoſtolus cùm dixiſſet, *per fidem*, & *hoc*, inquit, *non ex vobis, ſed Dei Donum eſt.* Rurſus nè dicerent ſe ſuis operibus donum tale meruiſſe, continuo ſubiecit: *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur*; non quia negauit, aut euacuauit opera bona, cum dicat *Deum vnicuique reddere ſecundùm opera eius*; ſed quia opera ſunt ex fide, *non ex operibus fides*, ac per hoc ab illo ſunt nobis opera iuſtitiæ, à quo eſt ipſa fides, de qua dictum eſt: *Iuſtus ex fide viuit.* Hominis autem non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus, *arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*; putauerunt eum dicere ſufficere homini fidem, etiam ſi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod abſit vt ſentiret *vas electionis*; qui cum dixiſſet quodam loco: *In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium*, mox addidit. *Sed fides quæ per dilectionem operatur.* Ipſa eſt fides quæ fideles Dei ſeparat ab immundis dæmonibus; nam & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus, *credunt, & contremiſcunt*, ſed non bene operantur. Non ergò habent iſtam fidem ex quâ iuſtus viuit, id eſt, *quæ per dilectionem operatur*, vt reddat ei Deus vitam æternam ſecundum opera eius. Sed quia, & ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis, & fides eſt, & dilectio, propterea idem ipſe doctor gentium, etiam ipſam vitam æternam, *gratiam* nuncupauit.

Rom. 2. 6. Abac. 2. 4. Rom. 3. 28. Gal. 5. 6. Iac. 2. 19.

CAPUT VIII.

SEd nascitur inde non parua quæstio, quæ Domino donante soluenda est. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura; *Quoniam Deus reddet vnicuique secundum opera eius*; quomodo gratia est vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam sed secundum debitum.* Et iterum: *Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Et mox addidit: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Quomodo est ergò gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Imò verò sic dixit, vt negari omnino non possit, nec intellectorem acutum, sed tantummodò intentum desiderat auditorem. Cùm enim dixisset: *Stipendium peccati mors*; continuò subdidit: *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Ista ergò quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus Iesus; *Sine me nihil potestis facere.* Et ipse Apostolus cùm dixisset: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, nè forte quis extollatur*; vidit vtique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat; & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficiant, mox itaque addidit; *ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Quid est hoc, quod cùm Dei gratiam commendans dixisset, *non ex operibus, nè fortè quis extollatur*; cur hoc dixerit rationem reddens; *ipsius enim sumus*, inquit, *figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis*? Quomodo ergò *non ex operibus, nè fortè quis extollatur*? Sed audi & intellige, *non ex operibus* dictum, tanquam tuis ex teipso tibi existentibus; sed tanquam his in quibus te Deus finxit, id est, formauit & creauit. Hoc enim ait: *Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus*

Matt. 16. 17.

Rom 4.4.

Rom. 11. 5. & 6.

Rom. 5. 23.

Ioan. 15.5

Ephes. 8.

Ibid. 9.

bonis, non illa creatione, quà homines facti sumus; sed ea de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat: *Cor mundum crea in me Deus*, & de quà dicit Apostolus: *Si qua ergò in Christo noua creatura, vetera transierunt: Ecce facta sunt noua, omnia autem ex Deo.* Fingimur ergo, id est, formamur, & creamur *in operibus bonis, quæ* non præparauimus nos, *sed præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Itaque fratres charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia; sine dubio, & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodò gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit quoniam verum est, *quia reddet vnicuique Deus secundum opera eius.*

Psal. 50. 12.

1. Cor. 5. 17. & 18.

Psal. 161. 13.

Apoc. 22. 12.

CAPUT IX.

VTrùm autem legerimus in scripturis sanctis, *gratiam pro gratia*, forsitan quæritis; sed habetis Euangelium secundùm Ioannem tanta luce clarissimum, vbi Ioannes Baptista de Domino Christo dicit: *Nos omnes ex plenitudine eius, accepimus, & gratiam pro gratia. Ex eius* itaque *plenitudine accepimus* pro modulo nostro tanquam particulas nostras, vt bene viuamus; *sicut Deus partitus est mensuram fidei*, quia *vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*, & ipsa est gratia; sed insuper accipiemus, & *gratiam pro gratia*, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus: *Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro*; cum priùs dixisset, *Stipendium peccati mors.* Merito enim *stipendium*, quia militiæ diabolicæ mors æterna debitum tanquam redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè dicere: *Stipendium* autem iustitiæ *vita æterna*; maluit dicere: *Gratia autem Dei vita æterna*; vt hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo eius animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione, & misericordia.* Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est: *Deus est enim qui operatur in vobis,*

Ioan. 1. 16

Rom. 12. 3.

1. Cor. 7. 7.

Rom. 6. 23.

Psal. 102. 4.

Phil. 2. 13 *vobis ; & velle & operari pro bona voluntate* , ideò dixit Psalmus: *Coronat te in miseratione , & misericordia* ; quia eius miseratione bona operantur , quibus corona redditur. Non enim , quia dixit , *Deus est enim qui operatur in vobis , & velle & operari pro bona voluntate* ; ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset , non Ibid. 12. superius dixisset : *Cum timore , & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quando enim iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium ; sed ideò *cum timore, & tremore* , nè sibi tribuendo quod bene operantur , de bonis tanquam suis extollantur operibus. Tanquam ergò interrogaretur Apostolus , & diceretur ei , quare dixisti, *cum timore , & tremore* , horum verborum rationem reddidit , dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis.* Si enim timetis , & ttemitis , non extollimini tanquàm de vestris operibus bonis , quia *Deus est qui operatur in vobis.* Itaque fratres , debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala , & facere bona , hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis , siue veteribus , siue nouis.

CAPUT X.

Gal. 2. 16 Rom. 3. 20. SEd legamus , & adiuuante Domino intelligamus Apostolum dicentem : *Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram ipso , per legem enim cognitio peccati.* Cognitio dixit , non consumptio. Quando autem cognoscit homo peccatum , si non adiuuat gratia vt cognitum caueatur, sine dubio *lex iram operatur.* Quod alio loco ipse Apostolus dicit , ipsius enim verba sunt : *Lex iram operatur.* Hoc autem dixit , quia ira Dei maior est in præuaricatore , qui per legem cognoscit peccatum , & tamen facit ; talis quippe homo præuaricator est legis ; sicut & in alio loco dicit : *Vbi enim lex non est , nec præuaricatio est.* Propter hoc & alibi ait : *Vt seruiamus in nouitate spiritus , & non in vetustate literæ* ; legem volens intelligi literæ vetustatem , nouitatem verò spiritus quid nisi gratiam ? Et ne putaretur accusasse legem vel reprehendisse ; continuò sibi opposuit quæstionem , & ait : *Quid ergò dicemus : Lex peccatum est ? Absit.* Deinde subiunxit : *Sed peccatum non cognoui , nisi per legem* ; hoc est quod dixerat , *per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam* , inquit , *nesciebam , nisi*

Rom. 4. 15. Ibidem. Rom. 60. Ibid 7. & seq.

lex diceret: Non concupiſces; occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam; ſine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem aliquando viuebam ſine lege; adueniente autem mandato, peccatum reuixit; ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat in vitam, hoc eſſe in mortem; peccatum enim occaſione accepta per mandatum ſefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quod ergò bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operantum eſt mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Et ad Galatas dicit: *Scientes autem quoniam non iuſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto credidimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, quoniam ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.*

Exod. 20. 17.

Gal. 2. 16

CAPUT XI.

QUid ergò quod vaniſsimi homines, & peruerſiſsimi Pelagiani legem dicunt eſſe Dei gratiam, quâ iuuamur ad non peccandum? Quid eſt miſeri quod dicunt, qui ſine vlla dubitatione tanto Apoſtolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires aduerſus hominem accepiſſe per legem, & eum per *mandatum* quamuis *ſanctum, & iuſtum, & bonum*, tamen *occidere, & per bonum operari ei mortem*, de quâ non liberaretur, niſi viuificaret ſpiritus eum, quem litera occiderat; ſicut alio loco dicit, *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Et iſti indocibiles contra legem Dei cæci, & contra vocem Dei ſurdi, occidentem literam viuificare dicunt, & viuificanti ſpiritui contradicunt. Ergò, fratres, vt ipſius potius Apoſtoli verbis vos moneam, *debitores ſumus non carni vt ſecundùm carnem viuamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis.* Hæc dixi, vt Apoſtolicis verbis liberum arbitrium veſtrum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum; nec tamen ideò debetis in homine, hoc eſt, in vobis ipſis, non *in Domino gloriari*, quando non *ſecundùm carnem viuitis*, ſed *ſpiritu actiones carnis mortifi-*

2. Cor. 3. 6

Rom. 8. 12.

ca-

catis. Vt enim non se extollerent quibus ista dicebat, existimantes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere posse, non Dei, propterea cum dixisset, *Si autem spiritus actiones carnis mortificaueritis, viuetis*; continuò subiecit: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Quando ergò *spiritu actiones carnis mortificatis* vt *viuatis*, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite cuius *spiritu agimini* vt ista valeatis, vt vos filios Dei esse monstretis: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.*

Ibid. 14.

CAPUT XII.

QUotquot ergò adiuncto solo adiutorio legis sine adiutorio gratiæ *confidentes in virtute sua*, suo spiritu aguntur, non *sunt filij Dei.* Tales sunt de quibus dicit Apostolus, quòd *ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* De Iudæis hoc dixit, qui de se præsumentes gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant, *suam* verò *iustitiam* dicit eos *volentes constituere*, quæ iustitia est ex lege, non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est, suam iustitiam constituerunt, quando eandem legem suis viribus se implere posse credebant; *ignorantes Dei iustitiam*, non quà iustitia Deus iustus est, sed quæ iustitia est homini ex Deo. Et vt sciatis hanc illum eorum dixisse iustitiam, quæ est ex lege; hanc autem Dei, quæ homini est ex Deo; audite quid alio loco dicat, cùm de Christo loqueretur: *Propter quem omnia*, inquit, *non solùm detrimenta esse credidi, verùmetiam vt stercora existimaui esse, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Quid est autem, *non habens meam iustitiam quæ ex lege est*; cum sua non esset lex ipsa, sed Dei: nisi quia suam dixit iustitiam, quamuis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabant implere sine adiutorio gratiæ, *quæ est per fidem Christi?* Ideò cum dixisset, *Non habens meam iustitiam quæ ex lege est*; secutus adiunxit, *Sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo.* Hanc ignorabant de quibus ait: *Ignorantes Dei iustitiam*, id est, *quæ est ex Deo*, hanc enim dat non *litera occidens* (sed viuificans spiritus) *& suam volentes constituere*, quam dixit ipse *ex lege iustitiam*, cum

Rom. 10. 3.

Philip. 3. 8. & 9.

cum diceret ; *Non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt: iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti*, hoc eſt, gratiæ Dei non ſunt ſubiecti : ſub lege enim erant, non ſub gratia ; & ideò eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, ſed gratia. Propter quod alibi dicit : *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia* : non quia lex mala eſt, ſed quia ſub illa ſunt quos reos facit iubendo, non adiuuando. Gratia quippe adiuuat, vt *legis* quiſque ſit *factor*, ſine qua gratia ſub lege poſitus tantummodò erit *legis auditor*. Talibus itaque dicit : *Qui in lege iuſtificamini, gratia excidiſtis.*

Rom. 6. 14.

Gal. 5. 4.

CAPUT XIII.

QUis ita ſit ſurdus aduerſus Apoſtolicas voces, quis ita deſipiat, imò inſaniat neſciens quid loquatur, vt audeat dicere, *legem eſſe gratiam*, cùm clamet qui ſciebat quid loqueretur, *Qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis*? Si autem lex non eſt gratia, quia vt ipſa lex fiat non poteſt lex adiuuare, ſed gratia, nunquid natura erat gratia? Nam & hoc Pelagiani auſi ſunt dicere, gratiam eſſe naturam, in quâ ſic creati ſumus vt habeamus mentem rationalem quâ intelligere valeamus, facti *ad imaginem Dei*, vt *dominemur piſcibus maris, & volucribus cœli, & omnibus pecoribus quæ repunt ſuper terram.* Sed non hæc eſt gratia, quam commendat Apoſtolus *per fidem Ieſu Chriſti.* Hanc enim naturam etiam cum impijs, & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem gratia verò, *per fidem Ieſu Chriſti* eorum tantummodò eſt, quorum eſt ipſa fides. *Non enim omnium eſt fides.* Denique ſicut eis qui volentes *in lege iuſtificari, à gratia exciderunt*, veriſimè dicit : *Si ex lege iuſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt* : ſic & his qui gratiam quam commendat, & percipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſimè dicitur : Si ex natura iuſtitia, *ergò Chriſtus gratis mortuus eſt.* Iam hîc enim erat lex, & non iuſtificabat ; iam hic erat & natura, & non iuſtificabat ; ideò *Chriſtus* non *gratis mortuus eſt*, vt & lex per illum impleretur, qui dixit : *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere* : Et natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit *veniſſe ſe quærere, & ſaluare quod perierat*, in quem venturum antiqui etiam patres crediderunt, qui diligebant Deum.

2. Theſſ. 3. 2.

Gal. 2. 21.

Mat. 5. 17.

Luc. 19. 10.

Di-

Dicunt etiam gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantùm valere, vt peccata præterita dimittantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc verum esset, vtique in Oratione Dominica cum dixissemus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* non adderemus, *Et ne nos inferas in tentationem.* Illud enim dicimus vt peccata dimittantur, hoc autem vt caueantur, siue vincantur, quod à *Patre qui in cœlis est*, nullà ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Commoneo autem charitatem vestram, & multùm exhortor, vt beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione Dominica, diligenter legatis, & quantum vos Dominus adiuuerit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodùm sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, vt ostendat tamen ea quæ implenda iubentur in lege, in oratione esse poscenda. Quod vtique vanissimè fieret, si ad illa agenda sine diuino adiutorio voluntas humana sufficeret.

Mat. 6. 12 & 13.

CAPUT XIV.

SEd cùm fuerint conuicti non defensores sed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrij, quia neque scientia diuinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa *gratia*, quæ *per Iesum Christum Dominum nostrum* datur, sed ipsa facit vt lex impleatur, vt natura liberetur, peccatum non dominetur: Cùm ergò in his conuicti fuerint, ad hoc se conuertunt, vt quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim, *etsi non datur, secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam benè operamur; tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas*, inquiunt, *præcedit orantis, quam præcesserit voluntas credentis, vt secundum hæc merita, gratia sequatur exaudientis* Dei. Iam quidem de fide, hoc est de voluntate credentis superiùs disputaui, vsque adeò eam demonstrans ad gratiam pertinere, vt Apostolus non diceret: *Misericordiam consecutus sum*, quia fidelis eram; sed diceret, *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Sunt & alia testimonia, in quibus est quod ait: *Sapite ad temperantiam; sicut vni-*

1. Tim. 1. 13.

cui-

cuique Deus partitus est mensuram fidei. Et quod iam commemoraui: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Et illud quod scripsit ad Ephesios, *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo.* Et illud vbi ait; *Quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo.* Utrumque ergò ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, quia vtrumque dixit *esse donatum*: & illud maximè, vbi dicit, *Habentes eundem spiritum fidei*: non enim ait scientiam fidei; sed, *spiritum fidei*: quod propterea dixit, vt intelligeremus, quia fides & non petita conceditur, vt ei petenti alia concedantur. *Quomodò enim inuocabunt*, inquit, *in quem non crediderunt?* Ergò spiritus gratiæ facit vt habeamus fidem, vt per fidem impetremus orando, vt possimus facere quæ iubemur: ideò ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem, quoniam quod lex iubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, vt facere valeamus. Nam si fides liberi est tantummodò arbitrij, nec datur à Deo; propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus vt credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus, etiam peruersas & fidei contrarias voluntates, omnipotentem Deum ad credendum posse conuertere? Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur vbi dicitur, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre; non diceret per Prophetam, *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum*: quod de nouo testamento fuisse prædictum, satis Apostolus ostendit, vbi ait: *Epistola nostra vos estis, scripta non attramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quod non ideò dictum putemus, vt carnaliter viuant qui debent spiritaliter viuere: sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dicitur per Ezechielem Prophetam: *Et dabo eis*, inquit, *cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent, & faciant eas: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.* Nunquid ergò possumus nisi absurdissimè dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præcessisse,

Rom. 12. 3. *Ephes.* 2. 8 *Ephes.* 1. 2 *Phil.* 1. 29 2. *Cor.* 4. 13. *Rom.* 10. 14. *Ps.* 94. 8. *Ezech.* 11. 19. 2. *Cor.* 3. 2 & 3. *Ezech.* 11. 19. & 20.

vt

vt avelleretur ab eo *cor lapideum*: quandoquidem ipsum *cor lapideum* non significat nisi durissimam voluntatem, & aduersus Deum omnino inflexibilem? Vbi enim præcedit bona voluntas, iam non est *cor vtique lapideum*. Nam & alio loco per eundem Prophetam Deus manifestissimè ostendit non propter eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum ista facere, vbi ait, *Non propter vos ego facio domus Israel, sed propter nomen meum sanctum quod prophanastis in gentibus, quò intrastis illuc: & sanctificabo nomen meum magnum quod profanatum est in gentibus, quod prophanastis in medio eorum, & scient gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus; cùm sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram, & aspergam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis: & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Ezech. 36. 22. & seq.

Quis ita sit cæcus vt non videat, quis ita lapideus vt non sentiat istam gratiam non secundùm merita bonæ voluntatis dari, Domino dicente atque testante: *Non propter vos ego facio domus Israel, sed propter nomem meum sanctum*? Quare enim dixit, *Ego facio, sed propter nomen meum sanctum*: nisi ne illi putarent propter bona merita sua fieri, quod non erubescunt dicere Pelagiani? Non solùm autem bona merita eorum nulla, verùmetiam mala merita præcessisse demonstrat, dicendo, *sed propter nomen meum sanctum, quod prophanastis in gentibus.* Quis non videat horrendum malum esse, nomen sanctum Domini prophanare? Et tamen *propter* ipsum *nomen meum*, inquit, *quod prophanastis vos, ego faciam* vos bonos, *non propter vos*: & *sanctificabo*, inquit, *nomen meum magnum, quod prophanatum est in gentibus, quod prophanastis in medio eorum.* Sanctificare se dicit nomen suum, quod superiùs dixerat sanctum. Hoc est ergò quod oramus in oratione dominica, dicentes, *Sanctificetur nomen tuum*: vt sanctificetur in hominibus quod per seipsum sine dubio semper est sanctum. Denique sequitur: *Et scient omnes gentes quoniam ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus,* Mat. 6. 9.

cùm sanctificatus fuero in vobis. Cùm ergò ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis *cor lapideum*, per quod nomen Domini prophanauerunt.

CAPUT XV.

NE autem putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideò in psalmo dicitur: *Nolite obdurare corda vestra.* Et per ipsum Ezechielem: *Projicite à vobis omnes impietates vestras quas impiè egistis in me, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, & facite omnia mandata mea. Vt quid moriemini domus Israel, dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, sed conuertimini, & viuetis?* Meminerimus Deum dicere, *sed conuertimini, & viuetis*: cui dicitur, *Conuerte nos Deus.* Meminerimus Deum dicere: *Projcite à vobis omnes impietates vestras*: cùm ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere: *Facite vobis cor nouum, et spiritum nouum*: qui dicit, *Dabo vobis cor nouum, et spiritum nouum dabo in vobis.* Quomodo ergò quod dicit, *facite vobis*; hoc dicit *dabo vobis?* Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat quod iubet, cùm adiuuat vt faciat cui iubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quandò seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat vt possit implere diuina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: *Si volueris conseruabis mandata*; vt homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. *Sic quippe adiuuatur vt faciat quod iubetur*: tunc enim vtile est velle, cum possumus; & tunc vtile est posse, cùm volumus; nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si quod possumus, nolumus?

Ps. 94. 8. Ezech. 18 31. & 36.

Eccl. 15. iuxta 70.

CA-

CAPUT XVI.

MAgnum aliquid Pelagiani se scire putant, quandò dicunt: *Non iuberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideò iubet aliqua quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit: *Si volueris, conseruabis mandata*: in eodem libro Ecclesiastico aliquantò post dicit: *Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne forte cadam ab eo, & lingua mea perdat me?* Iam certè mandata acceperat: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Cùm ergò verùm sit quod dixit: *Si volueris, conseruabis mandata*; quare quærit *in ore suo dari custodiam*, similis ei qui dicit in Psalmo: *Pone Domine custodiam ori meo?* Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quandoquidem si voluerit, conseruabit mandata? Quàm multa Dei mandata sunt contra superbiam? iam nouit ea, si voluerit, conseruabit ea. Quare ergò paulò post dicit: *Domine Pater et Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi?* Iam dixerat ei lex: *Non concupisces*: velit ergò & faciat quod iubetur; quoniam si voluerit, conseruabit mandata. Quare sequitur & dicit, *Concupiscentiam auerte à me?* Contra luxuriam Deus quam multa mandauit? faciat ea, quia si voluerit, conseruabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, *Ventris appetitio, et concubitus ne apprehendat me?* Si hæc ei præsenti diceremus, rectissimè nobis responderet, & diceret: Ex ista oratione mea qua hæc à Deo peto, intelligite quomodò dixerim. *Si volueris conseruabis mandata.* Certum est enim nos mandata seruare si volumus; sed quia *præparatur voluntas à Domino*, ab illo petendum est vt tantum velimus, quantum sufficit vt volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui, *Præparatur voluntas à Domino*; de quo dictum est: *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet?* de quo dictum est: *Deus est qui operatur in vobis, et velle.* Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacis-

Eccl. 22. 33. *Ps.* 33. 14. *Ps.* 140. 3. *Eccl.* 23. 4 & 5. *Exod.* 20. 17. *Eccl.* 23. 6. *Ibidem.* *Prov.* 8. *iuxta* 70. *Ps.* 26. 23. *Phil.* 2. 13.

cissimas voluntati, qui dicit: *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Ezech. 36. 23. Cùm dicit, *faciam vt faciatis*: quid aliud dicit, nisi *auferam* à vobis *cor lapideum*, vnde non faciebatis; *Et dabo cor carneum*, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis? Ille facit vt faciamus, cui dicit homo: *Pone Domine custodiam ori meo*: hoc est enim dicere; fac vt ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: *Posui ori meo custodiam.* Ps. 140. 1. Ps. 38. 1.

CAPUT XVII.

QUI ergò vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Quandò enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna vtique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait, *Maiorem hac charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. 13. Vnde & Apostolus dicit, *Qui diligit proximum, legem impleuit; nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur; plenitudo ergò legis, dilectio.* Rom. 13. 8. & seq. Leu. 19. 18. Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quandò timore Dominum ter negauit. *Timor* enim *non est in charitate*, sicut ait Ioannes Euangelista in Epistola sua, *sed perfecta charitas foras mittit timorem*: & tamen quamuis parua, & imperfecta non deerat quandò dicebat Domino, *Animam meam pro te ponam*; putabat enim se posse quod se velle sentiebat. Et quis istam crsi. 37. paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Phil. 1. 6. Vt ergò velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus

vt faciamus, nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad
Phil. 2. 13 bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus, dictum eſt: *Deus eſt enim qui operatur in vobis, &*
Rom. 8. *velle.* De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo
28. facimus: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum.* Quid eſt *omnia*, niſi & ipſas terribiles ſæuaſquè paſſiones? Sarcina quippe illa quæ infir-
Matt. 11. mitati grauis eſt, leuis efficitur charitati. Talibus enim
30. Dominus dixit eſſe ſuam *ſarcinam leuem*; qualis Petrus fuit quando paſſus eſt pro Chriſto, non qualis fuit quando negauit Chriſtum. Iſtam charitatem, id eſt, diuino
Rom. 8. amore ardentiſsimam voluntatem commendans Apoſtolus,
35. *& ſeq.* dicit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an*
Pſalm. 43. *anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an peri-*
22. *culum, an gladius, ſicut ſcriptum eſt; quoniam propter te mortificamur tota die, deputati ſumus velut oues occiſionis? Sed in his omnibus ſuperuincimus per eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Et alio loco dicit: *Adhuc ſuperemimentiorem viam vobis demonſtro: Si linguis hominum loquar, &*
1. Cor. 12. 31. *Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum ve-*
Ibid. 13. 1 *lut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi ha-*
& ſeq. *buero prophetiam, & ſi ſciero omnia ſacramenta, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero omnia mea pauperibus, & ſi tradidero corpus meum vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Charitas magnanima eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non deboneſtatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuffert, charitas nunquam cadit.* Et paulo poſt: *Manet*, inquit, *fides,*
Ibid. 13. *ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas:*
Ibid. 14. 1. *Sectamini charitatem.* Item dicit ad Galatas: *Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occa-*
Gal. 5. 13. *ſionem carnis detis, ſed per charitatem ſeruite inuicem:*
& 14. *Omnis enim lex in vno ſermone impletur, in eo quòd diliges*

pro-

proximum tuum ſicut te ipſum, hoc eſt quod ad Romanos ait, *Qui diligit alterum, legem impleuit.* Item dicit ad Coloſſenſes: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* Et ad Timotheum, *Finis*, inquit, *præcepti eſt charitas*; & adiungens qualis charitas, *De corde*, inquit, *puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Ad Corinthios autem, cùm dicit: *Omnia veſtra cum charitate fiant*: ſatis oſtendit etiam ipſas correptiones, quas aſperas, & amaras ſentiunt qui corripiuntur, cum charitate eſſe faciendas. Vnde, & alibi cùm dixiſſet, *corripite inquietos, conſolamini puſillanimes ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes*: mox ſubiunxit: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ergò, & quando corripiuntur inquieti, non *malum pro malo*, ſed potiùs bonum *redditur.* Hæc autem omnia quæ niſi charitas operatur? Et Apoſtolus Petrus, *Ante omnia*, inquit, *mutuam inter vos charitatem perpetuò habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Dicit etiam Apoſtolus Iacobus; *Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm ſcripturas; Diliges proximum tuum tanquàm te ipſum, benefacitis.* Item Ioannes Apoſtolus: *Qui diligit*, inquit, *fratrem ſuum, in lumine manet.* Et alio loco: *Qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum; quia hæc eſt annunciatio quam audiuimus ab initio vt diligamus inuicem.* Itemque alibi: *Hoc eſt*, inquit, *mandatum illius, vt credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus inuicem.* Et iterùm: *Hoc*, inquit, *mandatum habemus ab ipſo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Et paulò poſt: *In hoc*, inquit, *cognoſcimus, quia diligimus filios Dei cùm Deum diligimus, & præcepta eius facimus; hæc eſt enim dilectio Dei, vt præcepta eius ſeruemus, & præcepta eius grauia non ſunt.* Et in Epiſtola ſecunda ſcriptum eſt: *Non quaſi præceptum nouum ſcribo tibi, ſed quod habuimus ab initio, vt diligamus inuicem.* Dicit etiam ipſe Dominus Ieſus *in duobus præceptis* dilectionis Dei, & dilectionis proximi, *totam legem Prophetaſque pendere* de quibus *duobus præceptis* in Euangelio ſecundùm Marcum ſcriptum eſt: *Et acceſſit vnus de Scribis qui audierat illos perquirentes, & videns quoniam illis bene reſponderit, interrogauit eum*: *Quod eſt primum omnium mandatum? Ieſus autem reſpondit ei*: *Primum omnium mandatum eſt*: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuum Deus vnus eſt, & diligies Domi-*

Leu. 19. 18.
Rom. 13. 8.
Coloſſ. 3. 14.
1. Tim. 1. 5.
1. Cor. 16. 14.
1. Theſſ. 5. 14. & 15.
1. Pet. 4. 8.
Iac. 2. 8.
Leu. 19. 18.
1. Ioan. 2. 10.
1. Ioan. 3. 10. & 11.
Ibid 23.
1. Ioan 4. 21.
1. Ioan. 5. 2. & 3.
2 Ioan. 5. verſ 5.
Matt. 22. 40.
Marc 12. 28. & ſeq.
Deut. 6. 4. & 5.

minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; hoc est primum mandatum. Secundum
Lev. 19. 18. *autem simile illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum; maius horum aliud non est mandatum.* Dicit etiam in Euangelio secundum Ioannem: *Mandatum nouum do vobis, vt*
Ioan. 13. 34. & 35. *diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

CAPUT XVIII.

HÆc omnia præcepta dilectionis, id est charitatis, quæ tanta & talia sunt; vt quidquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene; hæc ergò præcepta charitatis inaniter darentur hominibus, non habentibus liberum voluntatis arbitrium; sed quia per legem dantur, & veterem & nouam, quamuis in noua venerit gratia quæ promittebatur in vetere, lex autem sine gratia *litera* est *occidens*, in gratia verò *spiritus viuificans*, vnde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergò inter nos iudex Apostolus Ioannes, & dicat nobis: *Charissimi, diligamus inuicem.* In his verbis Ioannis
1. Ioan. 4. 7. cùm se illi extollere cœperint, & dicere, Vt quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus vt *inuicem diligamus*; sequitur continuò idem Ioannes, confundens
Ibidem. eos & dicens, *quia dilectio ex Deo est.* Non itaque ex nobis, sed *ex Deo est.* Cur ergò dictum est, *diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est*; nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret
Prou. 3. iuxta 70. vnde quod iubebatur impleret. Cùm dicitur, *diligamus inuicem*, lex est; cùm dicitur, *quia dilectio ex Deo est*, gratia est. *Sapientia* quippe *Dei legem, & misericordiam in*
Psalm. 83 7. *lingua portat.* Vnde scriptum est in Psalmo: *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.* Nemo ergò vos fallat fratres mei, quia nos non diligeremus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Idem Ioannes apertissimè hoc ostendit &
1. Ioan. 4. 19. dicit, *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Gratia

nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia, non nisi præuaricatores facit. Et quod discipulis suis dicit Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: nihil aliud indicat nobis. Si enim nos prius dileximus, vt hoc merito nos ipse diligeret, prius illum nos elegimus, vt ab illo eligi mereremur. Sed ipse qui *veritas est*, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertissimè contradicit: *Non vos me elegistis*, inquit. Si ergò *non elegistis*, sine dubio nec dilexistis; quomodo enim eum eligerent quem non diligerent? *Sed ego*, inquit, *vos elegi*. Nunquid non & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis huius sæculi prætulerunt? Sed quia electi sunt, elegerunt; non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præueniret. Vnde & Apostolus benedicens Thessalonicenses, *Vos*, inquit, *Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes.* Hanc benedictionem dedit, vt nos inuicem diligeremus, qui legem dederat vt *inuicem diligamus.* Denique alio loco ad eosdem, quia sine dubio in quibusdam eorum iam erat, quod eis vt esset optauerat: *Gratias*, inquit, *agere debemus Deo semper pro vobis fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem.* Hoc dixit, ne forte de tanto bono quod ex Deo habebant, tanquam ex seipsis id habentes extollerentur. Quod ergo *supercrescit fides vestra*, inquit, & *abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem gratias agere debemus Deo pro vobis*, non ita vos laudare tanquam hoc habeatis ex vobis. Et ad Timotheum dicit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & charitatis & continentiæ.* In quo sanè Apostoli testimonio cauere debemus, ne nos arbitremur non accepisse *spiritum timoris Dei*, quod sine dubio magnum est Dei donum; de quo dicit Propheta Esaias: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini*; non quo timore Petrus Christum negauit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: *Eum timete qui habet potestatem, & animam & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis,

Ioan. 15. 16.

1. *Thes.* 3. 12.

2. *Thes.* 1.

2. *Tim.* 1.

Esai. 11. 2. & 3.

Luc. 12.

cùm

Ibid. 4. cùm prius dixit: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & posteà non habent quid faciant.* Huius timoris non accepimus spiritum, *sed virtutis, & charitatis, & continentiæ.* De quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Non itaque per nos, sed *per spiritum sanctum qui datus est nobis*, ipsa charitate fit, quam Dei donum esse manifestat, vt tribulatio non auferat, sed potius operetur patientiam. Ad Ephesios etiam: *Pax*, inquit, *fratribus, & charitas cum fide.* Magna bona sed dicat vnde? *A Deo*, inquit, *patre & Domino Iesu Christo.* Ergo hæc magna bona, non sunt nisi Dei dona.

Rom. 5. 3. 3. & 5.

Ephes. 6. 23.

CAPUT XIX.

Ioan. 1. 5. 1. Ioan. 3. 1. SEd non est mirum, si *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* In Ioanne dicit: *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filij Dei vocemur & simus.* Et in Pelagianis *tenebræ dicunt*: Dilectio nobis ex nobis est. Quam si veram, id est, Christianam dilectionem haberent, scirent, & vnde haberent; sicut sciebat Apostolus qui dicebat: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo data sunt nobis.* Ioannes dicit: *Deus dilectio est.* Et Pelagiani etiam ipsum Deum non ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt; & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem: *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Quid est ineptius, imò verò quid est amentius, & ab ipsa sanctitate charitatis alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat; & ex nobis esse charitatem, quæ facit vt scientia inflare non possit? Item cùm dicat Apostolus: *Supereminentem scientiæ charitatem Christi*; quid est insanius quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est charitati; & ex hominibus charitatem, quæ supereminet scientiæ? Fides autem vera, & doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est: *A facie eius scientia*, & *intel-*

Cor. 2. 12.

1. Ioan. 4. 16.

1. Cor. 8. 1.

Ephes. 3. 19.

Prov. 2. iuxta 70. (1. Ioan. 4. 7.

lectus procedit. Et ſcriptum eſt : *Charitas ex Deo eſt.* Et legimus: *Spiritum ſcientiæ*, & *pietatis*; legimus, *Spiritum virtutis*, & *charitatis*, & *continentiæ*; ſed maius eſt donum, charitas quàm ſcientia; nam ſcientia quando eſt in homine charitas eſt neceſſaria, ne infletur; *charitas* autem *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.* *Eſai.* 11. 2. 2. *Tim.* 1. 7. 1. *Cor.* 8. 1. 1. *Cor.* 13. 4.

CAPUT XX.

SAtis me diſputaſſe arbitror aduerſus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quà voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adiuuatur; & ſic diſputaſſe, vt non magis ego, quàm diuina ipſa ſcriptura vobiſcum locuta ſit euidentiſsimis teſtimonijs veritatis; quæ Scriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntas quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verùmetiam illas quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate vt eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe iudicat occultiſsimo quidem iudicio, ſed ſine vlla dubitatione iuſtiſſimo. Nam inuenimus aliqua peccata etiam pœnas eſſe aliorum peccatorum, ſicut ſunt *vaſa iræ*, quæ *perfecta* dicit Apoſtolus *in perditionem*; ſicut eſt induratio Pharaonis, cuius & cauſa dicitur ad oſtendendam in illo virtutem Dei; ſicut eſt fuga Iſraelitarum à facie hoſtium de Ciuitate Hai; in animo enim factus eſt timor, vt fugerent, & hoc factum eſt vt vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum; vnde dicit Dominus ad Ieſum Naue : *Non poterunt filij Iſrael ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum.* Quid eſt, *non poterunt ſubſiſtere*? Quare non ſubſiſtebant per liberum arbitrium, ſed per timorem turbata voluntate fugiebant, niſi quia Deus dominatur, & voluntatibus hominum, & quos vult, in formidinem conuertit iratus? Nunquid non hoſtes Iſraelitarum aduerſus populum Dei quem ducebat Ieſus Naue ſua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit ſcriptura, *quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum, vt obuiam irent ad Iſrael ad bellum, vt exterminarentur.* Nunquid *Rom.* 9. 22. *Exod.* 7. 3. & 10. 1. *Ioſue* 7. 4. & 5. *Ibid.* 22. *Ibid.* 11. 20. 2. *Reg.* 16. 5.

quid non ſua voluntate homo improbus filius Gemini maledicebat Regi Dauid? Et tamen quid ait Dauid, plenus vera & alta & pia ſapientia? Quid ait illi qui male-
Ibid. 10. dicentem percutere voluit? *Quid mihi*, inquit, *& vobis filij Saruiæ, dimittite eum vt maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere Dauid. Et quis dicet ei, Quare feciſti ſic?* Deinde Scriptura diuina plenam ſententiam Regis velut ab alio initio repetendo commendans. *Et dixit*, inquit,
Ibid. 11. *Dauid ad Abiſai, & ad omnes pueros eius: Ecce filius*
& 12. *meus qui exijt de vtero meo quærit animam meam, quantò magis hic filius Gemini? Sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus; vt vidat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die iſto.* Quomodo *dixerit Dominus huic* homini *maledicere Dauid*, quis ſapiens, & intelliget? Non enim iubendo dixit vbi obedientia laudaretur, ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto, & occulto inclinauit, ideò dictum eſt, *dixit ei Dominus.* Nam ſi iubenti obtemperaſſet Deo, laudandus potius quàm puniendus eſſet, ſicut ex hoc peccato poſteà nouimus eſſe punitum. Nec cauſa tacita eſt, cur ei Domi-
3. *Reg.* 2. nus iſto modo dixerit *maledicere Dauid*, hoc eſt, cor eius
44. & 46. malum in hoc peccatum miſerit vel dimiſerit; *vt videat* inquit, *Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die iſto.* Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vſus eſt Iuda tradente Chriſtum; ſic vſus eſt Iudæis crucifigentibus Chriſtum. Et quanta inde bona præſtitit populis credituris? Qui & ipſo diabolo vtitur peſsimo, ſed optimè ad exercendam, & probandam fidem, & pietatem bonorum, non ſibi, quia omnia ſcit antequam fiant, ſed nobis quibus erat
2. *Reg.* 17. 14. neceſſarium, vt eo modo ageretur nobiſcum. Nunquid non ſua voluntate Abſalon elegit conſilium quod ſibi oberat? Et tamen ideò fecit, quia exaudierat Dominus eius patrem orantem, vt hoc fieret. Propter quod Scrip-
Ibidem. tura ait: *Et Dominus mandauit diſsipare conſilium Achitophel bonum, vt inducat Dominus ſuper Abſalon omnia mala. Bonum conſilium* dixit, quod ad tempus proderat cauſæ, quia pro ipſo erat contra patrem eius, contra quem rebellauerat vt poſſet eum opprimere, niſi Dominus conſilium diſsipaſſet quod dederat Achitophel,

agendo in corde Abſalon, vt tale conſilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret.

CAPUT XXI.

QUis non iſta iudicia diuina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen ſecundùm merita eorum? Roboam filius Salomonis reſpuit conſilium ſalubre ſeniorum quod ei dederant, nè cum populo durè ageret; & verbis coæuorum ſuorum potiùs acquieuit, reſpondendo minaciter quibus leniter debuit. Vnde hoc, niſi propria voluntate? Sed hinc ab eo receſſerunt decem tribus Iſrael, & alium regem ſibi conſtituerunt Hieroboam, vt irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum eſſe prædixerat. Quid enim Scriptura dicit? *Et non audiuit rex plebem, quoniam erat conuerſio à Domino, vt ſtatueret verbum ſuum quod locutus eſt in manu Abiæ Silonitæ de Hieroboam filio Nabath.* Nempe ſic factum eſt & illud, per hominis voluntatem, vt tamen *conuerſio eſſet à Domino.* Legite libros Paralipomenon, & inuenietis in ſecundo libro ſcriptum: *Et ſuſcitabit Dominus ſuper Ioram ſpiritum Philiſtiim, & Arabum qui finitimi erant Æthiopibus, & aſcenderunt in terram Iudæ; & diſſipauerunt eam, & cæperunt omnem ſubſtantiam, quæ in domo Regis inuenta eſt.* Hic oſtenditur Deum ſuſcitare hoſtes eis terris vaſtandis, quas tali pœna iudicat dignas. Nunquid tamen Philiſtiim & Arabes in terram Iudæam diſſipandam, ſine ſua voluntate venerunt, aut ſi venerunt ſua voluntate, vt mendaciter ſcriptum ſit, quod *Dominus* ad hoc faciendum eorum *ſpiritum ſuſcitauit*? Imò vtrumque verum eſt, quia & ſua voluntate venerunt, & tamen *ſpiritum* eorum *Dominus ſuſcitauit.* Quod etiam ſic dici poteſt, & eorum *ſpiritum Dominus ſuſcitauit*, & tamen ſua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino iniuſtè aliquid velle non nouit. Quid eſt quod *homo Dei*, dixit ad Amaſiam Regem, *Non veniat tecum exercitus Iſrael, non eſt enim Dominus cum Iſrael et omnibus filijs Ephrem: quoniam ſi putaueris obtinere in illis, in fugam conuertet te Deus ante inimicos,*

3. *Reg.* 12. 8. & 14.

Ibid. 15.

2. *Par.* 21. 16. & 17.

2. *Par.* 25. 7. & 8.

quo-

quoniam virtus est Deo, *vel adiuuare, vel in fugam vertere?* Quomodò virtus Dei alios iuuat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam, nisi quia ille qui *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit,* etiam in cordibus hominum operatur? Legimus quid dixerit Ioas Rex Israel, mittens nuncium ad Amasiam Regem, volentem pugnare cum illo. Nam post aliqua dixit: *Nunc sede in domo tua. Quid prouocas in malum, et cadis tu et Iudà tecum?* Deinde Scriptura subiunxit: *Et non audiuit Amasias quoniam à* Deo *erat vt traderetur in manus eius, quoniam quæsierunt Deos Edom.* Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui vtique iustè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea contemptà iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem Prophetam dicit Deus: *Et Propheta si errauerit et loquutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, et extendam manum meam super eum; et exterminabo eum de medio populi mei Israel.* In libro Esther scriptum est, quæ mulier ex populo Israel in terra captiuitatis facta fuerat vxor alienigenæ Regis Assueri: ergò in eius libro scriptum est, quòd cùm haberet necessitatem interueniendi pro populo suo, quem Rex vbicumque in regno eius esset, iusserat trucidari, orauit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, vt præter iussum Regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid scriptura dicat: *Et intuitus est eam tanquam taurus impetu indignationis suæ, et timuit Regina, et conuersus est color eius per dissolutionem, et inclinauit se super caput delicatæ suæ quæ præcedebat eam: Et conuertit* Deus, *et transtulit indignationem eius in lenitatem.* Scriptum est in Prouerbijs Salomonis: *Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu* Dei, *quòcumque voluerit, declinabit illud.* Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictum de Ægyptijs, quid eis fecerit Deus: *Et conuertit cor eorum vt odissent populum eius, vt dolum facerent in seruos eius.* In literis etiam Apostolicis videte quæ scripta sunt, in Epistola Pauli Apostoli ad Romanos: *Propterea tradidit illos* Deus *in desideria cordis eorum in immunditiam.* Item paulò post: *Propterea tradidit illos* Deus *in passiones ignominiæ.* Item paulò post: *Sicut non probauerunt* Deum *habere in notitiam, tradidit illos* Deus *in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt.* Et

Ps. 134. 9

4. Reg. 14. 9 10. & 11

2. Par. 25. 20.

Ezech. 14. 9.

Esth. 15. 2

Ibid. 15. 20. & 11.

Prou. 21. 1.

Ps. 104. 25.

Rom. 1. 24.

Ibid 25.

Ibid. 28.

ad

ad Theſſalonicenſes in Epiſtola ſecunda ait dē quibuſdam : *Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt vt ſalui fierent , ideò mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendatio , vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati , ſed conſenſerunt iniquitati.* His & talibus teſtimonijs diuinorum eloquiorum , quæ omnia commemorare nimis longum eſt , ſatis , quantum exiſtimo , manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcumque voluerit , ſiue ad bona pro ſua miſericordia , ſiue ad mala pro meritis eorum , iudicio vtique ſuo aliquando aperto , aliquando occulto , ſemper autem iuſto. Fixum enim debet eſſe & immobile in corde veſtro , quia *non eſt iniquitas apud Deum.* Ac per hoc quando legitis , in literis veritatis à Deo ſeduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum , nolite dubitare præceſsiſſe mala merita eorum , vt iuſtè iſta paterentur: ne incurratis in illud prouerbium Salomonis , *Inſipientia viri violat vias eius , Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Gratia verò non ſecundùm merita hominum datur , *alioquin gratia iam non eſt gratia* : quia ideò gratia vocatur, quia gratis datur. Si autem potens eſt , ſiue per Angelos, vel bonos vel malos , ſiue quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum , pro meritis eorum , quorum malitiam non ipſe fecit , ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam , aut creuit per propriam voluntatem: quid mirum eſt ſi per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona , qui operatus eſt vt ipſa corda eſſent ex malis bona?

2. *Theſ.* 2. 10. & 11.

Rom. 9. 14.

Prou. 19.

Rom. 9. 6.

CAPUT XXII.

SEd ſuſpicentur homines quælibet merita bona , quæ putant præcedere , vt iuſtificentur per Dei gratiam, non intelligentes cùm hoc dicunt , nihil aliud quàm ſe negare gratiam : ſed , vt dixi , quod volunt de maioribus ſuſpicentur ; de paruulis certè Pelagiani quid reſpondeant non inueniunt , quorum nec voluntas vlla eſt in accipienda gratia , cuius voluntatis meritum præceſsiſſe dicant , & inſuper eos etiam cum fletu reluctari videmus quando baptizantur , & diuina ſacramenta percipiunt. Quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur , ſi iam libero

bero vterentur arbitrio : & tamen hæret etiam in reluctantibus gratia , apertiſsimè nullo bono merito præcedente , *alioquin gratia iam non eſſet gratia.* Et aliquando filijs infidelium præſtatur hæc gratia , cùm occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocunque perueniunt ; aliquando autem fidelium filij non eam conſequuntur, aliquo impedimento exiſtente , ne poſsit periclitantibus ſubueniri. Fiunt verò iſta per occultam Dei prouidentiam, *cuius inſcrutabilia ſunt iudicia , & inueſtigabiles viæ* : quod vt Apoſtolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Iudæis & gentibus cùm ſcribe-
Rom. 11. 30 31. & 32. ret ad Romanos , id eſt , ad gentes , & ait : *Sicut enim aliquando vos non credidiſtis Deo , nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis in illorum incredulitate : ita & hi nunc non crediderunt in veſtra miſericordia , vt & ipſi miſericordiam conſequantur : concluſit enim Deus omnes in infidelitate , vt omnium miſereatur.* Et cùm attendiſſet quid dixerit , admirans ſententiæ ſuæ certam quidem veritatem , ſed magnam profunditatem , quomodò *concluſerit Deus omnes in infidelitate , vt omnium miſereatur* , quaſi faciens mala vt
Ibid. 33. venirent bona , mox exclamauit atque ait : *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei , quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius!* Hæc enim *inſcrutabilia iudicia , & inueſtigabiles vias* peruerſi homines non cogitantes , & procliues ad reprehendendum , non idonei ad intelligendum , putabant & iactitabant Apoſtolum di-
Rom. 3. 8. cere , *Faciamus mala , vt veniant bona.* Quod abſit vt Apoſtolus diceret ; ſed homines non intelligentes , hoc putabant dici quando audiebant quod dixit Apoſtolus , *Lex*
Rom. 5. 20 *autem ſubintrauit vt abundaret delictum ; vbi autem abundauit delictum ſuperabundauit gratia.* Sed vtique gratia id agit , vt iam fiant bona ab eis qui fecerunt mala , non vt perſeuerent in malis , & reddi ſibi exiſtiment bona. Non itaque debent dicere : *Faciamus mala vt veniant bona* ; ſed, fecimus mala , & venerunt bona ; iam faciamus bona , vt in futuro ſeculo recipiamus pro bonis bona , qui in hoc ſeculo recipimus pro malis bona. Propter quod ſcriptum
Pſ. 100. 1 eſt in Pſalmo : *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Do-*
Ioan. 3. 17 *mine.* Priùs itaque non ideò *venit filius hominis in mundum , vt iudicet mundum , ſed vt ſaluetur mundus per ipſum* ; hoc propter *miſericordiam* : poſteà verò propter *iu-*
Ioan. 9. *dicium* venturus eſt iudicare viuos & mortuos ; quamuis

&

& in hoc tempore ipsa saluatio non fiat sine iudicio, sed occulto; ideò ait: *In iudicium veni in hunc mundum; vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.*

CAPUT XXIII.

AD occulta ergò Dei iudicia reuocate, quando videritis in vna causa quam certè habent omnes paruuli, hæreditarium malum trahentes ex Adam, huic subueniri vt baptizetur; illi non subueniri, vt in ipsa obligatione moriatur; illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurum; istum verò baptizatum *rapi* ex hac vita, *ne malitia mutet intellectum eius*, & nolite in istis dare iniustitiam vel insipientiam Deo apud quem iustitiæ fons est, & sapientiæ. Sed sicut vos exhortatum sum ab initio sermonis huius, *in quod peruenistis, in eo ambulate, & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit*; & si non in hac vita, certè in altera; *nihil est enim occultum quod non reuelabitur.* Quando ergò auditis dicentem Dominum: *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*; & quod ait Apostolus, *Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*; in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita creditis; in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideò auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: *Ego induraui Pharaonem*, vel *induraui*, vel *indurabo cor Pharaonis.* Non enim propterea ipse Pharao non indurauit cor suum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata est ab Ægyptijs cynomya, dicente scriptura: *Et ingrauauit Pharao cor suum, & in isto tempore, & noluit dimittere populum.* Ac per hoc, & Deus indurauit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium. Certi ergò estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseueretis vsque in finem. Deus enim qui modo illis quos liberat non reddit secundum opera eorum, *tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.* Reddet omnino Deus, & mala pro malis, quoniam iustus est; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus, & iustus est. Tantummodò mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus

Sap. 4. 11.
Phil. 3. 15 & 16.
Matt. 10. 26.
Ezech. 14. 9.
Rom. 9. 18.
Exod. 8. 32.
Matt. 16. 17.

iustus non est. Reddet ergò mala pro malis, pœnam pro iniustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro iniustitia; & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

CAPUT XXIV.

REpetite assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite; vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis; dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote scriptum esse: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Ipsa est *sapientia desursum descendens*, sicut ipse Apostolus Iacobus dicit. Illam verò sapientiam repellite à vobis, & orate vt non sit in vobis quam detestatus est, vbi ait: *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus, & contentio est, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia, & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione.* Quid boni ergò non habebit qui hanc sapientiam postularit, & impetrari à Domino? Et hinc intelligite gratiam, quia si ex nobis esset ista *sapientia*, *desursum* non *esset*, nec ab ipso qui nos creauit Deo postulanda esset. Fratres orate, & pro nobis, *vt temperanter, & pie & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi*, cui est honor & gloria, & regnum cum Patre, & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Iacob. 1. 6.

Ibid. 3. 14. & *seq.*

Tit 2. 12. & 13.

Libri de gratia, & libero arbitrio

FINIS.

DIVI AUGUSTINI EPISTOLÆ DUÆ,

VNA CUM LIBRO SUPERIORI transmissæ.

Augustinus Valentino, in cuius conturbernio quidam erat qui videbatur non rectè sentire de libero arbitrio, docens nec liberum arbitrium sic asserendum, vt nihil tribuamus gratiæ, nec gratiam ita prædicandam, vt negemus liberum hominis arbitrium.

EPIS-

EPISTOLA XLVI.

DOMINO DILECTISSIMO, ET IN CHRISTI membris honorando Fratri Valentino, & fratribus qui tecum ſunt, Auguſtinus in Domino ſalutem.

VENERUNT ad nos duo iuuenes, Creſconius, & Felix, de veſtra Congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt, monaſterium veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, eo quod quidam in vobis ſic gratiam prædicent, vt negent hominis eſſe liberum arbitrium; & quod eſt grauius, dicant, quod in die iudicij non ſit vel *redditurus Deus vnicuique ſecundùm opera eius*. Etiam hoc tamen indicauerunt, quod plures veſtrum non ita ſentiant, ſed liberum arbitrium adiuuari fateantur per Dei gratiam, vt recta ſapiamus atque faciamus; vt cùm venerit Dominus *reddere vnicuique ſecundùm opera eius*, inueniat opera noſtra bona, *quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*. Hoc qui ſentiunt, bene ſentiunt. *Obſecro itaque vos fratres*, ſicut Corinthios obſecrauit Apoſtolus, *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*. Primò enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio Ioannis Apoſtoli, non venit *vt iudicaret mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum*. Poſteà verò, ſicut ſcripſit Apoſtolus Paulus, iudicabit Deus mundum quando *venturus eſt*, ſicut tota Eccleſia in ſymbolo confitetur, *iudicare viuos, & mortuos*. Si igitur non eſt Dei gratia, quomodo ſaluat mundum? Et ſi non eſt liberum arbitrium, quomodò iudicat mundum? Proinde librum vel Epiſtolam meam, quam ſecum ad vos ſupradicti attulerunt, ſecundùm hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis, vt à Dei gratia ſeparetis, tanquam ſine illa vel cogitare aliquid vel agere ſecundùm Deum *vlla ratione poſſimus*, quod omnino non poſſumus. Propter hoc enim Dominus cùm de fructu iuſtitiæ loqueretur, ait diſcipulis ſuis, *Sine me nihil poteſtis facere*: Vnde ſupra-

Matt. 16. 27.

Rom. 2. 6.

1. Cor. 1. 10.

Ioan. 3. 17

Rom. 2. 16.

Ioan. 15. 5

dictam Epistolam ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum contra nouos hæreticos Pelagianos noueritis esse conscriptam, qui dicunt *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, vt *qui gloriatur*, non *in Domino*, sed in seipso *glorietur*, hoc est, in homine, non in Domino. Quod prohibet Apostolus, dicens, *Nemo glorietur in homine.* 1. Cor. 3. 21. Et alio loco, *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur.* Ibid. 1. 31. Illi verò hæretici seipsos à seipsis iustos fieri putantes, quasi hoc eis non dederit Deus, sed ipsi sibi, non vtique *in Domino*, sed in semetipsis *gloriantur.* Talibus enim dicit Apostolus, *Quis enim te discernit?* Quod ideò dicit, Ibid. 4. 7. quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam non discernit hominem, vt cum *faciat vas in honorem*, non Rom. 9. 21. *in contumeliam*, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis, & inaniter inflatus cum audisset, *Quis enim te discernit*, posset respondere vel voce vel cogitatione, & dicere, discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea. Mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic autem gloriantur quasi non acceperint, qui se à seipsis iustificari putant; ac per hoc in semetipsis *non in Domino gloriantur.* Propter quod ego in hac Epistola quæ ad vos peruenit, probaui per testimonia sanctarum scripturarum, quæ ibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acceperimus ab illo, de quo dicit Apostolus Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Iac. 1. 17. Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, vt putetur verum esse quod illi hæretici dicunt, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, quod omninò falsissimum est; non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum (*alioquin quomodò iudicabit Deus mundum?*) Sed Rom. 3. 6. misericordia, & gratia Dei conuertit hominem, de quâ Psalmus dicit: *Deus meus misericordia eius præueniet me;* Psalm. 7. 11. vt iustificetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando iudicabitur mundus. Multa erant quæ vobis mittere cupiebam, quibus lectis, totam ipsam causam

quæ

quæ concilijs Episcopalibus acta est aduersus eosdem Pelagianos hæreticos, diligentius, & plenius nosse possetis; sed festinauerunt fratres qui ex numero vestro ad nos venerunt, per quos vobis non rescripsimus ista, sed scripsimus. Nullas enim ad nos vestræ charitatis literas attulerunt, tamen suscepimus eos quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil illos nobis potuisse confingere. Ideò autem festinauerunt, vt apud vos agerent Pascha, quò posset adiuuante Domino tam sanctus dies vestram pacem quàm dissensionem potius inuenire. Melius autem facietis (quod multum rogo) si ipsum à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non grauemini. Aut enim non intelligit librum meum, aut forte ipse non intelligitur, quando difficillimam quæstionem, & paucis intelligibilem soluere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratia Dei, quæ fecit, vt homines non intelligentes, putarent Apostolum Paulum dicere: *Faciamus mala vt veniant bona.* Rom. 3. 8. Vnde Apostolus Petrus in secunda Epistola sua, Quapropter, inquit, *Charissimi hæc expectantes satagite, inuiolati, & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domini nostri patientiam salutem existimantis. Sicut, & dilectissimus frater noster Paulus secundùm eam quæ data est ei sapientiam scripsit vobis, vt & in omnibus Epistolis loquens, in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles homines peruertunt, sicut & cæteras scripturas ad proprium suum interitum.* Cauete ergò quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit, & vbi sentitis vos non intelligere, interim credite diuinis eloquijs, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, vt etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, vt sapienter intelligamus, est vtique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur dicente scriptura, *Intelligite ergò qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite.* Psal. 93. 8. Eo ipso quippe quo præceptum, & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus; obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gra-


tiæ

tiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus atque ſaperemus, non diceretur Deo: *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua.* Neque in Euangelio ſcriptum eſſet, *Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas.* Nec Iacobus Apoſtolus diceret: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Potens eſt autem Dominus, qui & vobis donet & nobis, vt de veſtra pace, & pia conſenſione, nuncijs celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non ſolum meo nomine, ſed etiam fratrum qui mecum ſunt, & rogo vt pro nobis concorditer atque inſtanter oretis. Sit vobiſcum Dominus.

Pſal. 118. 73.

Luc. 24. 45.

Iacob. 1. 5.



Altera eiuſdem Epiſtola.

Auguſtinus Valentino de eodem argumento. Hæ duæ Epiſtolæ præferuntur duobus libris, quorum alter habet titulum de Gratia, & Libero Arbitrio, alter de Correptione, & Gratiæ.

EPIST. XLVII.

DOMINO DILECTISSIMO, ET IN Chriſti membris honorando Fratri Valentino, & fratribus qui tecum ſunt, Auguſtinus in Domino ſalutem.

CReſconium Felicem, & alium Felicem Dei ſeruos, qui ex veſtra congregatione ad nos venerunt, nobiſcum egiſſe Paſcha nouerit charitas veſtra. Quos ideò tenuimus aliquanto diutius, vt inſtructiores ad vos redirent, aduerſus nouos hæreticos Pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat aliquo merito humano *gratiam Dei* dari, quæ ſola hominem liberat *per Dominum noſtrum Ieſu Chriſtum*. Sed rurſum qui putat, quando ad iudicium Dominus venerit non iudicari hominem ſecundùm opera ſua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore eſt. Soli enim paruuli, qui nondum habent opera propria, vel bona vel mala, ſecundum ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per *lauacrum regenerationis* non ſubuenit gratia ſaluatoris. Cæteri autem omnes qui iam vtentes libero arbitrio, ſua propria peccata originali peccato inſuper addiderunt, ſi *de poteſtate tenebrarum* per gratiam Dei non *eruuntur*, nec *transferuntur ad regnum Chriſti*, non ſolùm ſecundùm originis, verùmetiam ſecundùm propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt, Boni verò etiam ipſi quidem, non ſolùm ſecun-

Coloſ. 1. 13

cundùm ſuæ bonæ voluntatis merita præmium conſequentur, ſed etiam ipſam bonam voluntatem per Dei gratiam conſequuti ſunt, ac ſic impletur quod ſcriptum eſt: *Ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci; gloria autem, & honor & pax omni operanti bonum Iudæo primùm & Græco.* Rom. 7. 10. De quâ difficillima quæſtione, hoc eſt de voluntate, & gratia, non opus habui etiam in hac Epiſtola diutius diſputare, quoniam, & aliam iam eis dederam, tanquam citius redituris. Et ſcripſi ad vos etiam librum, quem ſi adiuuante Domino, diligenter legeritis, & viuaciter intellexeritis, nullas exiſtimo inter vos de hac re diſſenſiones vlterius iam futuras. Portant autem ſecum, & alia, quæ vobis dirigenda eſſe credidimus, quibus cognoſcatis quemadmodùm Catholica Eccleſia, in Dei miſericordia Pelagianæ hæreſis venena repulerit. Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ vrbis Epiſcopum, de Concilio Prouinciæ Carthaginienſis, & de Concilio Numidiæ, & aliquantò diligentius à quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit; item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, eiuſque reſcriptum ad vniuerſos totius orbis Epiſcopos Miſſum; & quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breuiter conſtituimus, & ſupra memoratum librum meum quem modo ad vos ſcripſi; hæc omnia, & in præſenti legimus cum ipſis, & per eos miſimus vobis. Legimus eis etiam librum Beatiſsimi Martyris Cypriani de Oratione Dominica, & oſtendimus quemadmodùm docuerit omnia quæ ad mores noſtros pertinent, quibus rectè viuimus, à *patre noſtro qui in cœlis eſt* eſſe poſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio, à diuina gratia decidamus. Vbi etiam demonſtrauimus quo modo admonuerit idem glorioſiſsimus martyr, etiam pro inimicis noſtris, qui nondum in Chriſtum crediderunt, nos vt credant orare debere. Quod vtique inaniter fieret, niſi Eccleſia crederet etiam malas atque infideles hominum voluntates, per Dei gratiam in bonum poſſe conuerti. Sed hunc librum Sancti Cypriani quia dixerunt etiam illic apud vos eſſe, non miſimus. Meam quoque Epiſtolam ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum datam, quam ſecum ad nos attulerunt, legimus cum eis, & oſtendimus

ad-

aduersus eos esse conscriptam qui dicunt *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, hoc est aduersus eosdem Pelagianos. Quantum ergò potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus, vt in fide sana Catholica perseuerent, quæ neque liberum arbitrium negat siue in vitam malam siue in bonam; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat, siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam non timeat nè deficiat. Vos quoque charissimi, etiam in hac Epistola exhortor, quod nos omnes exhortatur Apostolus: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Attendite quid per Salomonem moneat Spiritus Sanctus: *Rectos cursus*, inquit, *fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, nè declines in dexteram, neque in sinistram; auerte autem pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* In his verbis sanctæ scripturæ considerate, fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram.* Et tamen sine Dei gratia, si posset hoc fieri, non posteà diceretur, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet: Nolite* ergò *declinare neque in dexteram neque in sinistram*; quamuis laudentur *viæ quæ à dextris sunt*, & vituperentur *quæ sunt à sinistris.* Hoc est enim propter quod addidit, *Auerte autem pedem tuum à via mala*; hoc est, à sinistra. Quod manifestat in sequentibus, dicens: *Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Eas vtique *vias* ambulare debemus, quas *nouit Dominus*, De quibus in Psalmo legitur: *Nouit Dominus viam iustorum, & via impiorum peribit.* Hanc enim non *nouit Dominus*, quia *sinistra est.* Sicut dicturus est etiam in sinistram constitutis. *Non noui vos.* Quid est autem quod ille non nouit, qui vtique nouit omnia, siue bona hominum, siue mala? Sed quid est, *Non vos noui*; nisi tales vos ego non feci? Quemadmodùm illud, quod dictum est de ipso Domino Iesu Christo, quia *non nouerat peccatum*, quid est, nisi quia non

Rom. 12. 3.

Prou 4. 25 & 27.

Psal. 1. 6.

Matth. 7. 23.

2. Cor. 5. 21.

fecerat? Ac per hoc quod dictum est, *Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus*; quomodò intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est, *vias iustorum* quæ sunt vtique opera bona, *quæ præparauit Deus*, sicut dicit Apostolus, *vt in illis ambulemus. Vias* autem sinistras *peruersas*, id est, *vias impiorum*, *non* vtique *nouit* quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi. Propter quod dicit: Odiui autem ego peruersas vias malorum, ipsæ sunt à sinistris. Sed respondetur nobis, Cur ergò dixit: *Ne declines in dextram neque in sinistram*; cùm potius dicere debuisse videatur, Tene dexteram, & ne declines in sinistram? Si bonæ sunt *viæ quæ à dextris sunt*, cur putamus, nisi quia ita viæ sunt bonæ *quæ à dextris sunt*, vt *in dextram* tamen *declinare* non sit bonum? *Declinare* quippe est intelligendus *in dextram*, qui bona ipsa opera quæ ad vias dextras pertinent, sibi vult assignare, non Deo. Et ideò cùm dixisset: *Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus*, *peruersæ autem sunt quæ à sinistris sunt*, tanquam diceretur ei. Quomodo ergò non vis vt *declinemus ad dextram*, sequutus adiunxit, *Ipse autem rectos faciet cursus tuos*, *itinera autem tua in pace producet*. Sic ergò intellige, quod tibi præceptum est, *Rectos cursus fac pedibus tuis*, & *vias tuas dirige*, vt nouerit cùm hoc facis, à Domino Deo tibi præstari vt hoc facias, & *non declinabis ad dextram*, quamuis ambules in vijs dextris, non *confidens in virtute tua*; & ipse erit *virtus tua*, qui *rectos faciet cursus tuos*, & *itinera tua in pace producet*. Quapropter dilectissimi, quicunque dicit, voluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona, *declinat in dextram*. Sed rursus qui putant bonam vitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, vt credatur, & intelligatur voluntates hominum ipsas ex malis bonas facere, ipsas etiam quas fecerit custodire, & propterea dicunt: *Faciamus mala vt veniant bona*, *in sinistram declinant*. Ideò vobis dixit, *non declinetis in dexteram neque in sinistram*; hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona opera sine Dei gratia tribuatis; nec sic defendatis gratiam, vt quasi de illa securi, mala opera diligatis; quod ipsa gratia Dei auertat à vobis. Talium quippè verba sibi proponens Apostolus ait, *Quid ergò dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet?*


Eph. 2. 10.

Rom. 3. 8.

Rom. 6. 1.

at-

atque his verbis hominum errantium, & Dei gratiam
Vid. 2. non intelligentium, respondit vt debuit, dicens, *Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodò viuemus in eo?* Nihil potui dici breuius, & melius. Quid enim nobis gratia Dei vtilius confert in hoc præsenti seculo maligno, nisi vt *moriamur peccato*? Ac per hoc ipsi gratiæ inuenietur ingratus, qui propter illam vult viuere in pec-
Ephes. 2. 4 cato, per quam *morimur peccato*, *Deus autem qui diues est in misericordia*, det vobis, & sanum sapere, & vsque in finem proficienter in bono proposito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt, instanter in pace fraterna, & vigilanter orate, vt Deo viuatis.



JHS.

IN SUBSEQUENS OPUSCULUM, LIBRI II. RETRACTATIONUM.

CAPUT VLTIMUM.

RVrſus ad eoſdem ſcripſi alterum librum, quem de Correptione, & Gratia prænotaui, cùm mihi nunciatum eſſet dixiſſe ibi quendam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit; ſed pro illo vt faciat, tantummodò orandum. Hic Liber ſic incipit, Lectis literis veſtris.

D. AURELIJ AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE CORRECTIONE, ET GRATIA, ad eundem Valentinum, & cum illo Monachos Adrumetinos.

LIBER * VNUS.

* *Scriptus anno Christi 426. aut 427. aliquanto post Pascha.*

PRincipio dicit quænam sit catholica fides de lege, de Libero Arbitrio, & de Gratia. Gratiam Dei per Iesum-Christum eam esse docet, quà sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus faciunt bonum, non solùm monstrante ipsa quid faciendum sit, sed etiam præstante ipsa vt id cum dilectione faciant, cùm ijs Deum inspirationem bonæ voluntatis atque operis largiatur. Correptionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec iniustam esse, cùm sua voluntate mali sint; nec inuti-

inutilem , tametsi fatendum est nonnisi per Deum fieri vt prosit. Perseverantiam in bono magnum re vera esse Dei munus ; nec tamen ideò eius qui non perseuerauerit , negligendam esse correptionem ; & qui non accepto hoc dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum , eum non correptione tantùm , sed si vsque ad mortem in malo permanserit , etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc donum ille accipiat , ille non accipiat , esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse : ac subinde perseverantiam, quàm non omnes accipiunt qui hic filij Dei appellantur , ijs omnibus dari qui verè filij sunt præscientia, & prædestinatione Dei. Respondet ad quæstionem quæ de Adamo se offert , quomodo ipse non perseuerando peccauit , qui perseuerantiam non accepit. Ostendit tale primum ipsi datum esse adiutorium , sine quo non posset permanere si vellet , non quo fieret vt vellet; nunc verò per Christum dari , non solùm sine quo permanere non possumus , etiam si velimus , verum etiam tantum ac tale , quo fiat vt velimus. Prædestinatorum , quibus proprium est huiusmodi donum , probat certum esse numerum, neque augendum, neque minuendum ; & cum ignotum sit quis ad eum numerum pertineat , quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus , ne vel ipsi pereant vel alios perdant. Concludit demum , nec gratia prohiberi correptionem , nec correptione negari gratiam.

CAPUT I.

LECTIS literis vestris, Valentine Frater dilectissimè, & qui simul seruitis Deo, quas per fratrem Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, misit charitas vestra, egi Deo gratias, quod vestram in Domino pacem, & in veritate consensionem, & in charitate flagrantiam, vestro nobis reddito sermone cognoui. Quod autem ad subuersionem quorundam apud vos molitus est inimicus, Deo miserante, & eius insidias in suorum seruorum prouectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potiùs valuit, vt nulli vestrum destruerentur in peius, sed nonnulli instruerentur in melius. Non itaque opus est omnia identidem retractare, quæ sufficienter vobis pleno libro disputata transmisimus, quem quomodo susceperitis rescripta indicant vestra. Verùmtamen semel lectum nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergò eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, vt dilucidissimè sciatis quibus, & qualibus quæstionibus soluendis atque sanandis, non ibi humana sed diuina occurrat authoritas, à quà recedere non debemus, si volumus peruenire quò tendimus. Dominus autem ipse non solùm ostendit nobis, à quo *malo declinemus*, *& quod bonum faciamus*, quod solùm potest legis litera; verùmetiam adiuuat nos, vt *declinemus à malo*, *& faciamus bonum*, quod nullus potest sine spiritu gratiæ; quæ si desit, ad hoc lex adest, vt reos faciat, & occidat. Propter quod dicit Apostolus: *Litera occidit*, *spiritus autem viuificat*. Qui ergò, legitimè lege vtitur, discit in ea malum, & bonum, & non *confidens in virtute sua* confugit ad gratiam quà præstante *declinet à malo*, *& faciat bonum*. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm *à Domino gressus hominis diriguntur*, *& viam eius volet*? Ac per hoc, & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est, de quo ait ille, *Et dixi*, *nunc cœpi*; *hæc est immutatio dexteræ excelsi*. Liberum itaque arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ seruusque peccati, in bono

Psalm. 36 27.

2. *Cor.* 3. 6

Psalm. 36 23

Psalm. 76 11.

bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Nec ita vt cùm quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, iam non indigeat fuit liberatoris auxilio; sed ita potiùs, vt ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere*; dicat ei & ipse, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Hanc fidem quæ sine dubio vera, & Prophetica, & Apostolica, & Catholica fides est, etiam in fratre nostro Floro inuenisse me gaudeo; vnde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse iam existimo, qui eum non intelligebant. Ioan. 8. 36. Ioan. 15. 5. Psal. 26. 9.

CAPUT II.

INtelligenda est enim *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, quà sola homines liberantur à malo, & sine quà nullum prorsus siue cogitando, siue volendo, & amando, siue agendo faciunt bonum; non solùm vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verùmetiam vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippè inspirationem bonæ voluntatis atque operis, poscebat Apostolus eis quibus dicebat: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non vt nos approbati appareamus, sed vt vos quod bonum est, faciatis.* Quis hoc audiat, & non euigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis esse, vt *declinemus à malo, & faciamus bonum*? Quandoquidem non ait Apostolus, monemus, docemus, hortamur, increpamus; sed ait: *Oramus ad Dum ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis.* Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemoraui; monebat, docebat, hortabatur, increpabat. Sed sciebat hæc omnia non valere, quæ plantando, & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem doctor gentium dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Non se itaque fallant qui dicunt: *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, & operari Deus operatur in nobis*; sed potiùs intelligant si *filij Dei sunt, spiritu Dei se agi*, vt quod agendum est agant, & 2. Cor. 13. 7. 1. Cor. 3. 7. Phil. 2. 13. Rom. 8. 14.

& cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant; aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, vt quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ *suauitatem* quam *dedit Dominus*, vt *terra eorum daret fructum suum*; accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, siue omnino non faciendo, siue non ex charitate faciendo; orent vt quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt quod non accepturi sunt, aut quid habent quod non acceperunt?

Ps Im. 84 13.

1. *Cor.* 4. 7

CAPUT III.

ERgò, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, & vt faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant, & arguant, si non fecerimus.* Imò omnia fiant, quoniam Doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent; & corripiebant, si non fierent; & orabant, vt fierent. Præcipit Apostolus dicens: *Omnia vestra in charitate fiant.* Corripit dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniusti regnum Dei non possidebunt?* Audiamus, & orantem: *Vos autem*, inquit, *Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes.* Præcipit vt habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas; orat, vt abundet charitas. O homo in præceptione cognosce quid debeas habere: in correptione cognosce, tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, vnde accipias quod vis habere.

1. *Cor.* 16. 14.

1 *Cor.* 6. 7 8. & 9.

1. *Thes.* 3. 12.

CAPUT IV.

QUomodò, inquit, *meo vitio non habetur; quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino alius vnde tale ac tantum munus habeatur?* Patimini me paululum, fratres mei, non aduersum vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed aduersus eos qui terrena sa-

ſapiunt, vel aduerſus ipſas humanas cogitationes, pro cœleſtis, & diuinæ gratiæ veritate certare. Hoc enim dicunt qui in ſuis malignis operibus ab huius gratiæ prædicatoribus corripi nolunt. *Præcipe mihi quid faciam; & ſi fecero, age pro me gratias* Deo, *qui mihi vt facerem dedit. Si autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt vt det quod non dedit; id eſt ipſam, qua præcepta eius fiant, fidelem* Dei, *& proximi charitatem. Ora ergò pro me vt hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præcipit faciam. Rectè autem corriperet, ſi eam mea culpa non haberem; hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare vel ſumere ipſe, nec facerem, vel ſi dante illo accipere noluiſſem. Cùm ergò, & ipſa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis? quia vides me eius præcepta facere nolle; & non potius ipſum rogas, vt in me operetur, & vel.e?* Prov. 8. iuxta 70.

CAPUT V.

AD hæc reſpondemus: quicumque Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonſtrari; non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo medicum quæras; non vis tibi tuipſe oſtendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſuplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt quod malus es, & maius vitium corripi nolle, quia malus es; quaſi laudanda vel indifferenter habenda ſint vitia, vt neque laudentur neque vituperentur; aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cùm ſalubriter ſtimulat, niſi vt rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro ſe fieri qui corripi non vult & dicit, ora potius pro me, ideò corripiendus eſt vt faciat etiam ipſe pro ſe. Dolor quippe ille quo ſibi diſplicet, quando ſentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum; vt Deo miſerante, incremento charitatis adiutus deſinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc eſt correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diuerſitate ſalubriter ad-

adhibetur, & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cùm facit vt peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem? Vnde, & Apostolus Paulus posteaquàm dixit, *cum modestia* corripiendos esse diuersa sentientes, protinus addidit: *Nè quando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de Diaboli laqueis.* Cur autem isti qui corripi nolunt, dicunt: *Tantùm præcipe mihi, & ora pro me, vt quod præcipis faciam?* Cur non potius secundum suum paruum sensum, & ista duo respuunt, & dicunt: Nec vt præcipias mihi, nec vt ores pro me volo? Quis enim hominum ostenditur orasse pro Petro, vt daret ei Deus pœnitentiam quà se negasse Dominum fleuit? Quis hominum Paulum diuinis præceptis ad fidem Christianam pertinentibus erudiuit? Cùm ergò audiretur prædicans Euangelium, & dicens: *Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium quod Euangelizatum est à me quia non est secundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Christi Iesu*; responderetur ei; Quid nobis molestus es, vt abs te accipiamus atque discamus, quod tu *non ab homine accepisti neque didicisti*? Potens est ille qui tibi dedit, sic & nobis dare quomodo tibi. Porro si hoc non audent dicere, sed patiuntur sibi Euangelium ab homine prædicari; quamuis etiam possit non per hominem homini dari; concedant etiam corripi se debere à præpositis suis, à quibus Christiana gratia prædicatur, quamuis non negetur, Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima, & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro, *Dominus respexit eum*, & fecit eum suum peccatum flere; ita non est negligenda correptio, quàmuis Deus quos voluerit etiam non correptos, facit esse correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cùm miseretur atque adiuuat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis, & innumerabilibus modis vocentur vt reformentur, absit vt dicamus iudicium luti esse debere, sed figuli.

Luc. 22. 61. & 62.

1. Tim. 2. 25. & 26.

Gal. 1. 11. & 12.

CAPUT VI.

APoſtolus, inquiunt, *ait*, *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Cur ergò corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Qui hæc dicunt, extra culpam ſe videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo; quia vtique ipſa obedientia munus eius eſt; quæ neceſſe eſt vt inſit ei cui *charitas* in eſt, quæ ſine dubio *ex Deo eſt*, & dat eam pater filijs ſuis. Hanc, inquiunt, *non accepimus, quid itaque corripimur; quaſi nos eam nobis dare poſsimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* Nec attendunt ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur obiurgati quod ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia *fecit Deus hominem rectum* ab initio humanæ creaturæ, & *non eſt iniquitas apud Deum*. Ac per hoc prima prauitas qua Deo non obeditur, ab homine eſt, quia ex rectitudine in quà eum Deus primitus fecit, ſua mala voluntate decidens, prauus effectus eſt. An verò ideò prauitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non eius propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Imò verò corripiatur, & in ſingulis, quod eſt omnium. Non enim propterea cuiuſquam non eſt, quod ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta originalia ideò dicuntur aliena, quod ea ſinguli de parentibus trahunt; ſed non ſine cauſa dicuntur, & noſtra, quia *in illo vno omnes*, ſicut dicit Apoſtolus, *peccauerunt*. Corripiatur ergò origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; ſi tamen qui corripitur filius eſt promiſsionis, vt ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante atque flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione *operetur*, & *velle*. Si autem iam regeneratus, & iuſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio. Qui ſi correptione compunctus ſalubriter ingemit, & ad ſimilia bona opera vel etiam meliora reuertitur; nempe hic apertiſsimè vtilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio ſiue ex charitate ſit, ſiue non ſit, tamen vt correptio proſit, non niſi per Deum fit. An adhuc, & iſte no-

1. Cor. 4. 7

1. Ioan. 4. 7.

Eccl. 7. 30
Rom. 9. 14.
Rom. 5. 12.

nolens corripi, poteſt dicere: *Quid ego feci qui non accepi?* quem conſtat accepiſſe, & ſua culpa quod acceperat amiſiſſe? *Poſſum*, inquit, *poſſum omnino, quando me arguit, quod ex bona vita in malam mea voluntate relapſus ſum, dicere adhuc; Quid ego feci qui non accepi: accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur; ſed in illa vſque in finem perſeuerantiam non accepi: an quiſquam dicere audebit iſtam perſeuerantiam non eſſe donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita eſſe noſtrum, vt quiſquis id habuerit, non ei poſsit Apoſtolus dicere, Quid enim habes quod non accepiſti, quoniam hoc ſic habet vt non acceperit?* Ad hæc nos negare quidem non poſſumus, etiam perſeuerantiam in bono proficientem vſque in finem, magnum eſſe Dei munus; nec eſſe niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Sed non ideò eſt eius qui non perſeuerauerit, negligenda correptio, *ne* fortè *det illi Deus pœnitentiam, & reſipiſcat de diaboli laqueis.* Correptionis quippe vtilitati hanc ſententiam ſubiunxit Apoſtolus dicens, ſicut ſupra commemoraui: *Cum modeſtia corripientem diuerſa ſentientes, ne quando det illis Deus pœnitentiam.* Nam ſi dixerimus iſtam perſeuerantiam tam laudabilem, tamque fœlicem ſic eſſe hominis, vt ei non ſit ex Deo: illud primitus euacuamus, quod ait Dominus Petro, *Rogaui pro te; ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogauit, niſi perſeuerantiam vſque in finem? Quæ profectò ſi ab homine homini eſſet, à Deo poſcenda non eſſet. Deindè cum dicit Apoſtolus: *Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali*; proculdubiò perſeuerantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit qui bonum deſerit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perſeuerans in bono. Illo etiam loco vbi dicit, *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communione veſtra in Euangelio à prima die vſque nunc, confidens hoc ipſum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Quid aliud eis quàm perſeuerantiam in bono vſque in finem, de Dei miſeratione promittit? Itemque vbi dicit, *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper certans pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei*: Quid eſt, *vt ſtetis*, niſi vt perſeueretis? Vnde

1. Cor. 4. 7

Iac. 1. 17.

2. Tim. 2. 25. & 26.

Ibid. 25.

Luc. 22. 32.

1. Cor. 13. 7.

Phil. 1. 3. & ſeq.

Coloſſ. 4. 12.

di-

dictum est de diabolo, *In veritate non stetit*; quia fuit ibi, sed non permansit. Nam vtique isti in fide iam stabant. Nec aliud oramus cum oramus, vt qui stat, *stet*, nisi vt perseueret. Item Iudas Apostolus cùm dicit: *Ei autem qui potens est conseruare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia*: nonnè apertissimè ostendit donum Dei esse in bono perseuerare vsque in finem? Quid enim aliud donat *qui conseruat sine offensione*, vt *constituat ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia*, nisi perseuerantiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum actibus legimus, *Audientes autem gentes gauisæ sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Quis *in æternam vitam* potuit *ordinari*, nisi perseuerantiæ dono? Quandoquidem *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quà salute, nisi æterna? Cùm verò in oratione dominica Deo patri dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*: Quid aliud dicimus, quàm vt nomen eius sanctificetur in nobis? Quòd cùm iam per *lauacrum regenerationis* effectum sit, quare quotidiè à fidelibus poscitur, nisi vt in eo quod factum est in nobis, perseueretur à nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc sic intelligit; exponens quippe eandem orationem, *Dicimus*, inquit, *sanctificetur nomen tuum; non quòd optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris; sed quòd petamus à Deo vt nomen eius sanctificetur in nobis? Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum; id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Ecce glorioſissimus martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidie fideles Christi petunt, vt perseuerent in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino vt in bono perseueret, precatur; domum eius esse talem perseuerantiam confitetur.

Ioan. 8. 44

Iuda. 24.

Act. 13. 48.

Matt. 24. 13.

Matt. 6. 9

Leuit. 19. 2.

***

CAPUT VII.

QUÆ cùm ita ſint, corripimus tamen eos, iuſtèque corripimus, qui cùm bene viuerent, non in eo perſeuerarunt. Ex bona quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt, & ideò corripiuntur; & ſi nihil eis correptio profuerit, ſed in vita perdita vſque ad mortem perſeuerauerint, etiam diuina in æternum damnatione ſunt digni. Nec ſe excuſabunt dicentes, ſicut hic modò dicunt, *quare corripimur*; ita tunc, quare damnamur; quandoquidem vt ex bono reuerteremur ad malum, perſeuerantiam non accepimus quà permaneremus in bono? Nullo modo hac excuſatione à iuſta damnatione ſe liberabunt. Si enim, ſicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Ieſu Chriſti; & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere, non ſe audiſſe Euangelium Chriſti, cùm
Rom. 10. 17. *fides ex auditu* ſit: quantò minus ſe liberabunt qui dicturi ſunt, perſeuerantiam non accepimus. Iuſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perſeuerantiam (quoniam poteſt dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeuerares ſi velles: nullo modo autem dici poteſt, id quod non audieras, crederes ſi velles. Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt; & qui eo audito in melius commutati perſeuerantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt in
Ioan. 6. 65 eum credere noluerunt (quoniam ipſe dixit, *Nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit à patre meo*) & qui per ætatem paruulam nec credere potuerunt, ſed ab originali noxà ſolo poſſent *lauacro regenerationis* abſolui, quo tamen non accepto mortui perierunt; non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus *ex vno in condemnationem*. Diſcernuntur autem non meritis ſuis, ſed per gratiam *mediatoris*, hoc eſt in ſanguine ſecũdi Adam *iuſtificati gratis*. Itaque cùm audimus,
1. *Cor.* 4. 7 *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ab illà perditionis maſsà quæ facta eſt per primum Adam, debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi quod hoc donum

ha-

habet quiſquis habet, quod gratia Suluatoris accepit. Hoc autem Apoſtolicum teſtimonium tam magnum eſt, vt beatus Cyprianus ad Quirinum ſcribens, ipſum ſubiecerit illi titulo, in quo ait, *In nullo eſſe gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Quicunque ergo ab illa originali damnatione iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quòd & procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt credunt, & in *fide, quæ per dilectionem operatur*, vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt: & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis huius vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui *vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in filio ſuo, ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus, aliquin gratia iam non eſt gratia.* Non enim ſic ſunt vocati, vt non eſſent electi: propter quod dictum eſt, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: ſed quoniam *ſecundum propoſitum vocati ſunt*, profectò *electi ſunt per electionem*, vt dictum eſt *gratiæ*, non præcedentium meritorum ſuorum; quia gratia illis eſt omne meritum. De talibus dicit Apoſtolus, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt: quoniam quos antè præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, ipſos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, ipſos & glorificauit.* Ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt: *electi ſunt* autem, quia *ſecundum propoſitum vocati ſunt*; *propoſitum* autem non ſuum, ſed Dei. De quo alibi dicit, *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*: & alibi: *Non ſecundùm opera noſtra*, inquit, *ſed ſecundùm ſuum propoſitum & gratiam.* Cùm ergò audimus: *Quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit; ſecundum propoſitum vocatos* debemus agnoſcere, quoniam inde cœpit, dicens, *Omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt*: ac deinde ſubiunxit, *Quoniam quos antè præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Atque his præmiſſis ſubdidit, *Quos autem prædeſtinauit, illos*

Gal. 5. 6.

Rom. 11. 6

Mat. 20. 16.

Rom. 8. 28 29. & 30.

Rom. 9. 11. 12. & 13.

2. Tim. 1. 9.

Rom. 8. 28. & ſeq.

illos & vocauit. Eos itaque vult intelligi, *quos ſecundum propoſitum vocauit*; ne putentur in eis eſſe aliqui vocati & non electi, propter illam dominicam ſententiam, *Multi vocati, pauci electi.* Quicunque enim *electi*, ſine dubio etiam *vocati*: non autem quicunque *vocati*, conſequenter *electi.* Illi ergò *electi*, vt ſæpè dictum eſt, qui ſecundum propoſitum *vocati*, qui etiam prædeſtinati atque præſciti. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto; non quomodo electus eſt Iudas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus eſt, qui nouit bene vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt*: illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad fundendum ſanguinem ſuum. Meritò ſequitur vox ad regnum electorum, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo nobis omnia donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis condemnat? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, magis autem qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis?* Quam fortis autem perſeuerantiæ vſque in finem munus acceperint, ſequantur & dicant: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt, Quia propter te morificamur tota die, eſtimati ſumus, vt oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperuincimus per eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neqae mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præſentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Iſti ſignificati ſunt ad Timotheum, vbi cùm dictum fuiſſet, *Hymenæum & Philetum fidem quorundam ſubuertere*, mox additum eſt: *Firmum autem fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Sciuit Dominus qui ſunt eius.* Horum *fides, quæ per dilectionem operatur*, profectò aut omnino non deficit, aut

Mat.20.6

Ioan.6.71

Rom. 8. 31.& ſeq.

Ibid. 15. & ſeq.

Pſal.13.

2. Tim.2. 18.& 19.

Gal.5.6.

ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ intercurrerat iniquitate, vſque in finem perſeuerantia deputatur. Qui verò perſeueraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana & conuerſatione lapſuri ſunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat; proculdubiò nec illo tempore, quo bene pièque viuunt, in iſto numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideò nec *ſecundum propoſitum vocati*, ac per hoc nec *electi*; ſed in eis *vocati*, de quibus dictum eſt, *Multi vocati*; & non in eis de quibus dictum eſt, *pauci verò electi*. Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt & baptizantur, & ſecundum Deum viuunt? Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui eos nouit non habere perſeuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit *electos*, ſcitque illos ita ſtare, vt præſciret eſſe caſuros. *Mat. 20. 7*

CAPUT VIII.

HIc ſi à me quæratur, cur eis Deus perſeuerantiam non dederit, quibus eam quà Chriſtianè viuerent, dilectionem dedit; me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter, ſed agnoſcens modulum meum, audio dicentem Apoſtolum, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et, *O! altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Quantùm itaque nobis iudicia ſua manifeſtare dignatur, gratias agamus; quantùm verò abſcondere, non aduerſus eius conſilium murmuremus, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus. Tu autem quiſquis inimicus eius gratiæ ſic interrogas, ipſe quid dicis? Bene, quod te non negas eſſe Chriſtianum, & catholicum iactas. Si ergò confiteris donum Dei eſſe perſeuerare in bono vſque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter neſcis, & ambo hic *inſcrutabilia iudicia Dei* penetrare non poſſumus. Aut ſi ad liberum arbitrium hominis, quod non ſecundum Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere dicis vt perſeueret in bono quiſque, vel non perſeueret, non Deo donante ſi perſeueret, ſed humana voluntate faciente; quid mo- *Rom. 9. 20.* *Rom. 11. 33.*

Luc. 22. 32. moliturus es contra verba dicentis, *Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua* ? An audebis dicere etiam rogante Christo *ne deficeret fides Petri*, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset: quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset vt vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret ? Sed quia *præparatur voluntas à Domino*, ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quandò *rogauit* ergò *ne fides eius deficeret*; quid aliud rogauit nisi vt haberet in fide libertimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem ? Ecce quemadmodùm secundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam; sed gratia potiùs libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Mirandum est quidem, multùmque mirandum, quod filijs suis Deus quibusdam quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam; cùm filijs alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia sua, faciat filios suos. Quis hoc non miretur ? Quis hoc non vehementissimè stupeat ? Sed etiam illud non minùs mirum est, & tamen verum, atque ita manifestum: vt nec ipsi inimici *gratiæ Dei* quomodò id negent valeant inuenire, quod filios quosdam amicorum suorum, hoc est regeneratorum bonorumque fidelium, sine baptismo hinc paruulos exeuntes, quibus vtique si vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quo parentes mittit illorum; & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt; cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis, ex eorum propria voluntate. Certè hic iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. In his est & illud de perseuerantia, de qua nunc disputamus. De vtrisque ergò exclamemus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius* ? Nec miremur nos vestigare non posse *inuestigabiles vias eius*. Vt enim alia innumerabilia taceam, quæ alijs dantur,

* Prou. 8. iuxta 70.

Rom. 11. 33.

alijs non dantur hominibus à Domino Deo; *apud quem non eſt acceptio perſonarum*, nec tribuuntur iſta meritis voluntatum (ſicut ſunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulchritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium; vel quæ accidunt extrinſecùs vt eſt opulentia, nobilitas, honores, & cætera huiuſmodi, quæ quiſque, vt habeat, non niſi in Dei eſt poteſtate: vt non immorer etiam in baptiſmate paruulorum, quod nullus iſtorum poteſt dicere, ſicut illa, ad regnum Dei non pertinere, cur illi paruulo detur, illi non detur, cum ſit vtrùnque in poteſtate Dei, & ſine illo Sacramento nemo intret in regnum Dei;) Vt ergò hæc taceam vel relinquam; illos ipſos intueantur de quibus agitur. De his enim diſſerimus, qui perſeuerantiam bonitatis non habeant, ſed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur, reſpondeant ſi poſſunt, cùr illos Deus, cùm fideliter & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, *ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum.* Vtrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? Nempè nihil horum niſi peruerſiſsimè atque inſaniſsimè dicitur. Cùr ergò non fecit? Reſpondeant qui nos irrident, quandò in rebus talibus exclamamus: *Quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis iuſti ait: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Cùr igitur hoc tam magnum beneficium alijs dat, alijs non dat Deus, *apud quem non eſt iniquitas, nec acceptio perſonarum*, & in cuius poteſtate eſt quamdiu quiſque in hac vita maneat, *quæ tentatio* dicta *eſt ſuper terram?* Sicut ergò coguntur fateri donum Dei eſſe vt finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem alijs donetur, alijs non donetur, ignorant: ita donum Dei eſſe in bono perſeuerantiam ſecundum Scripturas, de quibus teſtimonia multa iam poſui, fateantur nobiſcum; & cur alijs detur, alijs non detur ſine murmure aduerſus Deum dignentur ignorare nobiſcum.

Rom. 2. 11.

Sap. 4. 11.

Rom. 11. 33.

Sap. 4. 11.

Rom. 9. 14. & 2. 11.

Iob. 7. 1.

*****

CA-

CAPUT IX.

NEc nos moueat, quod filijs ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeuerantiam. Abſit enim vt ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & *ſecundum propoſitum vocati*, qui verè ſunt *filij promiſsionis*. Nam iſti cùm piè viuunt, dicuntur filij Dei; ſed quoniam victuri ſunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei. Sunt enim filij Dei, qui nondum ſunt nobis, & ſunt iam Deo; de quibus ait Euangeliſta Ioannes, *quia Ieſus moriturus erat pro gente; nec tantum pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum*; quod vtique credendo futuri erant per Euangelij prædicationem, & tamen antequam eſſet factum, iam filij Dei erant in memoriali patris ſui inconcuſſa ſtabilitate conſcripti. Et ſunt rurſus quidam qui filij Dei propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo. De quibus ait idem Ioannes, *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. Non ait, *ex nobis exierunt*; ſed quia non manſerunt nobiſcum, iam non ſunt ex nobis; verùm ait, *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*; hoc eſt, & quando videbantur in nobis, *non erant ex nobis*. Et tanquam ei diceretur, vnde id oſtendis? *Quod ſi fuiſſent*, inquit, *ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. Filiorum Dei vox eſt: Ioannes loquitur in filijs Dei loco præcipuo conſtitutus. Cùm ergò filij Dei dicunt de his qui perſeuerantiam non habuerunt, *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*; & addunt, *quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*; quid aliud dicunt, niſi non erant filij, etiam quando erant in profeſsione, & nomine filiorum? Non quia iuſtitiam ſimulauerunt, ſed quia in ea non permanſerunt. Neque enim ait: *Nam ſi fuiſſent ex nobis*, veram non fictam iuſtitiam tenuiſſent vtique nobiſcum; ſed, *ſi fuiſſent*, inquit, *ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*. In bono illos volebat proculdubiò permanere. Erant itaque in bono, ſed quia in eo non permanſerunt, id eſt, non vſque in finem perſeuerauerunt, *non erant*, inquit, *ex nobis*; & quando erant nobiſcum; hoc eſt, non erant ex numero filio-

Ioan. 11. 51. & 52.

1. *Ioan.* 2. 19.

filiorum, & quando erant in fide filiorum; quoniam qui verè filij sunt, *præsciti, & prædestinati sunt conformes imaginis filij eius, & secundùm propositum vocati sunt*, vt electi essent. *Non* enim *perit filius promissionis*, sed *filius perditionis*. Fuerunt ergò isti ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt. Igitur filijs suis non prædestinatis Deus perseuerantiam non dedit; haberent enim eam si in eo filiorum numero essent; & *quid haberent quod non accepissent*, secundùm apostolicam veramque sententiam? Ac per hoc tales filij filio Christi dati essent, quemadmodùm ipse dicit ad patrem, *vt omne quod dedisti mihi, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hi ergò Christo intelliguntur dari, *qui ordinati sunt in vitam æternam.* Ipsi sunt illi *prædestinati, & secundùm propositum vocati*, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus *vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et rursus quos dicimus inimicos eius, vel paruulos filios inimicorum eius, quoscunque eorum sic regeneraturus est, vt in ea *fide quæ per dilectionem operatur*, hanc vitam finiant; iam & antequam hoc fiat, in illa prædestinatione sunt filij eius, & dati sunt Christo filio eius, *vt non pereant, sed habeant vitam æternam.* Denique ipse saluator: *Si manseritis*, inquit, *in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Nunquid in his computandus est Iudas, qui non mansit in verbo eius? Nunquid in his computandi sunt illi, de quibus Euangelium sic loquitur, vbi Dominus cùm commendasset manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suum, ait Euangelista. *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergò audientes ex discipulis eius dixerunt, durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergò videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt; sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.* Nunquid non, & isti discipuli appellati sunt loquente Euange-

Rom. 8. 29. & 28. Ioan. 17. 12.

1. Cor. 4. 7.

Ioan. 6. 39.

Ioan. 8. 31.

Ioan. 6. 61. & seq.

ge-

gelio, & tamen non erant verè discipuli, quia non manse-
Ioan. 8, 31 runt in verbo eius, secundum id quod ait, *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis.* Quia ergò non habuerunt perseuerantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergò eos, & electos Christi Discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè viuere cernimus; sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseuerantiam non habent, id est in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur quod appellantur, & non sunt; apud eum enim hoc non sunt cui notum est quod futuri sunt, id est ex bonis ma-
Rom. 8. 28. li. Propter hoc Apostolus cùm dixisset: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono vsque in finem non permanere, mox addidit, *his qui secundùm propositum vocati sunt.* Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent vsque in finem; & qui ad tempus inde deuiant, reuertuntur vt vsque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem quid sit *secundùm propositum*
Ibid. 29 & 30. *vocari*, mox addidit ea quæ iam supra posuit: *Quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit*, scilicet secundum propositum; *quos autem vocauit, ipsos & iustificauit; quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit.* Illa omnia iam facta sunt, *præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit.* Quoniam, & omnes iam præsciti ac prædestinati sunt, & multi iam vocati atque iustificati. Quod autem posuit in fine, *illos, & glorificauit* (siquidem illa gloria est hic
Coloss. 3, 4. intelligenda, de qua idem dicit: *Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos cum illo apparebitis in gloria*) nondum factum est, quamuis & illa duo, id est *vocauit*, & *iustificauit*, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt. Adhuc enim vsque in finem seculi multi vocandi & iustificandi sunt; & tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam vt fierent ex æternitate dispositi. Ideò de illo
Esai. 45. iuxta 70. dicit, & Propheta Esaias, *qui fecit quæ futura sunt.* Quicunque ergò in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico

etiam

etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filij Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt. Hi verè veniunt ad Chriſtum; quia ita veniunt quomodo ipſe dicit: *Omne quod dat mihi pater ad me veniet; & eum qui venit ad me, non eijciam foras.* Et paulo poſt, *Hæc eſt*, inquit, *voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ab illo ergò datur etiam perſeuerantia in bono vſque in finem; neque enim datur, niſi eis qui non peribunt, quoniam qui non perſeuerant peribunt. Talibus Deus *diligentibus eum omnia cooperantur in bonum*, vſque adeò prorſus *omnia*, vt etiam ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Diſcunt enim in ipſa *via iuſta cum tremore ſe exultare* debere, non ſibi arrogando tanquam de ſua virtute fiduciam permanendi, nec *dicendo in abundantia ſua, non mouebimur in æternum*; propter quod eis dicitur, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nè quando irascatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Neque enim ait, & nè veniatis ad viam iuſtam; ſed, *nè pereatis*, inquit, *de via iuſta*: quid oſtendens, niſi eos eſſe commonitos, qui iam ambulant in *via iuſta, vt in timore Deo ſeruiant*, id eſt *non altum ſapiant, ſed timeant*? Quod ſignificat, non ſuperbiant, ſed humiles ſint; vnde & alibi dicit: *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*: exultent Deo, ſed cum tremore, *in nullo gloriantes, quando noſtrum nihil ſit, vt qui gloriatur, in domino glorietur*: *Ne pereant de via iuſta*, in quà iam ambulare cœperunt, dum ſibi hoc ipſum aſsignant, quod in ea ſunt. His verbis vſus eſt, & Apoſtolus, vbi ait: *Cum timore, & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Et oſtendens quare *cum timore, & tremore*, ait, *Deus eſt enim*, inquit, *qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate.* Non enim habebat hunc *timorem, & tremorem*; qui *dicebat in abundantia ſua, non mouebor in æternum*: ſed quia filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus Deo paululum deſerente quid eſſet ipſe, *Domine*, inquit, *in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem; Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam iam videns, & confitens in voluntate ſua, *Deum decori eius præſtitiſſe virtutem*, quod ſibi ipſi tribuens, & de ſe præſumens in tali abundantia quam

Ioan.6.37.

Pſal.29.7
Pſal.2.11 & 12.

Rom. 11. 20
Rom. 12. 16.
Hier.9.23 & 24.

Phil.2.12

Ibid.13.

Pſal.29.7

Ibid.8.

præ-

præstiterat Deus, non de illo qui eam præstiterat dicebat, *non mouebor in æternum. Factus est* ergò *conturbatus*, vt se inueniret, & humiliter sapiens, non solùm æternæ vitæ, verùmetiam in hac vita piæ conuersationis & perseuerantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox & Apostoli Petri esse potuit : *dixerat* quippe & ipse *in abundantia sua, Animam meam pro te ponam* ; sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino posteà largiendum, *Auertit* autem *ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus*, ita vt eum mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rursus conuertit ad eum faciem suam dominus, & culpam lachrymis diluit. Quid est enim aliud, *Respexit eum* ; nisi faciem suam quam paululùm ab illo auerterat, reuocauit ad eum? *Factus* ergò *fuerat conturbatus*. Sed quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui *diligentibus eum omnia cooperatur in bonum* ; quia *secundùm propositum vocatus erat*, vt nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat. Nemo ergò dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseuerantiam à Domino tantùm esse poscendam : nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim *secundùm propositum vocatus est* iste, proculdubiò illi etiam quod corripitur, *Deus cooperatur in bonum*. Vtrùm autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum : scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut iudicium. Misericordiam quidem, si à massà perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter *vasa iræ* quæ *perfecta* sunt *in perditionem*, sed inter *vasa misericordiæ quæ præparauit Deus in gloriam*. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

Ioan. 13. 37.

Luc. 22. 61.

Rom. 9. 22 & 23.

CAPUT X.

HInc ex oritur alia quæstio non sanè contemnenda, sed in adiutorio Domini, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri aggredienda atque soluenda. Quæritur enim à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseuerare vsque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine vllo vitio factus

eſt rectus. Nec dico, ſi perſeuerantiam non habuit, quomodò ſine vitio fuit, cui tam neceſſarium Dei donum defuit? Huic namque interrogationi facilè reſpondetur, eum perſeuerantiam non habuiſſe, quia in eo bono quo ſine vitio fuit, non perſeuerauerit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit, & ſi cœpit, antequam cœpiſſet, vtique ſine vitio fuit. Aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate, in qua nullum vitium eſt, non manere. Eo quippe ipſo quòd non dicitur nunquam ſine vitio fuiſſe, ſed dicitur ſine vitio non permanſiſſe, proculdubio demonſtratur ſine vitio fuiſſe, in quo bono non permanſiſſe culpatur. Sed illud magis quærendum operodiuſque tractandum eſt, quomodò reſpondeamus eis, qui dicunt: *Si in illa rectitudine in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeuerantiam, proculdubiò perſeuerauit in ea. Et ſi perſeuerauit, vtique non peccauit, nec illam ſuam rectitudinem Deumque deſeruit. Eum autem peccaſſe, & deſertorem boni fuiſſe veritas clamat. Non ergò habuit in illo bono perſeuerantiam, & ſi non habuit, non vtique accepit. Quomodò enim & accepiſſet perſeuerantiam, & non perſeuerauiſſet? Porrò ſi propterea non habuit quia non accepit, quid ipſe non perſeuerando peccauit, qui perſeuerantiam non accepit? Neque enim dici poteſt ideò non accepiſſe, quia non eſt diſcretus à maſſa perditionis gratiæ largitate: Nondùm quippè erat illa in genere humano perditionis maſſa antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata.* Quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſsimè credimus, Deum dominumque rerum omnium qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura eſſe præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſsimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe angelorum & hominum vitam, vt in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium iuſtitiæque iudicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps eſt qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti ſunt: Refugientes tamen eius bonitatem quà beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſsimam ſcire meruerunt. Si enim nos de ſcripturis ſanctis noſſe potuimus

ſan-

ſanctos Angelos iam nullos eſſe caſuros, quantò magis hoc ipſi reuelata ſibi ſublimiùs veritate nouerunt? Nobis quippe beata ſine fine vita promiſſa eſt, & æqualitas Angelorum: Ex qua promiſsione certi ſumus, cùm ad illam vitam poſt iudicium venerimus, non inde nos eſſe lapſuros: quod ſi de ſeipſis angeli neſciunt, non æquales, ſed beatiores erimus: Veritas autem nobis eorum promiſit æqualitatem. Certum eſt igitur hoc eos noſſe per ſpeciem, quod nos per fidem, nullam ſcilicet iam ruinam cuiuſquam ſancti angeli futuram. Diabolus verò & angeli eius, etſi beati erant antequàm caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquàm præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, vt magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlteriùs omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſsimè noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine vllo vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent æternumque ſupplicium, beati vtique eſſe non poſſent, quos huius tanti mali metus iam tunc miſeros eſſe compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profectò ſine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito huiuſmodi permanſionis, beatitudinis plenitudinem, quà & ſancti angeli ſunt beati, id eſt, vt cadere non poſſet vlteriùs, & hoc certiſsimè ſciret. Nam neque ipſe poſſet etiam in paradiſo beatus eſſe; imò ibi non eſſet, vbi eſſe miſerum non deceret, ſi eum ſui caſus præſcientia timore tanti mali miſerum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deſeruit, iuſtum iudicium Dei expertus eſt, vt cum tota ſua ſtirpe quæ in illo adhuc poſita, tota cum illo peccauerat, damnaretur. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur, à damnatione vtique liberantur, qua iam tenentur obſtricti: vnde etiam ſi nullus liberaretur, iuſtum Dei iudicium nemo iuſtè reprehenderet. Quod

Matt. 22. 30.

ergò pauci in comparatione pereuntium, in ſuo verò numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ ſunt agendæ quia fit, *ne quis* velut de ſuis meritis *extollatur*, ſed *omne os obſtruatur*, & *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Rom. 3. 19. 1. Cor. 1. 31.

CAPUT XI.

QUid ergò? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparauerat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum: *Libera nos à malo.* Mat. 6. 13. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit: iſtos à reatu & hæreditario & proprio, illius agni ſanguis abſoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti cùm dicunt, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*: quoniam in eis *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali rixa à ſeipſo aduerſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent iſti: & quæ potentior quàm Dei vnigenitus filius, æqualis patri, & coæternus pro eis *homo factus*, & ſine vllo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamuis die tertio reſurrexit, numquam moriturus vlteriùs, pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præſtitit vitam, vt redempti eius ſanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donauit?* Deus ergò naturam noſtram, id eſt, animam rationalem carnemque hominis Chriſti ſuſcepit, ſuſ-

Rom. 7. 23. 24. & 25. Gal. 5. 17. Rom. 8. 31. & 32.

ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, vt nullis iuſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis filius Dei ſic eſſet ab initio quo eſſe homo cœpiſſet, vt ipſe, & verbum quod tunc initio eſt, vna perſona eſſet. Neque enim quiſquam tanta rei huius, & fidei cœcus eſt ignorantia, vt audeat dicere quamuis de Spiritu Sancto, & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene viuendo, & ſine peccato bona opera faciendo meruiſſe, vt eſſet Dei filius, reſiſtente Euangelio atque dicente: *Verbum caro factum eſt.* Nam vbi hoc factum eſt, niſi in vtero virginali, vnde fuit initium hominis Chriſti? Itemque virgine requirente, quomodò fieret quod ei per angelum nunciabatur, angelus reſpondit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Propterea, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius* Dei. *Propterea*, inquit, *non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla ſunt*; ſed *propterea* quia *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius* Dei. Iſta natiuitas profectò gratuita coniunxit in vnitate perſonæ hominem Deo, carnem verbo. Iſtam natiuitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne iſto ineffabili modo in vnitatem perſonæ à verbo Deo natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm iſta ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta, nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc *mediatorem* Deus oſtendit eos, quos eius ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps in æternum bonos, quem ſic ſuſcepit, vt nunquam eſſet malus, ne ex malo factus bonus, non ſemper eſſet bonus. Iſtam gratiam non habuit homo primus, quà nunquàm vellet eſſe malus; ſed ſanè habuit in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec ipſum ergò Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono; quod adiutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adiutorium quod de-

Ioan. 1. 14

Luc. 1. 35.

deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret vt vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit, vt habeat homo iuſtitiam ſi velit; ſecunda ergò plus poteſt, quà etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij; quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto maior eſt, vt parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit; niſi etiam efficiatur vt velit. Tunc ergò dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippè eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat, & adiutorium, ſine quo in ea non poſſe permanere ſi vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergò permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt; cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet; ſicut fecerunt angeli ſancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſsimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros. Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini cum primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere ſi vellet, non vtique ſua culpa ceciderat. Adiutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundum debitum, & tanto amplius datur *per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum*, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus; verùmetiam tantum ac tale ſit, vt velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùmetiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo; vnum

enim

enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset; & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseueraſſet. Posset enim perseuerare etiam si vellet; quod vt nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, vt bene velle posset, & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato, quæ futura erat, & homini, sicut facta est, & Angelis Sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

CAPUT XII.

QUapropter bina ista quid inter se differant, diligenter, & vigilanter intuendum est; posse non peccare, & non posse peccare; posse non mori, & non posse mori; bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est, *Si peccaueris, morte morieris*? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideò mortuus sit? Prima ergò libertas voluntatis erat, posse non peccare; nouissima erit multò maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: nouissima erit multo maior, non posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere: nouissima erit felicitas perseuerantiæ, bonum non posse deserere. Nunquid quia erunt bona nouissima potiora atque meliora, ideò fuerunt illa prima vel nulla vel parua? Itemque ipsa adiutoria distinguenda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat qui mori voluerit. Ergò adiutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit vt viuamus. At verò beatitudo, quam non ha-

habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùmetiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium, & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere. Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur; sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùmetiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit, *Sine me nihil potestis facere*; verùmetiam dixit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posuit vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis eis non solùm iustitiam, verùm etiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente *vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat*; quis audeat dicere, forsitan non manebit? *Sine pœnitentia sunt* enim *dona, & vocatio Dei*; sed vocatio eorum *qui secundùm propositum vocati sunt.* Pro his ergò interpellante Christo *ne deficiat fides eorum*, sine dubio non deficiet vsque in finem: ac per hoc perseuerabit vsque in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius inueniet finis. Maior quippe libertas est necessaria aduersus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus; hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam, & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate; isti autem non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterunt in fide; cùm videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus; isti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent. Vnde hoc, nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles

Ioan. 15. 16.

Rom. 11. 29.

essent;

2. Tim. 1, 7 essent; à quo acceperunt *spiritum* non *timoris*, quo persequentibus cederent, *sed virtutis, & charitatis, & continentiæ*, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergò sine peccato vllo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato; horum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis quamdiu hic viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla surrepant, propter quæ dicant quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*; non tamen vltra seruiant peccato quod est ad mortem, de quo dicit Ioannes Apostolus: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* De quo peccato quoniam non expressum est, possunt multa & diuersa sentiri; ego autem dico id esse peccatum, *fidem quæ per dilectionem operatur*, deserere vsque ad mortem. Huic peccato vltra non seruiunt, non prima conditione, sicut ille, liberi, sed per secundùm Adam Dei gratia liberati; & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo seruiant Deo, non quo captiuentur à diabolo. *Liberati* enim *à peccato serui facti sunt iustitiæ*, in qua stabunt vsque in finem, donante sibi illo perseuerantiam, qui *eos præsciuit, & prædestinauit, & secundùm propositum vocauit, & iustificauit, & glorificauit*: quoniam illa quæ his promisit, etiam futura iam fecit, cui promittenti *credidit Abraham, & deputatum est illi ad iustitiam.* Dedit enim *gloriam Deo plenissimè credens*, sicut scriptum est, *quia quæ promisit, potens est, & facere.* Ipse ergò illos bonos facit, vt bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic *credidit Abraham*; sed, *non est infirmatus in fide, dans gloriam* Deo, *& plenissimè credens, quia quæ promisit* Deus, *potens est, & facere.* Non ait, quæ præsciuit, potens est promittere; aut, quæ prædixit, potens est ostendere; aut, quæ promisit, potens est præscire; sed, *quæ promisit, potens est & facere.* Ipse ergò eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt, & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamuis ergò de omnibus regeneratis, & piè viuentibus loqueretur Apostolus, dicens: *Tu quis es qui iudicas seruum*

Ioan. 8, 36

Mat. 6, 12

1. Ioan. 5, 16.

Rom. 6, 18.

Rom. 4, 3. 20. & 21

Rom. 14, 4.

alienum? suo Domino stat aut cadit; continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait, *Stabit autem*, & ne hoc sibi arrogarent, *Potens est enim* Deus, inquit *statuere eum*. Ipse itaque dat perseuerantiam, qui statuere potens est eos qui stant, vt perseuerantissimè stent, vel restituere qui ceciderint: *Dominus* enim *erigit elisos*. Vt ergò non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseuerantiam primus homo, sed perseuerare vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati, perseuerandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus iniustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed simul sciente quid de illo ipse faceret iustè. Nunc verò postea quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo quò maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, *vt non glorietur omnis caro coram ipso*, id est, omnis homo. Vnde autem *non glorietur caro coram ipso*, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Ita ergò *non gloriatur omnis caro coram ipso*. Non enim gloriantur intusti, quia non habent vnde; nec iusti, quia ex ipso habent vnde, nec habent gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt, *Gloria mea, & exaltans caput meum*. Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptum est, *Vt non glorietur omnis caro coram ipso*: ad iustos autem illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Hoc etiam Apostolus apertissimè ostendit, qui cum dixisset, *vt non glorietur omnis caro coram ipso*; ne putarent sancti sine gloria se remansisse, mox addidit, *Ex ipso autem vos estis in Iesu-Christo, qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodùm scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur*. Hinc est quod in hoc loco miseriarum, vbi *tentatio est vita humana super terram*, *virtus in infirmitate perficitur*: quæ *virtus*, nisi *vt qui gloriatur, in Domino glorietur*? Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed *in ipso gloriari*: qui eis non solùm dat

Psal. 145.

1. *Cor.* 1. 29.

Psal. 3. 4.

1. *Cor.* 1. 31.

Ibid. 30.

Hier. 9. 23. & 24.

Iob. 7. 1.

2 *Cor.* 12. 9.

ad-

adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint; sed *in eis* etiam *operatur & velle*: vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur vt velint: nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla, in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei; cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij; quamuis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippè dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent. Dicente ergò Christo, *Rogaui pro te nè deficiat fides tua*: intelligamus ei dictum, qui ædificatur super petram. Atque ita homo Dei non solùm, quia *misericordiam consecutus est*, vt fidelis esset; verùmetiam quia fides ipsa non deficit; *qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Luc. 22. 32.

CAPUT XIII.

HÆc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis; non de his, qui *cùm annunciasset, & locutus esset, multiplicati sunt super nu-*

Psal. 39. 6

numerum. Ipsi autem *vocati* dici possunt, non autem *electi*, quia *non secundùm propositum vocati.* Certum vero esse numerum electorum, neque augendum, neque minuendum, quamuis & Ioannes Baptista significet, vbi dicit: *Facite ergò dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: vt ostendat sic istos esse amputandos si non fecerint fructum, vt non desit numerus qui promissus est Abrahæ: tamen apertius in Apocalypsi dicitur: *Tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit, certus est numerus. Quod autem etiam perseueraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur in certum, non aliter hæc audire debent, quibus expedit *non altum sapere, sed timere.* Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat: quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc & Apostolis dicebatur, *Si manseritis in me*: dicente illo, qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, *Si volueritis, & audieritis me*: cùm sciret ipse *in quibus operaretur & velle.* Et similia multa dicuntur. Nam propter huius vtilitatem secreti, nè fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est qui perueniant. Propter huius ergo vtilitatem secreti credendum est quosdam de *filijs perditionis*, non accepto dono perseuerandi vsque in finem; *in fide, quæ per dilectionem operatur*, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac iustè viuere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua pie viuitur, peruenirent, deinceps iam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc erit; sed tunc, quod iam est in angelis, etiam in hominibus erit, quando vlla superbia esse non poterit. Numerus ergò sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam vsque

Mat. 3. 8. & 9.

Apoc. 3. 11.

Rom. 11. 20.

2. *Cor.* 12. 7.

Ioan. 15. 7.

Esai. 1. 19.

in

in finem perſeuerantia, illuc integer perducetur, & illíc integerrimus iam ſine fine beatiſsimus ſeruabitur, adhærente ſibi miſericordia ſaluatoris ſui, ſiue cùm conuertuntur, ſiue cùm præliantur, ſiue cùm coronantur. Nam & tunc eſſe illis Dei miſericordiam neceſſariam ſancta Scriptura teſtatur, ubi ſanctus Dauid de Domino Deo ſuo dicit animæ ſuæ, *qui coronat te in miſeratione & miſericordia.* Dicit etiam Iacobus Apoſtolus, *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*: vbi oſtendit etiam in illo iudicio in quo iuſti coronantur, iniuſtique damnantur, alios cum miſericordia, alios ſine miſericordia iudicandos. Propter quod etiam mater Machabæorum filio ſuo dicit, *vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm enim Rex iuſtùs*, ſicut ſcriptum eſt, *ſederit in throno non aduerſabitur ante eum omne malum. Quis, gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato?* Ac per hoc etiam ibi Dei miſericordia neceſſaria eſt, quà fit *beatus, cui non imputauit Dominus peccatum*: ſed tunc pro bonorum operum meritis iuſto iudicio etiam ipſa miſericordia tribuetur. Cùm enim dicitur, *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*: manifeſtatur in his in quibus inueniuntur bona opera miſericordiæ iudicium cum miſericordia fieri; ac per hoc etiam ipſam miſericordiam meritis bonorum operum reddi. Non ſic eſt nunc, quando non ſolùm nullis bonis, ſed etiam multis malis operibus præcedentibus, *miſericordia eius præuenit hominem* vt liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat, niſi Dei gratia regeneraretur, & quæ paſſurus fuerat in æternum, niſi *eueretur à poteſtate tenebrarum, & transferretur in regnum filij charitatis Dei.* Veruntamen quia & ipſa *vita æterna*, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo *gratia Dei* dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur; ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideò *gratiam vitam æternam* vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippè ipſa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, *Gratia pro gratia*, id eſt pro his meritis quæ contulit gratia. Hi verò qui non pertinent ad hunc prædeſtinatorum numerum, quos Dei gratia ſiue nondum habentes vllum liberum ſuæ voluntatis arbitrium, ſiue cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero, quia per ipſam

*Pſ.*102.4. *Iac.*2.13. *2. Mac.*7.29. *Prou.*20.8 & 9. iuxta 70. *Pſ.*31.2. *Col.*1.13. *Rom.*6.23 *Ioan.*1.16

ſam gratiam liberato, perducit ad regnum : hi ergò qui non pertinent ad iſtum certiſsimum & feliciſsimum numerum, pro meritis iuſtiſsimè iudicantur. Aut enim iacent ſub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum : aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt ; arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum, liberum iuſtitiæ, peccati autem ſeruum, quo voluuntur per diuerſas noxias cupiditates, alij magis, alij minùs ; ſed omnes mali, & pro ipſa diuerſitate diuerſis ſupplicijs iudicandi : aut gratiam Dei ſuſcipiunt ; ſed temporales ſunt, nec perſeuerant, deſerunt & deſeruntur. Dimiſsi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeuerantiæ dono, iudicio Dei iuſto & occulto.

CAPUT XIV.

PAtiantur ergò homines ſe corripi quando peccant, nec de ipſa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem ; quia & peccatis iuſta pœna debetur, & ad ipſam pertinet iuſta correptio quæ medicinaliter adhibetur, etiam ſi ſalus ægrotantis incerta eſt. Vt ſi is qui corripitur, ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum, ſi autem non pertinet, ſit correptio pœnale tormentum. Sub iſto ergò incerto ex charitate adhibenda eſt, cuius exitus ignoratur ; & pro illo cui adhibetur, orandum eſt vt ſanetur. Cùm autem homines per correptionem in viam iuſtitiæ ſeu veniant ſeu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbuſtulis operante *dat incrementum Deus*, cui volenti ſaluum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium ? Sic enim velle vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate ; vt divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipſe quæ vult. Et quod ſcriptum eſt, quòd *vult omnes homines ſaluos fieri*, nec tamen omnes ſalui fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in alijs opuſculis noſtris aliquos commemorauimus : ſed hic 1. *Tim.* 2. 4.

vnum

vnum dicam, ita dictum est, *Omnes homines vult salvos fieri*, vt intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis, *Decimatis omne olus*; vbi non est intelligendum nisi omne quod habebant: neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secundùm istum locutionis modum, dictum est, *Sicut & ego omnibus per omnia placeo.* Nunquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, siue iam intus positis, siue introducendis in eam. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, *qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, & *qui* etiam illa *quæ futura sunt fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit; Nisi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est, *Et dimisit Samuel populum, & abijt vnusquisque in locum suum: & Saul abijt in domum suam in Gabaa: & abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul. Et filij pestilentes dixerunt, nunquid saluabit nos hic? Et inhonorauerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Nunquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saul quemquam eorum, *quorum tetigit corda Deus* vt irent cum illo; aut iste aliquem pestilentium, quorum vt hoc facerent corda non tetigit? Item de Dauid, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur, *Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo.* Hoc cùm præmissum fuisset, paulò post dictum est, *Et Spiritus induit Amasai principem inter triginta, & dixit, Tui sumus Dauid, & tecum futuri fili Iessè. Pax tibi, & pax adiutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus.* Nunquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum quo indutus est, vt

Luc. 11. 42.

1. *Cor.* 10. 33.

Ps. 134. 6 *Esai* 43. *iuxta* 70.

1. *Reg* 10. 25. 26. & 27.

1. *Par.* 11. 9.

1 *Par.* 12. 18.

hoc

hoc vellet, diceret & faceret? Item paulò post ait eadem Scriptura, *Omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, vt constitueret Dauid super omnem Israel*: sua voluntate vtique isti constituerunt Regem Dauid. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod præmisit Scriptura: *Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo.* Ac per hoc *Dominus omnipotens* qui *erat cum illo*, adduxit istos vt eum regem constituerent. Et quomodò adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergò cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cœlesti constituatur in regno? *Ibid.* 38.

CAPUT XV.

COrripiantur itaque à præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus: quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, quà pœna in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die; aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest ne respiciat, & det pœnitentiam, & accepto *sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti*, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, nè per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam; ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat; sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere va- *Psal.* 50. 19.

Rom. 5. 1. valeamus, ad hoc conamur adducere, vt *iustificati ex fide pacem habeant ad Deum*, quam prædicabat etiam Apo-
1. Cor. 15 20. stolus, cum dicebat, *Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo reconciliari Deo.* Quid est enim *ei reconciliari*, nisi *pacem ad illum habere*, propter quam pacem etiam ipse Domi-
Luc. 10. 5 & 6. nus Iesus dixit Discipulis: *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui; & si ibi fuerit filius pacis, requiesçet super eum pax vestra; sin autem,*
Esai. 52. 7 *ad vos reuertetur?* Cùm hanc Euangelizant pacem, de quibus prædictum est: *Quam speciosi pedes eorum qui annunciant pacem, qui annunciant bona!* nobis quidem tunc incipit esse quisque *filius pacis*, cùm obedierit, & crediderit huic Euangelio, & *ex fide iustificatus pacem ad Deum habere* cœperit; secundùm autem prædestinationem Dei, iam *filius pacis* erat. Neque enim dictum est, super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis; sed, *Vbi fuerit*, inquit, *filius pacis, requiesçet super eum pax vestra.* Iam ergò, & antequàm illi annunciaretur hæc pax, *filius pacis ibi erat*, sicut eum nouerat atque præscierat non Euangelista, sed Dominus. Ad nos ergò qui nescimus quisnam *sit filius pacis*, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere; sed *velle omnes saluos fieri* quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est nè perdamus eam, si ille cui prædicamus, non *est filius pacis* ignorantibus nobis. *Ad nos* enim *reuertetur*, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: si autem *super eum pax* prædicata *requieuerit*, & nobis, & illi. Quia ergò nos qui salui futuri sint nescientes, *omnes* quibus prædicamus hanc pacem, *saluos fiere velle* Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, *diffundendo* istam *charitatem in corda nostra per Spi-*
Rom. 5. 5. 1. Tim. 2. 4. *ritum Sanctum qui datus est nobis*; potest etiam sic intelligi, quod *omnes homines Deus vult saluos fieri*, quo-
Gal. 4. 6. niam nos facit velle, sicut *misit spiritum filij sui clamantem Abba pater*, id est, nos clamare facientem. De ipso
Rom. 8. quippe spiritu, alio loco dicit: *Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Nos ergò clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit vt clamemus. Si ergò *clamantem spiritum* rectè dixit scriptura à quo efficitur vt clamemus, rectè etiam, & volentem Deum, à quo efficitur vt velimus: ac per hoc quia, &

corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi vt ab ista pace quæ est ad Deum non recedatur, aut ad eam, qui recesserat, reuertatur, nos agamus sine desperatione quod agimus. *Si filius pacis est* quem corripimus, *requiescet super eum pax nostra, sin autem, ad nos reuertetur.* Quamuis itaque etiam dum quorundam fides subuertitur, *firmum Dei fundamentum stet, quoniam sciuit Dominus qui sunt eius*, non tamen ideò nos pigri, & negligentes esse debemus in corripiendis qui corripiendi sunt. Neque enim frustra dictum est, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*: &, *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*? Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem dicentes; & *corrumpant bonos mores colloquia mala, & pereat infirmus*, quid ad nos? *Firmum fundamentum Dei stat, & nemo perit nisi filius perditionis.*

2. Tim. 2. 19.
1. Cor. 15. 33.
1. Cor. 5. 11.
Ioan. 17. 12.

CAPUT XVI.

ABsit vt ista garrientes, securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verùm est enim, quia *nemo perit, nisi filius perditionis*; sed ait Deus per Ezechielem Propheram, *ille quidem in peccato suo morietur sanguinem verò eius de manu speculatoris inquiram.* Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc *omnes salvos fieri velle* debemus; omnibus nè pereant, vel nè alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio: Dei est autem illis eam facere vtilem, *quos* ipse *præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui.* Si enim aliquando timore non corripimus, nè aliquis inde pereat; cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera maiora gestamus quam beatus Apostolus, qui dicit: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte nè quis malum pro malo alicui reddat.* Vbi intelligendum est tunc potiùs *malum pro malo reddi*, si corripiendus non corripitur, sed praua dissimulatione negligitur. Dicit enim: *Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant.* Quod de his peccatis accipiendum est quæ non latent, nè

Ioan. 17. 12.
Eze. 3. 18.
Roman. 8. 29.
1. Thes. 5. 14. & 15.
1. Tim. 5. 20.

nè contra Domini ſententiam putetur locutus. Ille enim
Matt. 18. 18. dicit: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum.* Verumtamen, & ipſe ſeueritatem correptio-
Ibid. 17. nis eouſque perducit, vt dicat: *Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Et quis magis dilexit infirmos, quam ille qui pro omnibus eſt factus infirmus, & pro omnibus ex ipſa eſt infirmitate crucifixus? Quæ cùm ita ſint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam: & ideò ſic eſt præcipienda iuſtitia, vt à Deo gratia, quà id quod præcipitur fiat, fideli oratione poſcatur: & hoc vtrumque ita faciendum eſt, vt neque iuſta correptio negligatur. Omnia verò hæc cum charitate fiant, quoniam *charitas* nec fa-
1. *Pet.* 4. 8. cit peccatum, & *cooperit multitudinem peccatorum.*

Libri de Correptione & Gratia
Finis.



PROSPERI AD AUGUSTINUM

DE RELIQUIJS PELAGIANÆ HÆRESEOS in Gallia ſoboleſcentibus, deque huiuſmodi hominum querelis aduerſus Prædeſtinationis & Gratiæ doctrinam ſuperioribus ipſius Auguſtini opuſculis, præſertim libro de Correptione & Gratia explicatam.

EPISTOLA

INTER AUGUSTINIANAS CCXXV.

DOMINO BEATISSIMO PAPÆ, INEFFABILITER mirabili, incomparabiliter honorando, præſtantiſſimo patrono,

AUGUSTINO PROSPER.

IGnotus quidem tibi facie, ſed iam aliquatenus, ſi reminiſcaris, animo ac ſermone compertus: nam per ſanctum fratrem meum Leontium diaconum miſi Epiſtolas & recepi; nunc quoque beatitudini tuæ ſcribere audeo, non ſolùm ſalutationis vt tunc ſtudio, ſed etiam fidei, quâ Eccleſia viuit, affectu. Excubante enim pro vniuerſis membris corporis Chriſti vigilantiſsima induſtria tua, & aduerſus hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendum putaui, nè one-

oneroſus tibi, aut importunus eſſem in eo, quod ad multorum ſalutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cùm potiùs reum futurum eſſe me crederem, ſi ea quæ valdè pernicioſa eſſe intelligo, ad ſpecialem patronum fidei non referrem. Multi ergò ſeruorum Chriſti qui in Maſſilienſi Urbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis quæ aduerſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum *diſputaſti. Et cùm aliquamdiu tarditatem ſuam culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem ſuper hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expoſitionem voluerint poſtulare; euenit ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, vt cùm quoſdam intra Aphricam ſimilia mouiſſent, librum* de Correptione & Gratia, *plenum diuinæ authoritatis emitteres. Quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato, putauimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas: quia vniuerſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat ſanctitas tua, tam plenè illic abſolutèque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialitèr ſtudueris, vt quæ apud nos erant turbata, componeres. Recenſito autem hoc beatitudinis tuæ libro, ſicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ authoritatem anteà ſequebantur, intelligentiores multò inſtructioreſque ſunt facti: ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, auerſiores quàm fuerant, receſſerunt. Quorum tam abrupta diſſenſio primùm propter ipſos metuenda eſt, nè tam claris tamque egregijs in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde nè ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutiſsimum ſibi æſtiment, quod audiunt eos, quorum authoritatem ſine iudicio ſequuntur, aſſerere. Hæc enim ipſorum definitio ac profeſsio eſt; Omnem quidem hominem Adam peccante, peccaſſe; & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari: vniverſis tamen hominibus propitiationem quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti; ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicunque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſsint. Qui autem credituri ſunt, quiue in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine*

ex-

exceſſuros eſſe præuiderit. Ideòque omnem hominem ad credendum & ad operandum diuinis inſtitutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo deſperet, cùm voluntaria deuotioni remuneratio ſit parata. Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum & reijciendorum dicitur facta diſcretio, vt ſecundùm quod placuit creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre: eo quòd vtraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vlla induſtria poſsit intrare, neque electus vlla negligentia poſsit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos quàm Deus definiuit, accidere, & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem: cùm ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit adnitentis intentio. Remoueri itaque omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſsitatem; aut diuerſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſsit eſſe quàm factus eſt. Atque vt breuiùs ac plenius quod opinantur exponam: quicquid in libro hoc ex contradicentium ſenſu ſanctitas tua ſibi oppoſuit; quicquid etiam in libris contra Iulianum ab ipſo ſub hac queſtione obiectum, potentiſsimè debellaſti; hoc totum ab iſtis ſanctis intentioſiſsimè conclamatur. Et cùm contra eos ſcripta beatitudinis tuæ, validiſsimis & innumerijs teſtimonijs diuinarum ſcripturarum inſtructa proferimus, ac ſecundùm formam diſputationum tuarum, aliquid etiam ipſi quo concludantur aſtruimus, obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt; & ea, quæ de Epiſtola Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis, ad manifeſtationem diuinæ gratiæ præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vnquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, vt nunc ſentiuntur, affirmant. Cùmque vt ipſi ea exponant, ſecundùm quorum velint ſenſa depoſcimus, nihil ſe profitentur inueniſſe quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. Eò poſtremò peruicacia tota deſcendit, vt fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiant; ac ſic etiam ſi vera ſit, non promendam: quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant, conticeantur. Quidam verò horum intantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt quum ad con-

fi-

ſitendam eam Chriſti gratiam, quę omnia pręueniat merita humana, cogantur; nè ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua eum nihil priùs merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrij & rationalem, gratia creatoris inſtituat, vt per diſcretionem boni & mali, ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius poſsit ſuam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quęrendo, pulſando: vt ideò accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturę bene vſus, ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratię ope meruerit peruenire. Propoſitum autem vocantis gratię in hoc omnino definiunt, quòd Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere, & ad hoc ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter, ſiue per naturalem, ſiue per ſcriptam legem, ſiue per Euangelicam prędicationem vocari. Vt & qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcuſabiles ſint qui fideles eſſe noluerint: quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Iam hic proferunt teſtimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quę iubentur, aut negligant: & conſequens putant, vt quia prævaricator ideò dicitur non obediſſe, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuiſſe, quia voluit: & quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes mouere, quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipiat. Cùmque inter hæc innumerabilium illis multitudo obijcitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non ſine* Dei *iudicio ſecernuntur; vt ante diſcretionem boni ac mali de vſu vitæ iſtius auferendi, alij per regenerationem inter cœleſtis regni aſſumantur hæredes, alij ſine baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores: tales aiunt perdi, taleſque ſaluari, quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem ſcientia diuina præuiderit. Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non*

prę-

præuiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam, non negant esse præuentas. Sed in tantum quibuscunque commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt quia præterita quæ non extant, futura quę non sint futura confingant, nouoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint. Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundùm quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationabiliùs videntur astruere, cùm ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis seculis dimissæ sunt ingredi vias suas, *vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec vlla eis aut legis aut Euangelij illuminatio coruscauit: cùm tamen in quantum prædicatoribus ostium apertum est, & via facta est,* gentium populus qui sedebat in tenebris, & in vmbra mortis, lucem viderit magnam; *& qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: præuisos inquiunt à Domino credituros; & ad vnamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quòd* Deus omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; *quandoquidem inexcusabiles sint, qui & ad vnius veri* Dei *cultum potuerint instrui intelligentia naturali; & Euangelium ideò non audierit, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerso autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat: quia ad omnes homines pertineat Diuinæ Misericordiæ Sacramentum; quo ideò plurimi non renouentur, quia quod nec renouari velle habeant, prænoscantur. Itaque quantùm ad* Deum *pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur; cùm priùs meliora sentirent, ideò se vel maximè contulerunt; quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præuenire, & ab ipsa vt possint esse, donari; necessitate concederent* Deum secundum propositum, *& consilium voluntatis suæ, occulto iudicio, & opere manifesto,* aliud vas

Actor. 14. 15.

Esai. 9. 2. & 3. Matth. 4. 16. Oseæ 2. 24 & 25. Roman. 9. 25.

1. Tim. 2. 4.


condere in honorem aliud in contumeliam ; *quia nemo niſi per gratiam iuſtificetur , & nemo niſi in præuaricatione naſcatur. Sed refugiunt iſtud fateri , diuinoque aſcribere operi ſanctorum merita formidant : nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum , nec augeri poſſe , nec minuiꝫ nè locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant ; ac ſuperflua ſit induſtria ac laboris indictio , cuius ſtadium ceſſante electione fruſtrandum ſit. Ita demum enim poſſe vnumquenque ad correctionem , aut ad profectum vocari , ſi ſe ſciat ſuæ diligentia bonum eſſe poſſe , & libertatem ſuam ob hoc Dei auxilio iuuandam , ſi quod Deus mandat , elegerit. Ac ſic cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis , duo ſint quæ humanam operentur ſalutem , Dei ſcilicet gratia , & hominis obedientia ; priorem volunt obedientiam eſſe quam gratiam , vt initium ſalutis ex eo quî ſaluatur , non ex eo credendum ſit ſtare qui ſaluat ; & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubijciat voluntatem. Quod cùm peruerſiſſimum eſſe reuelante Dei miſericordia , & inſtruente nos tua beatitudine nouerimus , poſſumus quidem ad credendum eſſe conſtantes , ſed ad authoritatem talia ſentientium non ſumus pares : quia multum nos , & vitæ meritis antecellunt , & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore ſupereminent : nec facilè quiſquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores , tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire. Ex quo non ſolùm his qui eos audiunt , verùmetiam ipſis qui audiuntur , cùm dignitatibus creuit periculum ; dum , & multos reuerentia eorum , aut inutili cohibet ſilentio , aut incurioſo ducit aſſenſu : & ſaluberrimum ipſis videtur , quod pene nulius con-*

* *tradictione reprehenditur. Vnde quia in iſtis Pelagianę prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur , ſi principium ſalutis malè in homine collocatur ; ſi diuinę voluntati impiè voluntas humana prefertur , vt ideò quis adiuuetur quia voluit , non ideò quia adiuuatur , velit : ſi originaliter malus receptionem boni non à ſummo bono , ſed à ſemetipſo inchoare malè creditur ; ſi aliunde Deo placetur , niſi ex eo quod ipſe donauerit : tribuè nobis in hac cauſa Papa beatiſſime , pater optime , quantùm donante Domino potes diligentiam pietatis tuę obſecro , vt quę in iſtis quæſtionibus obſcuriora , & ad percipiendum difficilio-*

liora ſunt, quàm lucidiſsimis expoſitionibus digneris aperire. Ac primùm, quia plerique non putant Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari, quantùm periculi ſit in eorum perſuaſione patefacias. Deinde quomodò per iſtam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum vtrùm præſcientia Dei, ita ſecundùm propoſitum maneat, vt ea ipſa quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita; an per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum iſta varientur: vt quia diuerſæ ſunt vocationes, in his qui nihil operaturi ſaluantur, quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in his autem qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſsit ſtare propoſitum: an verò vniformiter, licet diuidi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſsit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito: & ſicut nihil ſit quorumcunque negotiorum, quod non ſcientia diuina præuenerit; ita nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non Deo authore defluxere. Poſtremò quemadmodum per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiant qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi ſunt impediatur, nec occaſionem negligentiæ habeant, ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus penè omnium par inuenitur & vna ſententia, quæ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vaſa bonoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet voluntate & actione præſcierit. Quibus omnibus enodatis, & multis inſuper quæ altiore intuitu ad cauſſam hanc pertinentia magis potes videre diſcuſſis: credimus & ſperamus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defecatiſsimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum præcipuæ authoritatis, & ſpiritalium ſtudiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in alijs omnibus tuæ eſſe doctrinæ: & de hoc quod in querelam trahit, iampridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre. Sed quia vtrùm hoc facturus, aut quo fine ſit factu-

Aurus, incertum est, & omnium nostrum fatigatio, prouidente hoc præsenti seculo Dei gratia, in tuę charitatis & scientię vigore sperat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leue existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec vulnus superductâ cute sentiunt: sed intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem. Gratia Dei & pax Domini nostri coronet te in omni tempore, & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum Domine Papa Beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime patrone.

***



HILARIJ AD AUGUSTINUM DE EODEM ARGUMENTO. EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXVI.

DOMINO BEATISSIMO, AC TOTO AFFECTU deſiderando, & multùm in Chriſto ſuſcipiendo patri

AUGUSTINO HILARIUS.

SI ceſſantibus contradicentium quæſtionibus gratę ſunt plerunque ſtudioſorum inquiſitiones, vt etiam illa quę abſque periculo ignorarentur, ediſcant; arbitror gratiorem fore ſedulitatem noſtræ relationis, quę dum indicat ſecundùm quorundam proſecutiones quædàm aduerſantia veritati, non tam ſibi quàm illis qui turbantur & turbant, per conſilium Sanctitatis tuæ ſatagit prouideri, Domine Beatiſsime ac toto affectu deſiderande, & multùm in Chriſto ſuſcipiende pater. Hæc ſunt itaque quę Maſſiliæ, vel alijs etiam locis in Gallià ventilantur. Nouum & inutile eſſe prędicationi, quòd quidam ſecundùm propoſitum eligendi dicantur, vt id nec arripere valeant nec tenere, niſi quòd credendi voluntate donatà, excludi putant omnem prædicandi vigorem, ſi nihil quod per eum excitetur, in hominibus remanſiſſe dicatur. Conſentiunt omnem hominem in Adam periſſe, nec inde quenquam poſſe proprio arbitrio li-

liberari : ſed id conueniens aſſerunt veritati , vel congruum prædicationi , vt cùm proſtratis , & nunquàm ſuis viribus ſurrecturis annunciatur obtinendæ ſalutis occaſio ; eo merito quo voluerint & crediderint , à ſuo morbo ſe poſſe ſanari , & ipſius fidei augmentum , & totius ſanctitatis ✱ *ſuæ conſequantur effectum. Cæterùm ad nullum opus vel incipiendum , ne dum perficiendum , quenquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt : neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant , exterritâ & ſupplici voluntate, vnumquenque ægrotum velle ſanari. Quod enim dicitur,* Crede & ſaluus eris , *vnum horum exigi aſſerunt , aliud offerri ; vt propter id quod exigitur ſi redditum fuerit , id quod offertur deinceps tribuatur. Vnde non conſequens putant , exigendam ab eo fidem , cuius naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt ; & nullam ita deprauatam vel extinctam putant , vt non debeat , vel poſsit ſe velle ſanari ; propter quod vel ſanetur quis à ſuâ , vel ſi noluerit* ✱ *cum ſuâ ægritudine puniatur. Nec negari gratiam , ſi præcedens dicatur talis voluntas , quæ tantum medicum quærat , non autem quicquam ipſa iam valeat : nam illa te-*
Rom. 12. 3. *ſtimonia vt eſt illud ,* Sicut vnicuique partitus eſt menſuram fidei : *& ſimilia , ad id volunt valere , vt adiuuetur qui cœperit velle , non vt etiam donetur vt velit , reiectis ab hoc dono alijs pariter reis , & qui poſſent ſimiliter liberari , ſi ea quę pariter indignis præſtatur credendi voluntas , etiam ipſis ſimiliter præſtaretur. Si autem, aiunt , dicatur vel talem omnibus remanſiſſe , quâ vel contemnere quis valeat , vel obedire ; de compendio putant rationem reddi electorum vel reiectorum , in eo quod vnicuique meritum proprię voluntatis adiungitur. Cùm autem dicitur eis , quare alijs Dei alicubi prædicetur , vel non prædicetur ; vel nunc prædicetur quòd aliquando pene omnibus, ſicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum ſit : dicunt id præſcientiæ eſſe diuinę , vt eo tempore , & ibi , & illis veritas annunciaretur , Dei annuncietur , quando & vbi prænoſcebatur eſſe credenda : Et hoc non ſolùm aliorum catholicorum teſtimonijs , ſed etiam ſanctitatis tuæ diſputatione antiquiore ſe probare teſtantur. Vbi tamen eandem gratiam non minore veritatis perſpicuitate docueris , vt eſt illud quod dixit ſanctitas tua in quæſtione contra Porphyrium , de tempore Chriſtianæ religionis ,* tunc voluiſſe homi-

minibus apparere Christum,& apud eos prædicari doctrinam suam,quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. *Vel illud de libro in Epistola ad Romanos* : Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Cui sanè inquisitioni, *inquis*, sic respondet, vt intelligamus spiritalibus viris, etiam non secundùm terrenum hominem viuentibus, patere posse prima merita fidei & impietatis, quomodò Deus præscientiâ eligat credituros, & damnet incredulos: nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans, vt bene operetur, & istorum impietatem deserendo obdurans, vt malè operentur. *Et iterum in eodem libro superiùs* : Æquales omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnimodò æqualibus electio nominari, quoniam Spiritus Sanctus non datur nisi credentibus. Non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum Sanctum, vt per charitatem bona operemur; sed tamen elegit fidem, quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est Spiritum Sanctum, per quem infusâ charitate bonum possit operari. Non ergò elegit Deus opera cuiusquàm in præscientiâ quæ ipse donaturus est; sed fidem elegit in præscientiâ; vt quem creditурum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, vt bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est; quod autem operamur, illius: *Et cætera in eodem opere, quæ se acceptare & probare testantur, tanquam conuenientia Euangelicæ veritati. Cæterùm præscientiam & prædestinationem vel propositum ad id valere contendunt, vt eos præscierit, vel prædestinauerit, vel proposuerit eligere qui fuerant credituri. Nec de hac fide posse dici*, Quid habes quod non accepisti? *Cùm in eadem naturâ remanserit, licet vitiatâ, quæ priùs sana ac perfecta donata sit. Quòd autem dicit sanctitas tua, neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute percepta, hactenus accipiunt, vt quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantùm liberum asserunt, vt velit vel nolit admitte-*

Rom. 9. 19.

1. Cor. 12. 6.

1. Cor. 4. 7.

* *tere medicinam. Cæterum & ipsi abominari se & damnare testantur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse quo ad sanitatem progredi possit existimet. Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis quantùm putant ad obtinendum vel amittendum, euidens est qualecunque initium voluntatis. Illud etiam testimonium quod posuisti,*

Sap. 4. 11. Raptus est nè malitia mutaret intellectum eius; *tanquam non canonicum definiunt omittendum. Vnde illam præscientiam sic accipiunt, vt propter fidem futuram intelligendi sint præsciti, nec cuiquam talem dari perseverantiam à qua non permittatur præuaricari, sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari. Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur quod correptio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, vt hoc ipso quod ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecùs correptionis instantia? Si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demon-*

* *stratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis vnde terreatur, nisi ea voluntate quæ sumitur, non ex eo culpandus quod nunc non vult, sed in eo & cum eo, qui sic aliquando noluit, vt eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, vt nunquam recta, semper autem praua vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor qui ad exhortationem corripientis oriatur; hanc ipsam dicunt causam propter quam vel reijciatur alius, vel alius assumatur: atque ita non opus esse partes constitui, qui-*

* *bus nec adijciendum sit aliquid, nec detrahendum. Deinde molestum ferunt, ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data, vel nunc omnibus datur,* vt ille acceperit perseuerantiam, non quâ fieret vt perseueraret, sed sine quâ per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur; non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm-

etiam

etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint. *His verbis ſanctitatis tuę ita mouentur, vt dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adiutus eſt, vt & ſtare poſſet in iuſtitia, & à iuſtitia declinare; & nunc ita Sancti iuuantur, vt declinare non poſsint; (ſiquidem eam acceperunt volendi perſeuerantiam, vt aliud velle non poſsint) vel ſic quidam deſeruntur, vt aut nec accedant, aut ſi acceſſerint & recedant: ad illam voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis vel comminationis vtilitatem, quę & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem; non ad hanc, cui nolle iuſtitiam ineuitabili neceſsitate coniunctum eſt; præter illos qui ſic concreati ſun his, qui cum vniuerſa maſſa damnati ſunt, vt exciperentur per gratiam liberandi. Vnde in hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, ſine qua perſeuerare non poterat; hos autem amiſsis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes. Ceterùm quicquid-libet donatum ſit prędeſtinatis, id poſſe & amittere & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falſum eſſet, ſi verum putarent eam quoſdam perſeuerantiam percepiſſe, vt niſi perſeuerantes eſſe non poſsint. Inde eſt quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum reijciendorumque eſſe definitum numerum velint: atque illius ſententiæ expoſitionem, non eam quę à te eſt deprompta ſuſcipiant; id eſt, vt non niſi* omnes homines ſaluos fieri velit *& non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt; ſed omnes omnino, vt nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quod quidam eo inuito perire dicantur: ſed quomodò, aiunt, non vult à quoquam peccari vel deſeri iuſtitiam, & tamen iugiter illa deſeritur contra eius voluntatem, committunturque peccata; ita eum ſaluari velle omnes homines, nec tamen omnes homines ſaluari. Teſtimonia etiam Scripturę quę de Saule vel de Dauid poſuiſti, non pertinere putant ad quęſtionem, quæ de exhortatione verſatur. Alia autem ad id referunt, vt ex his eam gratiam accipiant commendari, quę vnuſquiſque poſt voluntatem iuuatur; vel ad ipſam vocationem, quę præſtatur indignis. Hoc enim & illis locis tuorum opuſculorum, & aliorum, quę perſequi longum eſt, ſe demonſtrare teſtantur.*

1. Reg. 10. 1. Par. 12. 18.

Par-

Paruulorum autem cauſam ad exemplum maiorum non patiuntur a ferri. Quam & tuam ſanctitatem dicunt eatenus
* *attigiſſe, vt incertum eſſe volueris, ac potiùs de eorum pœnis*
Cap. 13. *malueris dubitari. Quod in libro tertio,* de Libero arbitrio *ita poſuiſſe meminiſti, vt hanc eis occaſionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum eſt in Eccleſia authoritas, faciunt quod perſpicit ſanctitas tua non parum poſſe iuuare contradictores, niſi maiora, aut certè vel paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentiſsima pietas tua, quantò plures ſint in Eccleſia, qui authoritate nominum in*
* *ſententia teneantur, aut à ſententia transferantur. Ad ſummum, fatigatis omnibus nobis, ad id proſecutio eorum, vel potiùs querela conuertitur, conſentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant: Quid opus fuit huiuſcemodi diſputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? Neque enim minùs vtiliter ſine hac definitione aiunt, tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuiſſe defenſam. Hæc mi pater & alia interminabiliter plura, vt ſumma mea vota confitear, per me deferre maluiſſem; vel quia hoc non merui, ſaltem prolixiore tempore omnia, quibus mouentur, collecta dirigere: vt quicquid de hac re contradicitur, quatenus refelli, vel ſi id non poteſt, tolerari deberet, audirem. Sed quia neutrum ex voto prouenit, malui, quomodò potui hæc comprehenſa dirigere; quàm penitus de tanta quorundam contradictione reticere. Sunt ex parte tales perſonæ, vt his conſuetudine Eccleſiaſtica laicos ſummam reuerentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita curauimus Deo iuuante ſeruare, vt cùm opus fuit non taceremus, quæ ad quæſtionis huius aſſertionem exiguitas noſtrarum virium ſuggerebat. Sed nunc ſummatim quantum feſtinatio perlatoris admiſit, hæc velut commonendo ſuggeſſi. Tuæ ſanè prudentiæ eſt diſpicere quid facto opus ſit, vt talium & tantorum ſuperetur vel temperetur intentio. Cui ego iam parum prodeſſe exiſtimo te reddere rationem; niſi & addatur authoritas, quam tranſgredi infatigabiliter contentioſa corda non*
* *poſsint. Sed planè illud tacere non debeo, quod ſe dicant tuam ſanctitatem hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodò ſit in hoc eorum contradictio toleranda. Nec mireris quòd aliter vel aliqua in hac Epiſtola addidi, quantùm puto, quæ in ſuperiore non*

dixeram: talis est enim nunc eorum definitio, præter illa quę per festinationem aut obliuionem fortasse prætertj. Libros, cùm editi fuerint, quos de vniuerso opere tuo moliris, quęso habere mereamur; maximè vt per eorum authoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis iam non trepidi sequestremus. Librum etiam de gratia & libero arbitrio non habemus: superest vt eum quia vtilem quęstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hęc scribere, quasi de ijs quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ delitijs exulatus, vbi salubribus tuis vberibus nutriebar, non solùm absentia tua crucior; verùmetiam peruicacia quorundam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterùm hac suspicione intantùm careo, vt potiùs infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc consulendum iudices, vt dixi, tuę sapientię derelinquo. Nam ad me hoc pertinere credidi; pro ea quam Christo vel tibi debeo charitate, vt quę in quæstionem veniunt, non tacerem. Quicquid pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissimè accipiemus tanquam à nobis charissima & reuerendissima authoritate decretum. Sanè quia vrgente perlatore, timui nè vel non omnia, vel hæc ipsa minus dignè conscius mearum virium, possem dirigere: egi cum viro, tum moribus, tum eloquio & studio claro, vt quanta posset collecta suis literis intimaret; quas coniunctas his destinare curani. Est enim talis qui etiam prętęr hanc necessitatem, dignus tuę sanctitatis notitia iudicetur. Sanctus Leontius Diaconus cultor tuus, cum meis parentibus multum te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Iesus Ecclesię suæ annis pluribus donare dignetur Domine Pater. Et infra: *Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cuius maximè causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse. Vnde rogamus sanctitatem tuam, vt orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare, & custodire dignetur.*

****

FINIS.

D.AU-

D. AURELIJ AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM LIBER

AD PROSPERUM ET HILARIUM *

* Scriptus post Retractationum libr. an. Christi 428. aut 429.

PRIMUS.

IN quo prædestinationis & gratiæ veritas propugnatur contra Semipelagianos, homines videlicet à Pelagiana hæresi omnino nequaquam recedentes, dum salutis initium ac fidei ex nobis ipsis esse volunt, vt hoc tamquam merito præcedente cætera bona dono Dei consequantur. Ostendit Au-

guſtinus , donum Dei eſſe , non ſolùm incrementum , ſed ipſum quoque initium fidei. Hac de re ſe aliter ſenſiſſe aliquando , & in opuſculis ante ſuum Epiſcopatum ſcriptis erraſſe non diſſitetur, velut in illa quam objectant , Expoſitione propoſitionum ex epiſtola ad Romanos. Ait poſtea conuictum ſe indicat hoc præcipuè teſtimonio, Quid autem habes , quod non accepiſti ? *quod teſtimonium de ipſa etiam fide accipiendum probat. Fidem inter alia numerandam eſſe opera , quibus Dei gratiam præueniri negat Apoſtolus , cùm dicit,* Non ex operibus. *Gratia duritiam cordis auferri ; & ad Chriſtum venire omnes qui à Patre docentur vt veniant : quos autem docet, miſericordia docere ; & quos non docet , iudicio non docere. Locum ex ipſius epiſtola* 102. *quæſt.* 2. *de tempore Chriſtianæ Religionis , qui à Semipelagianis allegatur , poſſe rectè ſalua gratiæ ac prædeſtinationis doctrina explicari. Docet quid inter gratiam interſit & prædeſtinationem. Porrò prædeſtinatione Deum ea præſciuiſſe , quæ fuerat ipſe facturus. Prædeſtinationis aduerſarios , qui ad incertum voluntatis Dei deduci ſe nolle dicuntur , miratur malè ſeipſos infirmitatis ſuæ , quàm firmitati promiſsionis Dei committere. Eoſdem hac authoritate ,* Si credideris , ſaluus eris , *abuti commoſtrat. Gratia ac prædeſtinationis veritatem relucere in paruulis qui ſaluantur , nullis ſuis meritis diſcreti à ceteris qui pereunt. Non enim inter eos diſcerni ex præſcientia meritorum , quæ ſi diutiùs viuerent fuerant*

ha-

habituri. Ab aduersarijs illud injuria tamquam non canonicum testimonium respui, quod in eam rem adtulit, Raptus est ne malitia &c. *Præclarissimum exemplum prædestinationis & gratiæ esse ipsum Saluatorem, qui vt Saluator & Filius Dei vnigenitus esset, nullis præcedentibus vel operum vel fidei meritis comparauit. Prædestinatos vocari certa quadam electorum propria vocatione; atque ante mundi constitutionem electos esse, non quia credituri præsciebantur & futuri sancti, sed vt tales essent per ipsam electionem gratiæ*: &c.

CAPUT I.

Phil. 3. 1. DIxisse quidem Apostolum scimus in Epistola ad Philippenses; *Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est.* Idem tamen scribens ad Galatas, quum se satis apud eos egisse perspiceret, quod illis per ministerium sermonis sui necessarium esse

Gal. 6. 17. cernebat; *De cætero*, inquit, *laborem mihi nemo præstet*; vel sicut in plerisque codicibus legitur, *Nemo mihi molestus sit.* Ego autem quamuis me molestè ferre confitear, quod diuinis eloquijs quibus *Dei gratia* prædicatur, (quæ omnino nulla est, si *secundùm merita nostra datur*) tam multis manifestisque non ceditur; vestrum tamen studium, fraternamque dilectionem filij charissimi Prosper & Hilari, quà eos qui tales sunt, ita non vultis errare, vt post tot libros de hac re atque Epistolas meas, adhuc desideretis me hinc scribere, tantùm amo, quantùm non possum dicere; & tantùm me amare, quantùm debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licet iam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam. Consideratis enim literis vestris videre mihi videor eos fratres pro quibus geritias piam curam, ne teneant poeticam sententiam

tiam, quà dictum est; *Spes sibi quisquè*; & in illud incurrant quod non poeticè, sed prophetice dictum est; *Maledictus omnis qui spem habet in homine*; eo modo esse tractandos, quo tractauit Apostolus, quibus ait: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.* Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione Sanctorum. Sed habent vnde si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, si in eo ambulent in quod peruenerunt. Propter quod Apostolus cùm dixisset, *Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamen*, inquit, *in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Peruenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, vt credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per iustitiam secundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse consentiant. Retenta ergò ista in quæ peruenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent & orent eum qui dat intellectum, *si quid* de Prædestinatione *alietr sapiunt*, ipse illis *hoc quoque reuelabit*: tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum, ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogamus, vt in his literis ea quæ illis essent apta & vtilia diceremus. Vnde enim scimus ne fortè Deus noster id per hanc nostram velit efficere seruitutem, quà eis in Christi libera charitate seruimus?

Hier.17.5.

Phil.3.15.

Ibid.16.

CAPUT II.

PRIùs itaque fidem quà Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere; si tamen diligentiùs id facere possumus, quàm in voluminibus tot tantisque iam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere; vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis. Non ergò recceditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Epis-

Episcopali iudicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: si non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus; sed illud potiùs quod propter hoc nobis additur, vt plenius perfectiùsque credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ priores damus Deo, vt retribuatur nobis & supplementum eius, & si quid aliud fideliter poscimus. Sed contra hæc cur non potiùs audimus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto ex ipso sunt cætera, sed *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit, vt iam metenti cætera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Quod obiectum sibi Pelagius nè damnaretur, ipse damnauit. Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum quod Apostolus ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, verùmetiam vt patiamini pro eo.* Vtrumque enim ostendit Dei donum, quia vtrumque dixit *esse donatum.* Nec ait vt plenius & perfectius credatis in eum; sed, *vt credatis in eum.* Nec seipsum *misericordiam consecutum* dixit vt fidelior, sed *vt fidelis esset*; quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo eius augmentum, sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. Nam scripta sunt etiam fidei eius initia, suntque Ecclesiastica celebri lectione notissima. Auersus quippe à fide quam vastabat, eique vehementer aduersus, repente est ad illam gratia potentiore conuersus: conuertente illo cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: *Tu conuertens viuificabis nos*: vt non solùm ex nolente fieret volens credere, verumetiam ex persecutore persecutionem in eius fidei, quam persequebatur, defensione pateretur. Donatum quippe illi erat à Christo, non solùm vt crederet in eum, verùmetiam vt pateretur pro eo. Et ideò commendans istam gratiam, quæ non datur secundùm aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, *Non quia idonei sumus*, inquit, *cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Attendant hic, & verba ista perpendant, qui pu-

Rom. 11. 35. & 36.

Phil. 1. 29

1. Tim. 1. 11. & 13.

Act. 9.

Ps. 84. 7.

2. Cor. 3. 5

putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, priùs esse cogitare quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitauerit esse credendum. Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes anteuolent, moxque illa ita sequatur, vt quasi coniunctissima comitetur, necesse est tamen vt omnia quæ creduntur præueniente cogitatione credantur: quanquàm & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; cùm ideò cogitent plerique nè credant; sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergò pertinet ad religionem atque pietatem, de quà loquebatur Apostolus, si *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; profectò *non sumus idonei* credere *aliquid quasi ex nobismetipsis*, quod sine cogitatione non possumus, *sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est.* Quo circa sicut *nemo sibi sufficit ad incipiendum*, vel perficiendum quodcunque opus bonum: quod iam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt; vnde in omni opere bono, & incipiendo, & perficiendo *sufficientia nostra ex Deo est*: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, *sed sufficientia nostra ex Deo est*: quoniam fides si non cogitetur, nulla est: & *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Cauendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat aduersus Deum, cùm se dicit facere quod promisit Deus. Nonnè fides gentium promissa est Abrahæ, & ille, *dans gloriam Deo, plenissimè credidit*; *Quoniam quod promisit, potens est & facere.* Ipse ergò fidem gentium facit, qui *potens est facere quod promisit.* Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris vt credamus, nunquid metuendum est, nè totum facere non possit: & ideò homo sibi primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt *gratia Dei secundùm merita nostra detur* quolibet modo, ac sic *gratia iam non sit gratia.* Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ, fides aucta: nec attenditur cùm hoc dicitur, *non secundùm*

Rom. 4. 20 & 21.

Rom. 11. 6.

gra-

gratiam, sed secundum debitum istam mercedem credentibus *imputari.* Cur autem non totum tribuatur homini, vt qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video, nisi quia resisti non potest diuinis manifestissimis testimonijs, quibus & fides, vnde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur: quale est illud, quòd *vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Et illud: *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo*: & cætera talia. Nolens ergò his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit; quasi componit homo cum Deo, vt *partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi*; & in eo quod dicit esse amborum, *priorem se facit, posteriorem Deum.*

Rom. 12. 3.

Ephes. 6. 23.

CAPUT III.

NOn sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo præcipuè testimonio etiam ipse conuictus sum cùm similiter errarem, putans fidem quà in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus *temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, vt per illam nobis daretur quod posceremus vtiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in literis vestris, vbi est expositio quarundam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cùm mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, cuius operis iam duos absolueram libros, antequàm scripta vestra prolixiora sumpsissem, cùm ad hunc librum retractandum in primo

1. Cor. 17.

volumine peruenissem, sic inde locutus sum. *Item disputans*, inquam, *quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem; & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit; de quibus propter hoc commemoratur, quamuis longè posteà prolatum, propheticum testimonium*: Iacob dilexi, Esau autem odio habui; *ad hoc produxi ratiocinationem, vt dicerem, Non ergò elegit Deus opeea cuiusquam in præscientia quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi creditурum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, vt bona operando, etiam æternam vitam consequeretur.* Nondum diligentiùs *quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ; de qua idem dicit Apostolus*: Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt: *Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt; nè iam quod datur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi; dicit enim idem Apostolus*: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus; *nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subiunxi*: *Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum*: *Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergò nostrum est, propter arbitrium voluntatis; & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed, sicut scriptum est*; Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. *Et quod paulò post dixi: Nostrum est enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem: sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam posteà dixi: Quia neque velle possumus, nisi vocemur: & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus prebeat, & perducat quò vocat. Ac deinde subiunxi: Manifestum est ergò* non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse *quod bene operamur; omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei: Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum. Itaque quod*

Malach. 1. 2. & 3.

Rom. 11. 5.

1. Cor. 12. 6.

Eph. 6. 23.

Prou. 8. iuxta 70.

quod paulò post dixi : Sicut enim in his quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operentur : sic in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur : verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putaui quærendum esse, nec dixi. Et alio loco : Cuius enim miseretur, inquam, *facit eum bene operari ; & quem obdurat, relinquit eum vt malè operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti iniquitati. Quod quidem verum est, sed adhuc quærendum erat, vtrùm & meritum fidei misericordia Dei præueniat : id est, vtrùm ista misericordia ideò tantummodò fiat in homine, quia fidelis est ; an etiam facta fuerit vt fidelis esset. Legimus enim dicente Apostolo ;* Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem : *non ait, quia fidelis eram. Fideli ergò datur quidem, sed data est etiam vt esset fidelis. Rectissimè itaque alio loco in eodem libro dixi ; Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei & vocamur vt credamus, & credentibus præstatur, vt bene operemur, non est gentibus ista inuidenda misericordia : quamuis minùs ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum sit, vocatione tractauerim.*

CAPUT IV.

VIdetis cẽrtè quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamuis de commendanda Dei gratia laborarem : in qua sententia istos fratres nostros esse nunc
* video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum. Nam si curassent, inueniissent istam quæstionem secundùm veritatem diuinarum Scripturarum solutam, in primo libro duorum quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, Sancti Ambrosij successorem, in ipso exordio Episcopatus mei ; nisi fortè non eos nouerunt. Quod si ita est, facite vt nouerint. De hoc primo duorum illorum libro, in secundo Retractationum primùm locutus sum, qui sermo meus ita se habet : Librorum, inquam, quos Episcopus elaboraui, primi duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, de diuersis quæstionibus :

quarum duas ex Epistola Pauli ad Romanos in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptum est; *Quid ergò dicemus, lex peccatum est? Absit*; vsque ad illud vbi ait; *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* In qua illa Apostoli verba: *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum*: & cætera, quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui tanquam homo describatur adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutus. Longè enim postea, etiam spiritalis hominis (& hoc probabilius) esse posse illa verba cognoui. Posterior in hoc libro quæstio est ab eo loco vbi ait; *Non solum autem, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri*; vsque ad illud vbi ait: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorra similes fuissemus.* In cuius quæstionis solutione elaboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit peruenirì, vt liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definiuit, dicens *in nullo gloriandum, quando nihil nostrum sit.* Ecce quare dixi superius, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam me ipsum fuisse conuictum; cum de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus in hac quæstione soluenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, reuelabit. Hoc igitur Apostoli testimonium, vbi ad reprimendam hominis inflationem dixit: *Quid enim habes quod non accepisti?* non finit quemquam fidelium dicere, habeo fidem quam non accepi: reprimiturque omnino his Apostolicis verbis tota huius responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici: Quamuis non habeam perfectam fidem, habeo tamen eius initium quo in Christum primitus credidi; quia & hic respondetur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Rom. 7. 7.
Ibid. 24. & 25.
Rom. 9. 10.
Ibid. 29.
1. Cor. 4. 7.

CA-

CAPUT V.

ILlud verò quod putant de hac fide ideò non posse dici; *Quid enim habes quod non accepisti; quia in eadem natura remansit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit*; nihil ad id quod volunt valere intelligitur, si cur hoc Apostolus dixerit cogitetur; agebat enim, nè quisquam gloriaretur in homine, quoniam dissensiones exortæ fuerant inter Corinthios Christianos, ita vt vnusquisque diceret: *Ego quidem sum Pauli*, alius autem, *ego Apollo*; alius verò, *ego Cephæ*; & inde ventum est, vt diceret: *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tanquam sint, vt quæ sunt euacuet, vt non glorietur coram Deo omnis caro.* Hic certè contra humanam superbiam satis clara est Apostoli intentio, ne in homine quisquam glorietur, ac per hoc nec in seipso. Denique cùm dixisset, *vt non glorietur coram Deo omnis caro*; vt ostenderet in quo habeat homo gloriari, mox addidit; *Ex ipso autem*, inquit, *vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio; vt quemadmodùm scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur*: inde peruenit ista eius intentio, vt posteà increpans dicat, *Adhuc enim carnales estis: cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo; nonne homines estis? Quid ergò est Apollo, quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis; & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.* Videtis ne nihil agere Apostolum, nisi vt humilietur homo, & exaltetur Deus solus? Quandoquidem in eis qui plantantur & qui rigantur, nec ipsum plantatorem & rigatorem dicit esse aliquid, *sed qui incrementum dat Deus*: quamuis & hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Domino tribuat dicens: *Vnicuique sicut Dominus dedit, ego plantaui, Apollo rigauit.* Hinc ergò in eadem intentione per-

1. Cor. 1. 12.

1. Cor 2. 27. & 28.

Ibid. 30. & 31.

Ierem 9. 23. & 24.

1. Cor. 3. 2 & seq.

perſiſtens, ad hoc venit vt diceret, *Itaque nemo glorietur in homine.* Iam enim dixerat: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Poſt hæc & alia nonnulla quæ his connectuntur, perducitur illuc eadem ipſa eius intentio, vt dicat, *Hæc autem, fratres, transfiguraui in me, & Apollo propter vos; vt in nobis diſcatis, nè ſupra quam ſcriptum eſt, vnus pro altero infletur aduerſus alterum. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* In hac Apoſtoli euidentiſsima intentione, quà contra humanam ſuperbiam loquitur, nè quiſquam: *In homine, ſed in Domino glorietur*: dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ qualeſcunque reliquias: nimis, quantum exiſtimo, abſurdum eſt. Nunquid enim per hæc dona quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus? Hic autem priùs dixit, *Quis enim te diſcernit?* & deinde addidit, *Quid autem habes quod non accepiſti?* Poſſet quippe dicere homo *inflatus aduerſus alterum*; diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, *Quid autem habes*, inquit, *quod non accepiſti?* A quo, niſi ab illo qui *te diſcernit* ab alio, cui non donauit quod donauit tibi? *Si autem & accepiſti*, ait, *quid gloriaris quaſi non acceperis?* Nunquid quæſo agit aliud, niſi *vt qui gloriatur, in Domino glorietur?* Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt & bonis & malis. Sit ergò gratia naturæ attributa, quà ſumus animantia rationalia, diſcernimurque à pecoribus; ſit etiam gratia naturæ attributa, quà in ipſis hominibus à deformibus pulchri, vel ingenioſi diſcernuntur à tardis, ac ſi quid eiuſmodi eſt. Sed non ſe ille quem coercebat Apoſtolus, aduerſus pecus inflabat, nec aduerſus hominem alterum, de aliquo naturali munere quod ineſſe poſſet & peſsimo; ſed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, ſibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit, *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Vt enim ſit naturæ, fidem poſſe habere, nunquid & habere? *Non enim omnium eſt fides*, cùm fidem poſſe habere ſit omnium. Non autem

Ibid. 21. 1. *Cor.* 1. 31.

1. *Cor.* 4. 6 & 7.

2. *Theſſ.* 3. 2.

autem ait Apostolus, quid autem potest habere quod non accepisti, ut posses habere; sed ait, *Quid autem habes quod non accepisti?* Proinde posse habere fidem sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura in quâ nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem; ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc vbi dicitur, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Quisquis audet dicere, habeo ex me ipso fidem, non ergò accepi; profectò contradicit huic apertissimæ veritati; non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis *præparatur voluntas à Domino.* Ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est pertinet. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?*

Prov. 8. 21. iuxta 70.

CAPUT VI.

Multi audiunt verbum veritatis; sed alij credunt, alij contradicunt: Volunt ergò isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? sed cùm alijs præparetur, alijs non *præparetur voluntas à Domino*; discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. *Quod quærebat Israel*, ait Apostolus, *hoc non est consecutus; electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem.* Et Dauid dicit, *Fiat mensa eorum in laqueum, & in scandalum, & in retributionem illis: obscurentur oculi eorum nè videant, & dorsum eorum semper incurua.* Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione quæ consecuta est iustitiam Dei; iudicium verò in cæteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. *Electio* quippe ista gratiæ est, non vtique meritorum. Superiùs enim dixerat, *Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Gratis ergò consecuta est, quòd *consecuta*

Rom. 11. 7. & seq. Esai. 6. 9. Ps. 68. 23. Rom. 11. 5. & 6. Ibid. 35.

est

est electio: non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis: *pro nihilo* enim *saluos fecit eos*. *Cæteris* autem *qui excæcati sunt*, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabiles* sunt autem *viæ eius. Inuestigabiles* igitur sunt, & *misericordia* quà gratis liberat, & *veritas* quà iustè iudicat. *Psal.* 55.8.

CAPUT VII.

SEd forsitan dicunt, *Ab operibus* fidem distinguit Apostolus; *gratiam* verò *non ex operibus* esse dicit; non autem dicit, quod non sit ex fide. Ita verò est: sed ipsam quoque fidem *opus Dei* dicit esse Iesus, & hanc vt operemur iubet. *Dixerunt enim ad eum Iudæi: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Sic ergò distinguit Apostolus *ab operibus* fidem, quemadmodùm in duobus regnis Hebræorum distinguitur Iudas ab Israel, cùm & ipse Iudas sit Israel. Ex fide autem ideò dicit iustificari hominem, non ex operibus: quia ipsa prima datur, ex quà impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur. Nam dicit etiam ipse: *Gratia salui estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est*: id est, & quod dixi *per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est*. Et iam fides, *non ex operibus*, inquit, *nè forte quis extollatur*: solet enim dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat & antequàm crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes antequàm credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam *quomodò inuocabat, in quem non crediderat*? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: quàmuis *nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam*. Et dicitur nobis, *fides est à nobis, cetera à Domino ad opera iustitiæ pertinentia*; quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quod si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quic-

Ioan 6.28 & 29. *Gal.* 2.16. *Ephes.* 2.8. *Ibid.* 9. *Act.* 10.4. *Rom.* 10. 14. *Act.* 10. 20. *Psal.* 126.

Quicquid igitur, & antequàm in Christum crederet, & cùm crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, *nè fortè quis extollatur.*

CAPUT VIII.

PRoinde ipse vnus Magister, & Dominus quum dixisset quæ suprà commemoraui, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille*; in eodem ipso sermone suo paulò post ait, *Dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis, Omne quod dat mihi pater ad me veniet.* Quid est, *ad me veniet*, nisi credet in me? Sed vt fiat, pater dat. Item paulo post, *Nolite*, inquit, *murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Quid est, *omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me*, nisi, nullus est qui audiat, & discat à patre, & non veniat ad me? Si enim *omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit*; profectò omnis qui non venit, non audiuit à patre, nec didicit; nam si audisset, & didicisset, veniret. Neque enim vllus audiuit ac didicit, & non venit: sed *omnis*, vt ait veritas, *qui audiuit à patre, & didicit, venit.* Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in quà pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum eius per quod sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi Spiritus Patris, & Filij; neque enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippè dicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est vtique Spiritus Sanctus, de quo Apostolus dicit: *Habentes autem eundem spiritum fidei.* Sed ideò patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus vnigenitus, & de ipso procedit Spiritus Sanctus: vnde longum est enucleatiùs disputare: & de Trinitate, quæ Deus est, laborem nostrum in quindecim libris ad vos iam existimo peruenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Christum; sed vbi & quomodo à patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimium gratia ista secreta est,

Ioan. 6. 29
Ibid. 36. & 37.
Ided. 34. 44. 45.
Esai. 54. 13.
2. Cor. 4. 13.

gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergò pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, *aufert cor lapideum, & dat cor carneum*, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippè facit *filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Cur ergò non omnes docet, vt veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam *cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*; sed *miseretur*, bonum tribuens; *obdurat*, digna retribuens. Aut si & ista, vt quidam distinguere maluerunt, verba sunt eius cui Apostolus ait, *Dicis itaque mihi*, vt ipse dixisse, accipiatur, *ergò cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*, & quæ sequuntur: id est, *Quid adhuc conqueritur; nam voluntati eius quis resistit?* Nunquid responsum est ab Apostolo, *O homo*, falsum est quod dixisti? Non. Sed responsum est, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem facere massa*, & sequentia quæ optimè nostris. Et tamen secundùm quendam modum, omnes pater docet venire ad suum filium. Non enim frustra *scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* Quod testimonium cùm præmisisset, tunc subdidit. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Sicut ergò integrè loquimur, cùm de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus: omnes iste hic literas docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi literas discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus quantùm aperiendum iudicauit: *quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Hinc est quod *verbum crucis pereuntibus stultitia est: his autem qui saluit fiunt, virtus Dei est.* Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos *omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Nam & si illos quibus *stultitia est verbum Crucis*, vt ad Christum

Ezech. 11. 19.

Rom. 9.

Rom. 9. 22.

1. Cor. 1. 18.

1. Tim. 2. 4.

Christum venirent docere voluisset, proculdubio venirent, & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait, *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Absit ergò vt quisquam non veniat, *qui à patre audiuit, & didicit. Quare,* inquiunt, *non omnes docet?* Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet, respondebitur nobis. Et vbi est quod *Psal. 84. 7* ei dicitur? *Domine tu conuertens viuificabis nos.* Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundùm præceptum Domini pro persecutoribus suis? *Matth. 5. 44.* Nam sic etiam voluit intelligi Sanctus Cyprianus quod dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*; hoc *Matth. 6. 10.* est, sicut in eis qui iam crediderunt, & tanquam cœlum sunt; ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergò oramus pro nolentibus credere, nisi vt *Phil. 2. 13 Rom. 10. 1.* Deus *in illis operetur, & velle*? De Iudæis certè Apostolus ait, *Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis fit in salutem.* Orat pro non credentibus, quid, nisi vt credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergò fides orantium Dei præuenit gratiam; nunquid eorum fides pro quibus oratur vt credant, Dei præuenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id est fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à patre audiunt atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur vt credant, illis non datur; quia *nemo*, inquit, *Ioan. 6. 44* *venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum*: quod apertiùs postea dicitur. Nam post aliquantùm cum de carne sua manducanda, & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent etiam quidam discipulorum eius, *Ibid. 61. 62. Ibid. 64 & seq.* *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat?* Et paulò post, *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Et mox Euangelista, *Sciebat*, inquit, *ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Ergò trahi à patre ad Christum, & audire ac discere à patre, vt veniat ad Christum, nihil

aliud est, quàm donum accipere à patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* Fides igitur, & inchoata, & perfecta, donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit *ex vno* omnes esse *in condemnationem*, sine dubitatione iustissimam; ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis, qui non liberantur agnoscunt; vt *qui gloriantur*, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed *in Domino glorientur. Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Melius enim, & hic audimus aut dicimus: O homo, *tu quis es qui respondeas Deo*, quam dicere audeamus quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.

1. Cor. 1. 31. Rom. 11. 33. Rom. 9. 20.

CAPUT IX.

ILlud autem quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, *De tempore Christianæ Religionis*, me dixisse recolitis; ita dixi, vt hanc diligentiorem, & operiosiorem disputationem de gratia præterirem, non sanè omissa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs vel ab alijs explicari. Nam ita locutus sum inter cætera, respondens præpositæ quæstioni: cur Christus post tam longa tempora venerit. „ Proinde, *inquam*, cùm Christo non obijciant, quod eius „ doctrinam non omnes sequuntur (sentiunt enim & ip„ si, nequaquam hoc rectè obijci posse, vel sapientiæ Phi„ losophorum, vel etiam Numini Deorum suorum) quid „ respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ, & „ scientiæ Dei vbi fortassis aliud diuinum consilium lon„ gè secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè „ causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt, hoc „ solùm eis breuitatis gratia, in huius quæstionis disputatione dicamus: tunc voluisse hominibus apparere Chri-

„ Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam; quan-
„ do sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant cre-
„ dituri. His enim temporibus, & his locis quibus Euan-
„ gelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius
„ prædicatione futuros esse præsciebat, quales non qui-
„ dem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsen-
„ tia fuerunt, qui in eum nec susciatis ab eo mortuis cre-
„ dere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cùm
„ tanta manifestatione de illo compleantur præconia Pro-
„ phetarum, nolle adhuc credere, & malle humana astu-
„ tia resistere, quàm tam claræ atque perspicuæ tamque
„ sublimi, & sublimiter diffamatæ, diuinæ cedere autho-
„ ritati. Quamdiu paruus, & infirmus est intellectus ho-
„ minis, diuine accedere veritati non poterit. Quid ergò
„ mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Chri-
„ stus prioribus seculis nouerat, vt eis apparere vel præ-
„ dicari meritò nollet; quos nec verbis, nec miraculis
„ suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile
„ est tales tunc fuisse omnes, quales ab eius aduentu vs-
„ que ad hoc tempus tam multos fuisse atque esse mira-
„ mur: & tamen ab initio generis humani, aliàs occul-
„ tiùs, aliàs euidentius, sicut congruere temporibus diui-
„ nitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum
„ crederent, defuerunt: & ab Adam vsque ad Moysen,
„ & in ipso populo Israel, quæ speciali quodam myste-
„ rio gens prophetica fuit: & in alijs gentibus antequàm
„ veniret in carne. Cùm enim nonnulli commemorentur
„ in Sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec
„ de stirpe eius, nec ex populo Israel, nec aduentitia so-
„ cietate in populo Israel; qui tamen huius Sacramenti
„ participes fuerunt: cur non credamus etiam in cæte-
„ ris hac atque illac gentibus alios atque alios fuisse,
„ quamuis eos commemoratos in eisdem authoritatibus
„ non legamus? Ita salus religionis huius, per quam so-
„ lam veram, salus vera veraciterque promittitur, nulli
„ vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus
„ non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ vsque in
„ finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudi-
„ cium prædicatur: ac per hoc, & quibus omnino annun-
„ ciata non est, non credituri præsciebantur: & quibus
„ non credituris tamen annunciata est, in illorum exem-
„ plum demonstrantur. Quibus autem credituris annun-

cia-

„ciatur, hi Regno Cœlorum, & Sanctorum Angelorum „ ſocietati præparantur. Cernitis-ne me ſine præiudicio latentis conſilij Dei aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrùm prædicato ſibi Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt vtrùm tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit Deus, quærere ac differere tunc neceſſarium non putaui. Proinde quod dixi, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri*; poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui *electi fuerant in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* Sed quoniam ſi ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris neceſſe eſt copioſius, & laborioſius diſputari: viſum mihi eſt quod tunc ſatis erat, breuiter eſſe dicendum, *excepta*, vt dixi, *altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & ſine præiudicio aliarum cauſarum*, de quibus non tunc, ſed aliàs opportunius diſputandum putaui. *Epheſ.1.4*

CAPUT X.

ITem quod dixi, *ſalutem religionis huius nulli vnquam defuiſſe qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defuit*, ſi diſcutiatur, & quæratur vnde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant, voluntate humana; nos autem dicimus, gratia vel prædeſtinatione diuina. Inter gratiam porro, & prædeſtinationem hoc tantùm intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò iam ipſa donatio. Quod itaque ait Apoſtolus, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur; ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*, gratia eſt. Quod autem ſequitur, *Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſti- *Epheſ 2.9 & 10. Ibidem.*

destinatione quippè Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse
Esai. 45. iuxta 70. facturus. Vnde dictum est, *Fecit quæ futura sunt.* Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata; quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam sint peccatorum, vnde dictum est, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt*; non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ
Rom. 1. 24. *Gen. 17. 5. Rom. 4. 16.* in semine eius fidem gentium, dicens, *Patrem multarum gentium posui te*: Vnde dicit Apostolus: *Ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini*, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione, promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit; non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit: alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit
Ibid. 20. & 21. Abraham, *sed credidit dans gloriam Deo; quoniam quæ promisit potens est, & facere*: non ait, prædicere: non ait, præscire, nam & aliena facta potest prædicere atque præscire; sed ait, *potens est, & facere*: ac per hoc facta non aliena, sed sua. An fortè opera bona gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, vt hoc promitteret quod ipse facit? non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt, sed vt promitteret quod ipse facit, illam præsciuit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus; filios quippè promisit Deus Abrahæ, qui fidei eius vestigia sectarentur; quod apertissimè dicit. Sed si opera gentium promisit, non fidem; profectò quoniam
Abac. 2. 4. Rom. 14. Heb. 11. non sunt bona opera nisi ex fide (*Iustus* enim *ex fide viuit, & omne quod non est ex fide, peccatum est; & sine fide impossibile est placere Deo*) nihilominus vt impleat quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet; hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, vt opera iustitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc vt promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod

si

si veritas, & pietas non credere vetat, credamus cum Abraham, *Quoniam quæ promisit, potens est, & facere.* Promisit autem filios Abrahæ, quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergò ipse donat & fidem. Rom. 4. 21.

CAPUT XI.

SAnè cùm Apostolus dicat, *Ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio*; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. *Sed incerta est mihi*, inquis, *de me ipso voluntas Dei.* Quid ergò? Tua nè tibi voluntas de teipso certa est, nec times? *Qui videtur stare, videat ne cadat.* Cùm igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? *Sed cùm dicitur*, inquiunt, *Si credideris, saluus eris; vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate.* Cur non vtrumque in Dei est, & quod iubetur, & quod offertur? Rogatur enim vt det quod iubet: rogant credentes, vt sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, vt eis donetur fides, vt & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides. Sic autem dicitur, *Si credideris, saluus eris*; quemadmodùm dicitur, *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Nam & hic ex his duobus vnum exigitur, alterum offertur. *Si spiritu*, inquit, *facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vt ergò *spiritu facta carnis mortificemus*, exigitur; vt autem *viuamus*, offertur. Num igitur placet, vt *facta carnis mortificare* non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur; quoniam exigi audiuimus à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit, vt hoc placeat participibus, & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis; quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens, *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, nè *facta mortificare* nos *carnis*, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus. De quo Dei spiritu etiam ibi loquebatur, vbi ait: *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult.* Inter quæ omnia sicut scitis, nominauit, & *fidem.* Sicut ergò quamuis donum Dei sit *facta carnis mortificare*; Ibid. 16. Rom. 10. 9. Rom. 8. 13. Ibid. 14. 1. Cor. 12. 11. exi-

exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamuis & ipsa cùm dicitur, *Si credideris, saluus eris*; proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur quod & nos ea faciamus, & Deus facit vt illa faciamus; sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit: quid enim apertiùs quàm vbi dicit, *Ego faciam vt faciatis*? Locum ipsum scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se vt faciat, quæ iubet vt fiant. Non sanè ibi tacet etiam merita eorum, sed mala, quibus se ostendit reddere pro malis bona; hoc ipso quòd eos facit habere deinceps opera bona, cùm ipse facit, vt faciant diuina mandata.

Ezech. 36. 27.

CAPUT XII.

SEd omnis hæc ratio quâ defendimus *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, verè esse gratiam; id est, non secundùm merita nostra dari; quamuis euidentissimè diuinorum eloquiorum testimonijs asseratur: tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant, laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio; sed vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum *mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum*, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi vllis bonis præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, vt pertineant ad liberatorem hominum; nec ille vllis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipse sit homo, liberator factus est hominum. Quis enim audiat quòd dicuntur paruuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita; & ideò alij non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante? Sed nullum Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, vt mitiùs loquar, incauta suspicio. Ait enim, *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit*, inquit,

Rom. 7. 25.

Rom. 11. 35.

1. *Tim.* 2. 5.

Rom. 14. 16.

2. *Cor.* 5. 10.

quit, non adiunxit, vel gesturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, vt futura quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita paruulorum. Cur autem dictum est, *secundùm ea quæ per corpus gessit* hominem iudicandum, cùm gerantur multa solo animo, non *per corpus*, nec per vllum corporis membrum, & plerumque tam magna, vt talibus cogitationibus pœna iustissima debeatur: sicuti est, vt alia taceam, quod *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*? Quid est ergò, *secundùm ea quæ per corpus gessit*, nisi secundùm ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, vt *per corpus* intelligamus corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione nouissima, non ad vlla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis, secundùm ea quæ gesserunt per corporis tempus, siue cruciantur animæ, siue requiescunt. Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum, quo siue soluto per Dei gratiam, siue per Dei iudicium non soluto, cùm moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides nouit, in hoc etiam nonnulli hæretici sine vllà contradictione consentiunt. Iudicari autem quemquam non secundùm merita quæ habuit quamdiu fuit in corpore, sed secundùm merita quæ fuerat habiturus si diutius fuisset in corpore; vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ indicant literæ, mirans & stupens reperire non possum; nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem: sed spero affuturum Deum, vt commoniti citò videant, ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in non baptizatis possunt iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicunque enim dicit puniri tantùm posse Deo iudicante futura peccata, dimitti autem Deo miserante non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque eius iniuriam: quasi futurum peccatum prænosci possit, nec possit ignosci. Quod si absurdum est, magis ergò futuris si diu viuerent peccatoribus, cùm in parua ætate moriuntur, lauacro quo peccata diluuntur, debuit subueniri. *Psal.* 13. 1

CA-

CAPUT XIII.

QUòd si forsitan dicunt, pœnitentibus peccata dimitti; & ideò istos non baptizari in paruula ætate morientes, quia præsciti sunt pœnitentiam si viuerent non acturi: eos autem qui baptizantur, & paruuli de corporibus exeunt, Deum præscisse acturos pœnitentiam fuisse si viuerent: Attendant & videant, si ita est, non iam in paruulis sine baptismate morientibus peccata originalia vindicari, sed sua cuiusque futura si viueret: itemque baptizatis non originalia dilui, sed sua futura si viuerent, quoniam non possent nisi in maiore ætate peccare: sed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuisse præuisos; ideò alios baptizatos, alios sine baptismo exisse de hac vita. Hoc si audirent Pelagiani, non iam laborarent negando originale peccatum, quærere paruulis extra regnum Dei nescio cuius suæ felicitatis locum: maximè quando conuincuntur non eos habere posse vitam æternam, qui non manducauerunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi, & quia in eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus qui in remissionem traditur peccatorum. Dicerent enim prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris, si viuerent, meritis vel baptizari vel non baptizari eos qui de corpore soluuntur infantes; & pro suis futuris meritis eos vel accipere, vel non accipere corpus & sanguinem Christi, sine quo vitam prorsus habere non possunt; & in vera remissione peccatorum baptizari, quamuis nullum ex Adam traherent: quoniam remittuntur eis futura peccata, de quibus illos Deus pœnitentiam præsciuit acturos. Ita facillimè agerent atque obtinerent causam suam, qua negant esse originale peccatum, & gratiam Dei non dari nisi secundùm merita nostra contendunt. Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubiò nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est; ideò nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multò magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum; hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholica authoritate condemnant.

Ioan. 6, 54

CAPUT XIV.

SCripsit librum de mortalitate Cyprianus, multis ac pene omnibus qui Ecclesiasticas literas amant laudabiliter notum; in quo propterea dicit non solùm non esse fidelibus inutilem mortem, verumetiam vtilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest, si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur? Ait tamen ille copiosissimè atque optimè, peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec supereſſe post istam. Vbi & illud testimonium ponit de libro sapientiæ, *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 4. 11. Quod à me quoque positum, fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro canonico adhibitum; quasi & excepta huius libri attestatione res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare Christianus, *iustum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum?* Ibid. 7. Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit *iustum, si à sua iustitia recesserit*, in qua diu vixit, Ezech. 18. & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi præterita sua iustitia profutura: huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicit? Porro si quæratur à nobis, vtrùm si tunc esset mortuus quando erat iustus, pœnas esset inuenturus an requiem; nunquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa cur dictum est, à quocunque sit dictum, *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius.* Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod *futurum* non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Iob, *Nunquid non tentatio est vita humana super terram?* Iob. 7. 1. iuxta 70. Sed quare alijs concedatur, vt ex huius vitæ periculis dum iusti sunt auferantur; alij verò iusti donec à iustitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; *quis cognouit sensum Domini?* Rom. 9. 34. Et tamen hinc inteligi datur, etiam illis iustis, qui bonos

pios-

pioſque mores vſque ad ſenectutis maturitatem, & diem vitæ huius vltimum ſeruant, non in ſuis meritis, ſed *in Domino* eſſe *gloriandum*; quoniam qui vitæ breuitate rapuit iuſtum *ne malitia mutaret intellectum eius*, ipſe in quantacunque vitæ longitudine cuſtodit iuſtum, *nè malitia mutet intellectum eius*. Cur autem hic tenuerit caſurum iuſtum, quem priuſquam caderet hinc poſſet auferre, iuſtiſsima omnino, ſed *inſcrutabilia ſunt iudicia eius*. Quæ cùm ita ſint, non debuit repudiari ſententia libri ſapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti, tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis, vſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ authoritatis audire. Certè enim ſi de diuinarum ſcripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defenſionem huius ſententiæ, quam nunc ſolito diligentiùs atque copioſiùs contra nouum Pelagianorum defendere vrgemur errorem; hoc eſt, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, & gratis dari cui datur, *quia neque volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: iuſto autem iudicio non dari cui non datur, quia *non eſt iniquitas apud Deum*. Si huius ergò ſententiæ defenſionem ex diuinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquieſcerent, hoc enim ſignificaſtis literis veſtris. Quid igitur opus eſt, vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſsitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari, quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? Vnde factum eſt, vt de gratia Dei quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ aduerſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant, & in exhortationibus ad quaſque virtutes, quibus Deo viuo, & vero pro adipiſcenda vita æterna, & verâ fœlicitate ſeruitur: frequentationibus autem orationum ſimpliciter apparebat Dei gratia quid valeret; non enim poſcerentur à Deo quæ præcepit fieri, niſi ab illo donaretur vt fierent. Sed qui ſententijs tractatorum inſtrui volunt, oportet vt iſtum librum Sapientiæ vbi legitur, *Raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius*; omnibus tractatoribus anteponant: quoniam ſibi cum an-

Rom. 9. 16. *Ibid. 14.*

Sap. 4. 11.

te-

tepoſuerunt etiam temporibus proximi Apoſtolorum egregij tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium crediderunt. Et certè beatiſsimum Cyprianum diſputaſſe conſtat, vt celerioris mortis beneficium commendaret, à peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt in qua peccari poteſt. In eodem libro ait inter cætera: *Cur non cum Chriſto futurus, & Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum veneris, amplecteris, & quod diabolo careas, gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubricæ ætatis euadunt.* Itemque alio loco: *Quid non*, inquit, *properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſsimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſuâ incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* His atque huiuſmodi doctor ille ſententijs in Catholicæ Fidei luce clariſsima, ſatis apertèque teſtatur, vſque ad huius corporis depoſitionem peccandi pericula tentationeſque metuendas; deinceps nulla talia quenquam eſſe paſſurum. Quod etſi non teſtaretur, quando de hac re Chriſtianus qualiſcunque dubitaret? Quomodo igitur homini lapſo, & in eodem lapſu iſtam vitam miſerè finienti, atque ad pœnas eunti talibus debitas; quomodò inquam huic non plurimùm ſummeque prodeſſet, ſi ex hoc tentationum loco priuſquam laberetur, morte raperetur? Ac per hoc ſi abſit nimis inconſiderata contentio, tota quæſtio iſta finita eſt de illo, qui *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* Nec ideò liber Sapientiæ, qui tanta numeroſitate annorum legi meruit in Eccleſia Chriſti, in quo, & hoc legitur, pati debet iniuriam; quoniam reſiſtit eis qui pro meritis hominum falluntur, vt veniant contra Dei manifeſtiſsimam gratiam, quæ maximè apparet in paruulis: quorum cùm alij baptizati, alij non baptizati vitæ huius terminum ſumunt, ſatis indicant *miſericordiam*, & *iudicium*; *miſericordiam* quidem gratuitam, *iudicium* debitum. Si enim iudicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non haberent morte præueniente, ſed habituri eſſent, ſi viuerent; nihil prodeſſet ei, qui *raptus eſt nè malitia mutaret intellectum eius*; nihil prodeſſet eis qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur: quod nullus dicere Chriſtianus audebit. Quocirca non de-

debent fratres noſtri, qui nobiſcum pro Catholica Fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantùm fauere opinioni, quà opinantur *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*; vt quod illi audere non poſſunt, ſententiam veram planè, & antiquitus Chriſtianam, *Raptus eſt nè malitia mutaret intellectum eius*, deſtruere moliantur, & id aſtruere quod non dico creditum, ſed ſomniaturum neminem putaremus: ſecundùm ea ſcilicet iudicari quemquam mortuorum, quæ geſturus fuerat, ſi tempore prolixiore vixiſſent. Ita quippè claret inuictum eſſe, quod dicimus, Gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, vt huic veritati contradicentes ingenioſi homines, hæc ab omnium auribus, & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.

CAPUT XV.

EST etiam præclariſsimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe *mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*: qui vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo eſt, comparauit? Reſpondeatur quæſo; ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus, filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruerit? quod eius bonum qualecunque præceſſit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cæpit, filius Dei vnicus eſſe cæpit? Nonne filium Dei vnicum femina illa *gratia plena* concepi? Nonne de Spiritu Sancto, & Virgine Maria Dei filius vnicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed ſingulari Dei munere? Nunquid metuendum fuit, nè accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat? Nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, & alia ſi qua eius propria veriſsimè dici poſſunt, ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis. Reſpondeat hic homo Deo, ſi audet, & dicat. Cur non & ego? Et ſi audierit, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo*; nec

Rom. 9. 20.

ſic

sic cohibeat, sed augeat impudentiam, & dicat, Quomodo audio, Tu quis es ò homo? Cùm sim quod audio, id est homo, quod est & ille de quo ago, cur non sim quod & ille? At enim gratia ille talis ac tantus est. Cur diuersa est gratia, vbi natura communis est? Certè *non est acceptio personarum apud Deum.* Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundùm vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quà gratia homo ille ab initio suo factus est Christus; de ipso spiritu, & hic renatus, de quo est ille natus; eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maximè claruit; quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ inquantùm *homo factus est* Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat doctor gentium in capite Epistolarum suarum, *Paulus Seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium* Dei, *quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine* Dauid *secundùm carnem, qui prædestinatus est filius* Dei *in virtute, secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Prædestinatus est ergò Iesus, vt qui futurus erat *secundùm carnem* filius Dauid, esse tamen *in virtute filius Dei secundùm spiritum sanctificationis*, quia natus est de Spiritu Sancto, & Virgine Maria. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo verbo susceptio singularis, vt filius Dei, & filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & filius Dei propter suscipientem vnigenitum Deum veraciter, & propriè diceretur, nè non trinitas sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta, & tam celsa, & summa subnectio, vt quo attolleretur altiùs, non haberet; sicut pro nobis ipsa diuinitas quousque se deponeret humiliùs, non habuit, quàm suscepta natura hominis cùm infirmitate carnis, *vsque ad mortem Crucis.* Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.

Col. 3. 25.

Rom. 1.

Hu-

Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet quæ regnat *Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum*, vnicum Dei filium Dominum nostrum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illis generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu, & Virgine nasceretur. Sic & nobis vt *ex aqua & spiritu renasceremur*, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad *lauacrum regenerationis* fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippè nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum; ille facit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem *principem fidei, & perfectorem Iesum*; sic enim est appellatus, vt scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos.

Heb. 12. 2.

CAPUT XVI.

VOcat enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione quà vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippè vocatione, & Iudæi vocati sunt, quibus *Christus Crucifixus scandalum est*; & gentes, quibus *Christus Crucifixus stultitia est*: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens *ipsis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Sic enim ait, *Ipsis autem vocatis*, vt illos ostenderet non vocatos, sciens esse quandam certam vocationem eorum *qui secundùm propositum vocati sunt, quos præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui.* Quam vocationem significans, ait, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori.* Nunquid dixit, *non ex operibus*, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergò, *sed ex vocante*, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens. Hanc etiam intuebatur, cùm diceret, *Sine pœnitentia sunt dona, & vo-*

Luc. 14. 16 & 17. 1. *Cor.* 1. 23. *Ibid.* 24. *Roman.* 8. 28. & 29. *Roman* 9. 12. & 13.

vocatio Dei. Nam & ibi quid agebatur paulisper aduertite. Cùm enim dixisset: *Nolo enim vos ignorare fratres* Rom. 11. 25. *Sacramentum hoc, vt non sitis vobis sapientes; quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium* Ibid. 25. 26. & 27. *intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum* Esai. 59. 20. *est, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum*: mox addidit quod diligenter intelligendum est: *Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos; secun-* Rom. 11. 28. *dùm electionem autem dilecti propter patres.* Quid est, *secundùm Euangelium quidem inimici propter vos*; nisi, quod eorum inimicitia qua occiderunt Christum Euangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostendit ex Dei dispositione venisse, qui bene vti nouit etiam malis; non vt ei prosint *vasa iræ*, sed vt ipso illis bene vtente, prosint *vasis misericordiæ*. Quid enim apertius dici potuit, quam id quod dictum est, *Secundùm Euangelium inimici propter vos*? Est ergò in malorum potestate peccare. Vt autem peccando, hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Legimus in actibus Apostolorum, *Act.* 4. 23. cùm *dimissi* à Iudæis Apostoli *venissent ad suos, & indi-* & seq. *cassent quanta eis Sacerdotes, & seniores dixissent, leuauerunt* Psal. 2. 1. illi *vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixe-* & 2. *runt*: *Domine tu es qui fecisti cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri Dauid, sancti pueri tui, dixisti. Quare fremuerunt omnes gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim in veritate in Ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti, Herodes, & Pilatus, & Populus* Rom. 11. 28. *Israel, facere quanta manus tua, & consilium prædestinauit fieri.* Ecce quod dictum est, *secundùm Euangelium quidem inimici propter vos.* Tanta quippe ab inimicis Iudæis *manus Dei, & consilium prædestinauit fieri*, quanta necessaria fuerant Euangelio *propter vos.* Sed quid est Ibidem. quod sequitur, *Secundùm electionem autem dilecti propter patres*? Nunquid illi *inimici* qui in suis inimicitijs perierunt, & aduersantes Christo de gente ipsa adhuc pereunt,

reũt, ipſi ſunt electi atque *dilecti*? Abſit. Quis hoc vel ſtultiſsimus dixerit? Sed vtrunque licet ſit inter ſe contrarium, id eſt, *inimici*, & *dilecti*, quamuis non in eoſdem homines, tamen in eandem gentem conuenit Iudæorum, & ad idem carnale ſemen Iſrael, alijs eorum ad claudicationem, alijs ad benedictionem Iſrael ipſius pertinentibus. Hunc enim ſenſum apertiùs ſuperiùs ex-
Ibid 7. plicauit, vbi ait: *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus; electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt*; in vtriſque tamen idem ipſe Iſrael. Vbi ergò audimus, *Iſrael, non eſt conſecutus*, vel *cæteri excæcati ſunt*; ibi intelligendi ſunt *inimici, propter vos*: vbi verò audiuimus *electio autem conſecuta eſt*, ibi intelligendi ſunt, *dilecti propter patres*; quibus patribus vtique iſta promiſſa ſunt. *Abrahæ* quippe *dicta ſunt promiſsiones, & ſemini*
Gal. 3. 16. *eius.* Vnde & in iſta oliua oleaſter inſeritur gentium. Iam
Rom. 11. porro electio quam dicit, quia ſecundùm gratiam, non
17. ſecundùm debitum, debet vtique occurrere, quoniam *reliquiæ per electionem gratiæ factæ ſunt.* Hæc *electio conſe-*
Ibid. 5. & 7. *cuta eſt, cæteris excæcatis.* Secundùm hanc electionem If-
Matt. 20. raelitæ *dilecti propter patres.* Non enim vocatione illa vo-
16. cati ſunt, de quà dictum eſt, *Multi vocati*; ſed illa, qua
Rom. 11. vocantur *electi.* Vnde & hic poſteaquàm dixit: *ſecundùm*
28. & 29. *electionem autem dilecti propter patres*; continuò ſubiecit, vnde agimus, *ſine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*; id eſt ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, *omnes ſunt docibiles Dei*, nec
Eſai. 54. poteſt eorum quiſquam dicere, credidi vt ſic vocarer:
13. præuenit eum quippe miſericordia Dei, quia ſic vocatus eſt vt crederet. *Omnes* enim *docibiles Dei* veniunt ad fi-
Ioan. 6. 54 lium, quoniam audierunt, & didicerunt à patre per fi-
Ibid. 39. lium, qui euidentiſsimè dicit, *Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Iſtorum autem nemo perit, quia *omne quod dedit ei pater, non perdet ex eo quicquam.* Quiſquis ergò inde eſt, omnino non perit; nec erit inde
1. Ioan. 2. qui perit. Propter quod dictum eſt: *Ex nobis exierunt,*
19. *ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.*

****

CAPUT XVII.

INtelligamus ergò vocationem quà fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt; sed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant; ipsi eum prius vtique elegerant credendo in eum, vt eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Et ipsi quidem proculdubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Vnde non ob aliud dicit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*; nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum elegit eos: quia *misericordia eius præuenit eos secundùm gratiam* non *secundùm debitum.* Elegit ergò eos de mundo cùm hic ageret in carne, sed iam *electos in seipso, ante mundi constitutionem.* Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*? Quod profectò si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur filius, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*: cùm hoc potiùs præscierit Deus quod ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque *ante mundi constitutionem* ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit; electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinauit, impleuit. *Quos enim prædestinauit, ipsos, & vocauit*; illa scilicet vocatione *secundùm propositum*; non ergo alios, sed *quos prædestinauit, ipsos & vocauit*; nec alios, sed *quos* ita *vocauit, ipsos & iustificauit*; nec alios, sed *quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos, & glorificauit*, illo vtique fine qui non habet finem. Elegit ergò Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant. Apostolus Iacobus dicit, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*? Eligendo ergo facit *diuites in fide*, sicut *hæredes regni*. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit. Rogo quis audiat Dominum dicentem, *Non vos me elegistis, sed ego*

Ioan. 15. 16.

Psal. 58. 11.

Eph. 1. 4.

Rom. 8. 30.

Iac. 2. 5.

vos

vos elegi; & audeat dicere, credere homines, vt eligantur, quum potiùs eligantur vt credant, nè contra sententiam veritatis priores inueniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?*

CAPUT XVIII.

Eph. 1. 3. & seq. QUis audiat Apostolum dicentem, *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm placitum voluntatis suæ, in quà gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius; remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos in omni sapientiâ & prudentiâ, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quàm proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt & quæ in terris in ipso: in quo etiam sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, Et simus in laudem gloriæ eius.* Quis inquam, hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? *Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi* membra eius; & quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando? Elegit ergò prædestinans nos; nunquid eligeret impios & immundos? Nam si quæstio proponatur, vtrùm hos eligat, an potiùs sanctos & immaculatos, quid horum respondeat qui requiratur, ac non statim ferat pro * sanctis immaculatisque sententiam? *Præsciebat ergò*, ait Pelagianus, *qui futuri essent sancti & immaculati per liberę voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præsciuit. Elegit ergò*, inquit, *antequàm essent, prędestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præsciuit: vtique ipse non fecit, nec se facturum sed illos futuros esse prędidit.* Intueamur ergò verba Apostoli, atque videamus vtrùm

prop-

propterea *nos elegerit ante mundi constitutionem*, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus? *Benedictus*, inquit, *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Non ergò quia futuri eramus, sed *vt essemus.* Nempe certum est, nempe manifestum est; ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans vt tales per gratiam eius essemus. Ita ergò *nos benedixit benedictione spiritali in cœlestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Deinde quid adiungat, attendite, *Secundùm placitum*, inquit, *voluntatis suæ*, nè in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis nostræ: *In quâ gratificauit nos*, inquit, *in dilecto filio suo; in quâ* vtique voluntate sua *gratificauit nos.* Sic dictum est, gratificauit à gratia, sicut iustificauit dicitur à iustitia: *In quo habemus*, inquit, *redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos in omni sapientiâ & prudentiâ, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundùm bonam voluntatem suam.* In hoc *mysterio voluntatis suæ* posuit *diuitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam*, non secundùm nostram; quæ bona esse non posset, nisi ipse *secundùm bonam voluntatem suam* vt bona fieret, subueniret. Cùm autem dixisset: *Secundùm bonam voluntatem suam*; subiecit, *Quam proposuit in illo*, id est *in dilecto filio suo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem glorioæ eius.* Nimis longum est de singulis disputare. Cernitis autem, proculdubiò cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei. *Elegit* ergò *nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum*; non quia per nos *sancti & immaculati* futuri eramus, sed elegit prædestinauitque *vt essemus.* Fecit autem hoc *secundùm*

dùm placitum voluntatis suę, vt nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur; fecit hoc *secundùm diuitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum* non nostrum, sed *eius quì*
Phil. 2. 13 *vniuersa operatur*, vsque adeò vt ipse *in nobis operetur & velle*. *Operatur* autem *secundùm consilium voluntatis suę, vt*
2. Cor. 3. 21. *simus in laudem gloriæ eius*. Hinc est autem quod clamamus, vt *nemo glorietur in homine*, ac per hoc nec in seipso;
2. Cor. 1. 31. sed *qui gloriatur, in Domino glorietur vt simus in laudem glorię eius*. Ipse quippe *operatur secundùm propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius*, vtique *sancti & immaculati*, propter quod *nos* vocauit *prædestinans ante mundi constitutionem*. Ex hoc proposito eius est illa electorum
Rom. 8. 28. propria vocatio quibus *omnia cooperantur in bonum*: quia
Rom. 11. 29. *secundùm propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*.

CAPUT XIX.

SEd hi nostri, de quibus vel pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico testimo-
Ephes. 1. 4 nio refutari, vbi dicit ideò *nos electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*. Ipsi enim putant, acceptis præceptis iam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio *sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate*; quod futurum Deum quoniam præsciuit, inquiunt, ideò *nos ante mundi constitutionem elegit & prędestinauit in Christo*: cùm dicat Apostolus, Non quia futuros tales nos esse præsciuit, sed vt essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, *quà gratificauit nos in dilecto filio suo*: cùm ergò *nos prędestinauit*, opus suum præsciuit, quo nos *sanctos & immaculatos* facit. Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. *Nos autem dicimus*, inquiunt, *nostrum Deum non præscisse nisi fidem, quà credere incipimus, & ideò nos elegisse ante mundi constitutionem ac prędestinasse, vt iam sancti & immaculati gratia atque opere eius essemus*. Sed audiant & ipsi in hoc testimonio vbi dicit: *Sortem consecuti sumus, prędestinati secundùm propositum, quì*
Ibid. 11. *vniuersa operatur*. Ipse ergò vt credere incipiamus ope-

ratur, *qui vniuersa operatur*: vocationem quippe illam de quâ dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*; & de qua dictum est, *non ex operibus, sed ex vocante*; cùm posset dicere, sed ex credente; & electionem quam significauit Dominus, dicens, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi*; nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credidimus, sed vt credamus elegit nos, nè priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Nec quia credidimus, sed vt credamus vocamur; atque illa vocatione, quæ *sine pœnitentiâ est*, id prorsus agitur & peragitur, vt credamus. Nec omnia replicanda sunt de hac re tam multa quæ diximus. Denique & in huius testimonij consequentibus, Deo gratias agit Apostolus pro his qui crediderunt, non vtique quia eis annunciatum est Euangelium, sed quoniam crediderunt. Ait enim, *In quo & vos audientes verbum veritatis Euangelium salutis vestrę, in quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius: propter hoc & ego auditâ fide vestra in Christo Iesu & in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.* Noua erat & recens eorum fides prædicato sibi Euangelio, quâ fide audita, *gratias Deo pro eis agit* Apostolus. Si homini gratias ageret pro eo, quòd illum vel putaret non præstitisse vel nosset, adulatio vel irrisio veriùs quàm gratiarum actio diceretur. *Nolite errare, Deus non irridetur*: donum enim eius est etiam incipiens fides, nè Apostoli falsa vel fallax gratiarum actio meritò iudicetur. Quid illud? Nonne initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen idem Apostolus *Deo gratias agit*, dicens, *Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm percepissetis à nobis verbum auditus Dei, excepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, quod operatur in vobis, qui credidistis.* Quid est quod hinc *Deo gratias agit*? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit de hoc quod ipse non fecit. Sed quia hoc vanum, & inane non est, profectò Deus cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit: vt *cùm percepissent* ab Apostolo *verbum auditus Dei, exciperent* illud *non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.* Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa *secundùm propositum suum*, de quâ multùm loquuti sumus, vt non ina-

Rom. 11. 29. *Rom.* 9. 12. *Ioan.* 15. 16. *Eph.* 1. 13. & seq. *Gal.* 6. 7. 1. *Thes.* 2. 13.

inaniter audiant Euangelium, sed eo audito conuertantur & credant, *excipientes non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.*

CAPUT XX.

ILlud etiam initium fidei hominum donum Dei esse nos admonet, cùm hoc significet Apostolus dicens in Epistola ad Colossenses, *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud ita vt oportet me loqui.* Quomodò aperitur *ostium verbi* nisi quum sensus aperitur audientis vt credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur & disputantur, admittat; nè per infidelitatem corde clauso ea quæ dicuntur, improbet, ac repellat? Vnde & ad Corinthios ait: *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecostem; ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi.* Quid hic aliud potest intelligi, nisi prædicato ibi per eum primitus Euangelio credidisse multos, & multos eiusdem fidei aduersarios extitisse, secundùm illud Domini; *Nemo ad me veniet, nisi cui datum fuerit à patre meo*: Et, *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum?* *Ostium* ergò *apertum est in eis quibus datum est; aduersarij* autem *multi* eis quibus *non est datum.* Itemque ad eosdem in secunda Epistola idem Apostolus; *Cum veniissem*, inquit, *Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inueni Titum fratrem meum; sed vale illis faciens exij in Macedoniam.* Quibus *vale fecit*, nisi eis qui crediderant, in quorum scilicet cordibus Euangelizanti *apertum est ostium?* Quid autem adiungat, attendite: *Deo autem*, inquit, *gratias qui semper triumphare nos facit in Christo, & odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam.* Ecce vnde gratias agit miles acerrimus & defensor inuictissimus gratiæ: ecce vnde gratias agit, *quia Christi bonus odor* sunt Apostoli *Deo*, &

Col. 4. 2.

5. Cor. 16. 8. & 9.

Ioan 6 66 Mat. 13. 11. Luc. 8. 10.

2. Cor. 2. 12. & 13.

Ibid. 14. 15. & 16.

in his qui salui fiunt gratia eius, & *in his qui pereunt* iudicio eius, Sed vt minùs succenseatur ad hæc parùm intelligentibus ipse admonet, cum adiungit & dicit: *Et ad hæc quis idoneus?* Verum redeamus ad ostij apertionem, quà initium fidei audientium significauit Apostolus. Quid est enim, *Orantes simul & pro nobis; vt Deus aperiat nobis ostium verbi*: nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum cœlestis gratiæ in illam *purpurariam* descenderat, cui, sicut scriptura dicit in Actibus Apostolorum, *Deus aperuerat sensum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur*; sic enim vocabatur, vt crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur quod *manus eius, & consilium præ-destinauit fieri*. Frustra itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon scriptura teste probauimus, cùm Deus vult fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinati eorum corda vt hoc velint, eo scilicet inclinante, *qui in nobis* mirabili modo & ineffabili *operatur & velle*; ad causam de quà differimus, non pertinere dixerunt. Quid enim est aliud, nihil dicere, & tamen contradicere; nisi fortè cui eis hoc visum sit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in literis vestris tacere maluistis? Sed quæ illa esse possit ignoro. An fortè quia offendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates, vt rex constitueretur Saul siue Dauid? Ideò hæc exempla causæ huic conuenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc sæculo, quod est in æternum regnare cum Deo: ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare; ad regnum verò cœleste obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum cœlorum non propter regnum terrenum esse dictum: *Inclina cor meum in testimonia tua*. Vel, *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet*. Vel, *Paratur voluntas à Domino*. Vel, *Fiat Dominus nostet nobiscum, sicut erat cum patribus nostris; non derelinquat nos, nec auertat nos à se, inclinet corda nostra ad se, vt eamus in omnibus vijs eius*. Vel, *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes*. Vel, *Dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis*. Audiant etiam illud; *Spiritum meum dabo in vobis*,

Ibid. 16.
Col. 4. 3.
Act. 16. 14.
Act. 4. 28. 1. *Reg.* 10. 25. & *seq.* 1. *Paral.* 11. 18.
Ps. 118. 8. 16.
Ps. 36. 23. *Prou.* 8. *iuxta* 70. 3. *Reg.* 8. 57. & 58. *Baruch* 2. 31.

Ezech. 11. 19. Ezech. 36. 27. Prou. 20. 24. Prou. 21. 2. Act 13.48

vobis, & faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Audiant: *A Domino diriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias suas?* Audiant: *Omnis vir videetur sibimetipsi iustus, dirigit autem corda Dominus.* Audiant: *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Audiant hæc & alia quæcunque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cœlorum, & ad vitam æternam parare & conuertere hominum voluntates. Cogitare autem quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cœlorum homines operari voluntates suas. Multa diximus, & fortasse iam dudum potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingenijs sic loquimur quasi obtusis, quibus & quod nimium est, non est satis.

CAPUT XXI.

SEd dent veniam, noua enim quæstio ad hoc nos compulit: quia cùm in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimonijs egissemus, donum Dei esse etiam fidem, inuentum est quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia vt ostendant Dei donum esse incrementum fidei: initium verò fidei quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei; sed hoc exigere Deum, vt cùm id præcesserit, cætera tanquam hoc merito consequantur quæ Dei dona sunt, nec vllum eorum dari gratis, cùm in eis Dei gratia, quæ non nisi gratuita est, prædicetur. Quod videtis quàm sit absurdum, propter quod institimus quantùm potuimus, vt etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus. Quod etsi diutiùs fecimus, quàm forsitan vellent hi propter quos fecimus: hinc ab eis reprehendi parati sumus; dum tamen & si multò diutiùs quam vellent, & si cum fastidio ac tædio intelligentium, fateantur nos fecisse quod fecimus, id est etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, iustitiam, pietatem, & cætera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse. Hic ergò sit huius voluminis terminus, nè offendat vnius nimia longitudo.

Libri primi finis.

D. AURELIJ AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE DONO PERSEVERANTIÆ.

LIBER AD PROSPERUM ET HILARIUM * SECUNDUS.

* *Scriptus post Retractationes, anno Christi 428. art. 43.*

PRima parte libri probat perseuerantiam illam, qua in Christo perseueratur vsque in finem, esse donum Dei. Hoc enim à Deo irrisorie peti, si à Deo dari non creditur. Porro Dominica oratione nihil penè aliud poſci quàm perseverantiam, iuxta Cypriani Martyris expoſitionem: qua quidem expoſitione ipſi gratiæ inimici conuicti ſunt ante quàm nati.

Per-

Perſeuerandi gratiam non ſecundùm accipientium merita, ſed alijs Dei miſericordia dari, alijs juſto eius iudicio non dari docet. Cur ex adultis ille potiùs quàm iſte vocetur, quemadmodum & ex duobus paruulis cur iſte aſſumatur, ille relinquatur, inſcrutabile. Inſcrutabilius verò, cur ex duobus pijs, huic perſeuerare donetur, non illi: ſed illud tamen certiſsimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Prædeſtinationis myſterium Dominicis verbis de Tirijs & Sidonijs, ſi eadem apud illos quæ apud Chorozain ſigna facta eſſent, pœnitentiam acturis, monſtrari obſeruat. Exemplum paruulorum ad prædeſtinationis, & gratiæ in maioribus veritatem firmandam valere oſtendit: atque ad locum libri ſui de libero arbitrio tertij ab aduerſarijs malè huc allatum reſpondet. Altera poſtea operis huius parte refellit quod illi aiunt, Prædeſtinationis definitionem vtilitati exhortationis & correptionis aduerſam. Aſſerit contra prædeſtinationem utiliter prædicari, vt homo non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. Quæ autem ab illis aduerſus prædeſtinationem obiectantur, eadem non abſimiliter vel aduerſus Dei præſcientiam, vel aduerſus gratiam illam, quam ad cætera bona (excepto initio fidei & perſeuerantiæ perfectione) neceſſariam eſſe conſentiunt, poſſe torqueri. Prædeſtinationem quippe ſanctorum nihil aliud eſſe quàm præſcientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur, quicumque liberantur. Verùm prædeſtinationem congrua ratione prædicari iubet, ac non eo modo vt apud imperitam multitudinem redargui ipſa ſua prædicatione videatur. Poſtremò illuſtriſsimum prædeſtinationis exemplum nobis poſitum ob oculos Dominum Ieſum commendat.

CA-

CAPUT I.

IAM de perſeuerantia diligentiùs diſputandum eſt. Nam & in priore libro cùm ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Aſſerimus ergò donum Dei eſſe perſeuerantiam qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto : finem autem dico quo vita iſta finitur, in qua tantummodò periculum eſt nè cadatur. Itaque vtrum quiſque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, in certum eſt. Si enim priuſquàm moriatur cadat, non perſeueraſſe vtique dicitur, & veriſimè dicitur. Quomodo ergò perſeuerantiam qui non perſeuerauerit, accepiſſe, vel habuiſſe dicendus eſt? Nam ſi habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinens fiat, ſi iuſtitiam ſimiliter, ſi patientiam, ſi ipſam fidem, rectè dicitur habuiſſe, & non habere. Continens enim fuit vel inſtus fuit, vel patiens vel fidelis fuit, quamdiu fuit : cum verò eſſe deſiſtit, non eſt quod fuit : qui vero non perſeuerauerit, quomodò perſeuerans fuit ; cùm perſeuerando quiſque ſe oſtendat perſeuerantem, quod iſte non fecit ? Sed nè quiſquam reluctetur, & dicat, ſi ex quo fidelis quiſque factus eſt, vixit verbi gratia, decem annos, & eorum medio tempore à fide lapſus eſt, nonne quinque annos perſeuerauit? Non contendo de verbis, ſi & illa perſeuerantia putatur eſſe dicenda tanquam temporis ſui: hanc certè de qua nunc agimus perſeuerantiam, qua in Chriſto perſeueratur vſque in finem, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, *qui* non *perſeuerauerit vſque in finem*; potiuſque hanc habuit vnius anni fidelis, & quantùm infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit ; quàm multorum annorum, ſi exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit.

CAPUT II.

QUo constituto videamus vtrùm hæc perseuerantia, de qua dictum est : *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, donum sit Dei. Quod si non sit, quomodò verum est quod Apostolus ait : *Vobis donatum est pro Christo, non solùm, vt credatis in eum, verumetiam, vt patiamini pro eo* ? Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterum ad finem : vtrumque tamen est Dei donum, quia vtrumque dictum est *esse donatum*, sicut & superius iam diximus. Quod enim est initium verius Christiano, quàm *credere in Christum*? Quis finis melior est quam *pati pro Christo* ? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscumque inuenta est contradictio, vt donum Dei non initium sed augmentum fidei diceretur ; cui opinioni donante Domino satis superque respondimus. Quid autem dici potest, cur perseuerantia vsque in finem non donetur in Christo, cui *donatur pati pro Christo*, aut, vt expressius eloquar, cui donatur mori pro Christo ? Nam & Petrus Apostolus donum Dei hoc esse demonstrans ; *Melius est*, inquit, *benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam malefacientes*. Cum dicit, *si velit voluntas Dei*, ostendit hoc diuinitus donari, nec omnibus sanctis vt pro Christo patiantur : neque enim quos non vult Deus peruenire ad experientiam gloriamque passionis, non perueniunt ad regnum Dei, *si perseuerauerint* in Christo *vsque in finem*. Sed quis dicat istis non donari perseuerantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunque casu moriuntur in Christo ; cùm longè difficilior donetur illis à quibus suscipitur, & mors ipsa pro Christo ? Multo quippe difficilius perseueratur, vbi hoc agit qui persequitur nè perseueretur, & propterea vsque ad mortem sustinetur, vt perseueretur. Illam proindè difficilius perseuerantiam, istam facilius est habere ; sed cui nihil difficile est, facile est vtramque donare. Hanc enim promisit Deus dicens : *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant*. Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit *timor meus* quem *dabo in cor eorum*, vt mihi perseueranter adhæreant ? Cur autem perseuerantia ista poscitur à Deo, si non

Matt. 10. 22.
Phil. 1. 29.
Hier. 32. 40.

non datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cùm id ab eo petitur quod ſcitur ipſum non dare; ſed ipſo non donante eſſe in hominis poteſtate: ſicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donauit ipſe, nec fecit? Sed quod ibi dixi, hoc & hic dico. *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur.* O homo non verborum tuorum tantum, verum- *Gal. 6. 7.*
etiam cogitationum tuarum teſtis eſt Deus; ſi aliquid à tanto diuite veraciter ac fideliter poſcis, ab illo à quo poſcis, te accipere crede quod poſcis. Noli eum *labijs honorare*, & ſuper eum corde te extollere, credens à teipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perſeuerantia iſta forte non poſcitur? iam hoc qui dicit, non meis diſputationibus refellendus, ſed ſanctorum orationibus reuocandus eſt. An verò quiſquam eorum eſt, qui non ſibi poſcat à Deo vt perſeueret in eo, cum ipſa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eandem Dominus docuit, quando oratur à ſanctis, nihil pœne aliud quam perſeuerantia poſci intelligatur? Legite aliquanto intentius eius expoſitionem in beati Cypriani Martyris libro, quem de hac re condidit, cuius eſt titulus. *De Dominica oratione*; & videte ante quot annos contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum. Nam tria ſunt, vt ſcitis, quæ maximè aduerſus eos Catholica defendit Eccleſia. Quorum eſt vnum, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; quoniam Dei donaſunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita vniuerſa iuſtorum. Alterum eſt in quantacunque iuſtitia ſine qualibuſcunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum; niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſaluatur. Horum trium hoc, quod loco vltimo poſui, ſolum non tractatur in ſupradicto glorioſi martyris libro. De duobus verò cæteris tanta illic perſpicuitate differitur, vt ſupradicti hæretici noui, inimici gratiæ Chriſti longè ante reperiantur conuicti eſſe quàm nati. In his ergo meritis ſanctorum, quæ nulla niſi Dei dona ſunt, etiam perſeuerantiam donum Dei eſſe ſic loquitur. *Dicimus*, inquit: *Sanctificetur nomen tuum; non quod optemus Deo vt ſanctificetur orationibus noſtris ſed quod petamus ab eo, vt nomen eius ſanctificetur in* *Matt. 6. 9.*
nobis.

Leu. 19. 2. *nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Et paulò post de hac ipsa re adhuc disputans, & docens nos perseuerantiam petere à Domino, quod nullo modo rectè, & veraciter faceret, nisi eius donum etiam hoc esset: Ioan. 5. 14. *hæc*, inquit, *sanctificatio, vt in nobis permaneat oramus, & quia Dominus, & iudex noster, sanato à se, & viuificato comminatur non delinquere, nè quid ei deterius fiat; hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus, & noctibus postulamus, vt sanctificatio, & viuificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur.* In sanctificatione igitur perseuerantiam, hoc est, vt in sanctificatione perseueremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cùm sanctificati dicimus, *Satificetur nomen tuum.* Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi vt id quoque nobis præstet, nè habere desinamus? Sicut ergò sanctus, cùm Deum rogat vt sanctus sit, id vtique rogat vt sanctus esse permaneat; ita vtique & castus, cùm rogat vt castus sit: continens, vt continens sit: iustus, vt iustus sit: pius, vt pius sit; & cætera, quæ contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt vt in eis perseuerent bonis, quæ se accepisse nouerunt. Quod si accipiunt, profectò, & ipsam perseuerantiam magnum Dei donum quo cætera dona eius conseruantur, Matth. 6. 10. accipiunt. Quid cùm dicimus, *Veniat regnum tuum*; num aliud poscimus, nisi vt veniat, & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergò & hi qui iam sancti sunt, quid orant, nisi vt in ea sanctitate quæ illis data est, perseuerent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non alijs, sed his *qui perseuerant vsque in finem*, certum est esse venturum.

CAPUT III.

Ibidem. TErtia petitio est, *Fiat voluntas tua in cœlo, & in terra*; vel, quod in plerisque codicibus legitur, magisque ab orantibus frequentatur, *sicut in cœlo, & in terra.* Quod plerique intelligunt, sicut Sancti Angeli faciunt, & nos faciamus voluntatem tuam. Vult autem

ille doctor, & martyr, cœlum & terram intelligi ſpiritum, & carnem, & hoc nos orare, vt voluntatem Dei re vtraque concordante faciamus. Vidit in his verbis, & alterum ſenſum ſaniſsimæ fidei congruentem, de quo iam ſupra loquuti ſumus: vt ſcilicet pro infidelibus qui ſunt adhuc terra terrenum tantum hominem prima natiuitate portantes, orare intelligantur fideles, qui cœleſti homine induti, non immeritò cœli nomine nuncupantur. Vbi euidenter oſtendit, & initium fidei eſſe donum Dei, quando non tantum pro fidelibus vt augeatur in eis vel perſeueret fides, verumetiam pro infidelibus vt habere incipiant eam, quam penitus non habebant, & contra quam corda inſuper inimica geſtabant, ſancta orat Eccleſia. Verùm nunc non de initio fidei, de quo in ſuperiori libro multa iam diximus; ſed de illa quæ habenda eſt vſque in finem perſeuerantia diſputamus, quam petunt vtique etiam ſancti qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione, *Fiat voluntas tua.* Cùm enim iam facta ſit in eis, cur vt fiat adhuc petunt, niſi vt perſeuerent in eo, quod eſſe cœperunt? Quamuis hic dici poſsint, non petere ſanctos, vt voluntas Dei fiat in cœlo, ſed vt fiat in terra ſicut in cœlo; vt terra ſcilicet imitetur cœlum, id eſt, vt homo Angelum, vel infidelis fidelem; ac per hoc id ſanctos poſcere, vt ſit quod nondum eſt, non vt perſeueret quod eſt. Quantalibet enim homines ſanctitate præpolleant, nondum ſunt æquales Angelis Dei, nondum ergo *ſicut in cœlo*, in eis fit voluntas Dei. Quod ſi ita eſt, in ea quidem parte qua optamus, vt homines ex infidelibus fiant fideles, non perſeuerantia, ſed initium videtur optari, in ea verò qua optamus, vt homines in facienda voluntate Dei æquentur Angelis Dei, cùm hoc orant ſancti, perſeuerantiam demonſtratur orare; quoniam nemo peruenit ad illam ſummam, quæ in regno eſt, beatitudinem, niſi in ea ſanctitate quam ſumpſit in terra, *perſeuerauerit vſque in finem.*

***

CA-

CAPUT IV.

Matth. 6. 11. QUarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Vbi Beatus Cyprianus ostendit quomodo, & hic intelligatur perseuerantia postulari: ait quippe inter cætera: *Hunc autem panem dari vobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Hæc verba sancti hominis Dei, perseuerantiam prorsus à Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, nè à Christi corpore separentur; sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum quo inde separari mereantur, crimen admittant.

CAPUT V.

Matth. 6. 12. QUinto orationis loco dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; in qua sola petitione non inuenitur posci perseuerantia. Præterita enim sunt peccata quæ nobis vt dimittantur oramus; perseuerantiam verò, quæ in æternum saluos facit, tempori quidem huius vitæ, non tamen peracto, sed ei quod vsque ad eius finem restat, est necessaria. Operæ pertium est tamen paulisper intueri, quomodo & in hac petitione iam tunc lingua Cypriani tanquam telo inuictissimæ veritatis longè postea futuri confodiebantur hæretici. Etiam hoc Pelagiani audent dicere, *hominem iustum in hac vita nullum habere omnino peccatum*, & in talibus hominibus esse iam in præ-
Eph. 5. 27 senti tempore *Ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid eiusmodi*, quæ vna, & sola Sponsa sit Christi; tanquam Sponsa eius non sit, quæ per vniuersam terram quod ab eo didicit, dicit, *Dimitte nobis debita nostra*. Sed attendite quomodò istos Glorioſissimus Cyprianus interimat. Cùm enim locum ipsum dominicæ orationis exponeret, ait inter cætera: *Quam necessariè autem, quam prouidenter, & salubriter admonemur quod*

peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur; vt dum indulgentia de Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur, & docetur ſe peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique, & Ioannes in Epiſtola ſua ponens dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt; & cætera quæ hic inſerere longum eſt. Iam vero cùm dicunt ſancti, *Nè nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo*; quid aliud quam vt in ſanctitate perſeuerent, precantur? Nam profectò conceſſo ſibi iſto Dei dono (quod eſſe Dei donum, cum ab illo poſcitur, ſatis apertèque monſtratur) iſto igitur conceſſo ſibi dono Dei, *nè inferantur in tentationem*, nemo ſanctorum eſt, qui non teneat vſque in finem perſeuerantiam ſanctitatis: neque enim quiſquam in propoſito Chriſtianitatis perſeuerare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergò concedatur ei quod orat, *vt non inferatur in tentationem*, in ſanctificatione vtique, quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.

CAPUT VI.

SED *nolunt* vt ſcribitis, *iſti fratres ita hanc perſeueran-* Matth. 6. 13.
tiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit. Vbi quid dicant parum diligenter attendunt: De illa enim perſeuerantia loquimur, qua perſeueratur vſque in finem; quæ ſi data eſt, perſeueratum eſt vſque in finem; ſi autem non eſt perſeueratum vſque in finem, non eſt data; quod iam & ſuperius ſatis egimus. Non itaque dicant homines perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeueraſſe, cui data eſt, repertus fuerit vſque in finem. Dicimus quippe caſtum, quem nouimus caſtum ſiue ſit, ſiue non ſit in eadem caſtitate manſurus; & ſi quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt, dicimus eum habere quamdiucunque habet; & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe. Perſeuerantiam verò vſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi *qui perſeuerauerit vſque in finem*; multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Neque enim

metuendum est, nè fortè cum perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, nè perseueret vsque in finem. Hoc ergò Dei donum suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque vsque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodò enim potest amitti, per quod fit vt non amittatur etiam quod posset amitti? Sed nè fortè dicatur, vsque in finem perseuerantiam non amitti quidem, quùm data fuerit, id est, quùm perseueratum fuerit vsque in finem; sed tunc amitti quodammodò, quando agit homo per contumaciam, vt ad eam peruenire non possit: sicut dicimus hominem *qui non perseuerauerit vsque in finem*, amisisse vitam æternam, vel regnum Dei; non quod iam acceperat & habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseuerasset: verborum controuersias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed haberi sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audet, vtrùm Deus dare non possit, quod à se posci imperauit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperauit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes; *Nè inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, quà possit vel dignus sit perseuerantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo. Quis hoc negauerit? Sed ideò petimus, *nè inferamur in tentationem*, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit vt fiat. Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergò est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur: *Deus tu conuertens viuificabis nos.* Non frustra dicitur; *Ne des ad mouendum pedem meum.* Non frustra dicitur; *Nè tradas me Domine à desiderio meo peccatori.* Postremò nè multa commemorem, cùm vobis plura fortasse occurrant, non frustra dicitur, *Nè nos inferas in tentationem.* Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur. *Vnusquisque enim tentatur*, vt scriptum est, *à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deus autem meminem tentat*, tentatione

Mat. 6. 13

Ps. 84. 7.
Ps. 65. 9.
Ps. 139. 9.

Iac. 1. 14. & 13.

ne scilicet noxià. Nam est & vtilis, quà non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundùm quod dictum est, *Proba me Domine & tenta me.* Illa ergò noxià tentatione, quam significat Apostolus, dicens, *Nè fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis sit labor noster*, Deus, vt dixi, *neminem tentat*, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationem. Nam tentari & in tentationem non inferri, non est malum, imò etiam bonum est; hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, *Nè nos inferas in tentationem*; quid dicimus, nisi, nè nos inferri sinas? Vnde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatus Cyprianus; *Nè patiaris nos induci in tentationem.* In Euangelio tamen Græco nusquam inueni, nisi, *Nè nos inferas in tentationem* Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cùm eundem locum orationis exponeret, ait post cætera: *Quando autem rogamus, nè in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ; dum sic rogamus, nè quis se insolenter extollat, nè quis sibi superbè arroganterque aliquid assumat, nè quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat; cum Dominus ipse humilitatem dicens, dixerit: Vigilate & orate, nè veniatis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Ps. 25. 2. *1. Thes. 3. 5.* *Mat. 26. 41.*

CAPUT VII.

SI ergò alia documenta non essent, hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat in homine antequàm caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantià quantùm valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente, *in veritate steterunt*, & ad se-

ſecuritatem perpetuam non cadendi, in quà nunc eos eſſe certiſsimi ſumus, peruenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam po-
Eph. 1. 11 ſuit *in* illo *quo ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur*; ac per hoc ſicut operatur vt accedamus, ſic operatur, nè diſcedamus. Prop-
Pſ. 79. 18 & 1. ter quod ei per Prophetam dictum eſt; *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi & non diſcedimus à te.* Iſte certè non eſt Adam primus, in quo diſceſsimus ab eo; ſed Adam nouiſsimus, ſuper quem fit manus eius, vt non diſcedamus ab eo. Chriſtus enim totus cum membris ſuis eſt propter Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, plenitudo eius. Cùm ergò fit ſuper eum manus Dei, vt non diſcedamus à Deo, ad nos vtique peruenit opus Dei. Hoc eſt enim manus Dei, quoniam opere Dei fit vt ſimus in Chriſto permanentes cum Deo, non ſicut in Adam diſcedentes à Deo. *In Chriſto* enim *ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur.* Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, vt non diſcedamus à Deo. Manus, inquam, eius eſt
Hier. 32. 40. iſta, qui dixit, *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant.* Propter quod & poſci à ſe voluit, *nè inferamur in tentationem*; quia ſi non inferamur, nulla ab eo ratione diſcedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi ab illo accipi-
* mus, à quo iuſſum eſt vt petamus? Prorſus in hac re non operoſas diſputotiones expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, vt increduli credant; Deus ergò conuertit eos ad fidem. Orat, vt credentes perſeuerent; Deus ergò donat perſeuerantiam vſque in finem: hæc Deus facturum ſe eſſe præſciuit. Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum, quos *elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi,*
Eph. 1. 4. & ſeq. *vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm placitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit eos in dilecto filio ſuo, in quo habent redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſsionem peccatorum ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in eos in omni ſapientia & prudentia, vt oſtenderet eis myſterium*

voluntatis ſuæ ſecundùm bonam voluntatem ſuam, quam proposuit in illo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris in ipſo, in quo etiam & ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur. Contra iſtam veritatis tam claram tubam, quis homo ſobriæ vigilantiſque fidei voces vllas admittat humanas?

CAPUT VIII.

SEd *cur*, inquit, *gratia Dei non ſecundùm merita hominum datur*? Reſpondeo, quoniam Deus miſericors eſt. *Cur ergò*, inquit, *non omnibus*? Et hic reſpondeo: Quoniam Deus iudex iuſtus eſt: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & iuſto eius in alijs iudicio demonſtratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque ſimus ingrati, quòd *ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ* tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione; vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus: *Ex vno* quippe omnes *in condemnationem* non iniuſtam iudicati ſunt ire, ſed iuſtam. Qui ergò liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam eſſe apud Deum iniquitas inuenitur. *Sed cur*, inquit, *non ſolùm in paruulorum, verùmetiam in geminorum vna atque eadem cauſa, tam diuerſum iudicium*? Nonne ſimilis quæſtio eſt, cur in diuerſa cauſa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios in vinea, qui tota die laborauerunt, & eos qui hora vna; nempe cauſa diuerſa eſt impenſi laboris; & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes à patrefamilias, niſi hoc *volo*? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla eſſet iniquitas. Et iſti quidem vtrique in bonis ſunt; veruntamen quantùm ad iuſtitiam ſpectat, & gratiam, poteſt & de reo qui liberatur rectè dici, *volo*; poteſt & de eo qui damnatur; *Tolle quod tuum eſt & vade*; *huic autem volo* quod non debetur *donare*. *An non licet mihi facere quod volo*? *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum*? Hic ille ſi dicat, cur non & mihi? Meritò audiet: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo*? Quem certè in vno veſtrum benigniſsimum largitorem, in

Mat. 20. 1 *& ſeq.*

Ibid. 14. *& 15.*

Rom. 9. 20.

in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum. Cùm enim iustus esset, etiamsi vtrumque puniret: qui liberatur, habet vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat. *Sed si iam*, inquit, *hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur ostenderet, atque ita grauiùs suam gratiam vasis misericordiæ commendaret; cur in eadem causa me potiùs quàm illum puniet, aut illum quàm me potiùs liberabit?* Hoc non dico, si quæris quare; quia fateor me non inuenire quid dicam. Si & hoc quæris quare, quia in hac re sicut iusta est ira eius; sicut magna est misericordia eius; ita *inscrutabilia iudicia eius.* Adhuc pergat & dicat, *cur quibusdam qui eum coluerunt bona fide, perseuerare vsque in finem non dedit?* Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit: *Ex*
1. Ioan 2. 19. *nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum? Nunquid ergò hominum naturæ duæ sunt?* Absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset; nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos certo numero sanctorum suorum; vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apostolus: *Qua-*
1. Cor. 10 12. *propter qui videtur stare, videat nè cadat.* Voluntate autem sua cadit, qui cadit; & voluntate Dei stat, qui stat;
Rom. 14. 4. *Potens est enim Deus statuere illum*: non ergò ipse seipsum, sed Deus. Veruntamen bonum est *non altum sapere, sed*
Rom. 11. 20. *timere.* In cogitatione autem sua vel cadit quisque vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memoraui: *Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quem secutus beatus Ambrosius audet & dicit: *Non enim in po-*
2. Cor. 3. 5. *testate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes*: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit. Hoc autem Ambrosius vt diceret in eo libro loquebatur quem de fuga seculi scripsit, docens, hoc seculum non corpore, sed corde esse fugiendum; quod nisi auxilio Dei fieri non posse disseruit. Ait enim: *Frequens nobis de fugiendo seculo isto est sermo, atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus: sed, quod*

 peius

peius est frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas euitare, hoc cogites animoque voluas : quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem quàm effectus, testatur Propheta dicendo : Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam : non enim in potestate nostra est cor nostrum & cogitationes nostrę quę improuisò effusæ mentem animumque confundant, atque aliò trahunt quàm tu proposueris ; ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo eleuare mentem paramus, inserti inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque deijcimur. Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines *potestatem filij Dei fieri.* Ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat *fidem, quę operetur, per dilectionem* ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseueranter vsque in finem proficiendum, *non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* ; in cuius *est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.*

Psal. 118. 36.

Ioan. 1. 12.

Gal. 5. 6.

2. Cor. 3. 5.

CAPUT IX.

EX duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur ille relinquatur ; & ex duobus ætate iam grandibus impijs cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur ; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, *inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur inscrutabiliora *sunt iudicia Dei.* Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. *Nam si fuissent ex nobis*, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansissent vtique nobiscum.* Quid est quæso, *non erant ex nobis ; nam si fuissent, mansissent vtique nobiscum* ? Nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, *Omnem flatum ego feci* ; vnius eiusdemque naturæ animas acceperant ? Nonne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti, vtrique ex im-

1. Ioan. 2. 19.

Es. 57. 16.

impijs iuſtificati, & per *lauacrum regenerationis* vtrique renouati? Sed ſi hæc audiret ille qui ſciebat proculdubiò quod dicebat, reſpondere poſſet & dicere; Vera ſunt hæc, ſecundùm hæc omnia *ex nobis erant*, verùmtamen ſecundùm aliam quandam diſcretionem *non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei non auertamus aſpectum. Clamat ſcriptura diuina, adhibeamus auditum, *Non erant ex eis*, quia non *erant ſecundùm propoſitum vocati*; non erant *in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi*: non erant *in eo ſortem conſecuti*; non erant *prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur.* Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. Vt enim non dicam, quàm ſit poſſibile Deo, auerſas & aduerſas in fidem ſuam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduerſitatibus cedant, nec ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant; cùm poſsit & quod ait Apoſtolus facere, *vt non eos permittat tentari ſuper id quod poſſunt.* 1. *Cor.* 10. 13. Vt ergò id non dicam, certè poterat illos Deus præſciens eſſe lapſuros, antequàm id fieret, auferre de hac vita. An eò redituri ſumus, vt adhuc diſputemus, quanta abſurditate dicatur, iudicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præſciuit eos Deus perpetraturos fuiſſe, ſi viuerent? Quod ita abhorret à ſenſibus Chriſtianis, aut prorſus humanis, vt id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur & ipſum Euangelium cum tanto labore, paſſionibuſque ſanctorum fruſtra eſſe prædicatum, vel adhuc etiam prædicari; ſi iudicari poterant homines, etiam non audito Euangelio ſecundùm contumaciam vel obedientiam, quam præſciuit Deus eos habituros fuiſſe, ſi audiſſent? Nec damnarentur Tyrus & Sydon, quamuis remiſsius, quàm illæ ciuitates, in quibus non credentibus, à Domino Chriſto mirabilia ſigna ſunt facta; quoniam ſi apud illas facta eſſent, *in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*; ſicut ſe habent eloquia veritatis, in quibus verbis ſuis Dominus Ieſus altiùs nobis myſterium prædeſtinationis oſtendit. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta ſint, qui videntes ea non fuerant credituri, & apud eos facta non ſint, qui crederent ſi viderent; quid reſpondebimus? Nunquid dicturi ſumus, quod in libro illo dixi, vbi ſex quibuſdam quæſtionibus Paga-

Luc. 10. 13. *Matt* 11. 26.

norum, sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudentes possunt inuestigare, respondi. Hoc quippe vt scitis, cùm Christus quare post tam longa tempora venerit, quæreretur: dixi *quod in his temporibus & his locis quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt.* Item paulò post in eodem libro, atque in eadem quæstione: *Quid mirum, inquam, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* Hæc certè de Tyro & Sydone non possumus dicere, & in eis cognoscimus, ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio, tunc ista respondere me dixi. Facile est quippe vt infidelitatem accusemus Indæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit & dicit; *Væ tibi Corozaim & Bethsaida; quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Sed nunquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus atteſtetur quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum. Et tamen in die iudicij punientur, quamuis minori supplicio quàm illæ ciuitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: *Verùntamen dico vobis; Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* Seuerius ergò punientur isti, illi *remissius*; sed tamen punientur. Porrò si etiam secundùm facta quæ facturi essent si viuerent, mortui iudicantur; profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Euangelium prædicatum, non sunt vtique puniendi. Punientur autem: Falsum est igitur, & secundùm ea mortuos iudicari, quæ facturi essent si ad eos viuentes Euangelium peruenisset. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus, qui pereunt sine baptismate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præsciuit eos Deus, si viuerent, prædicatumque illis fuisset Euangelium, infideliter audituros.

Matt. 11. 21. *Luc.* 10. 13.

Matt. 11. 22. *Luc.* 10. 14.

Restat

Reſtat igitur vt ſolo peccato originali teneantur obſtricti, & propter hoc ſolum eant in damnationem; quoniam videmus alijs eandem habentibus cauſam, non niſi per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari; & eius occulto, iuſto tamen iudicio, quoniam *non eſt iniquitas apud Deum*, quoſdam etiam poſt baptiſmum peſſimè viuendo perituros, in hac tamen vita quouſque pereant detineri, qui non perirent, ſi eis corporis mors lapſum eorum præueniens ſubueniret; quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus; alioquin Tyrij & Sidonij, non ſecundùm ea quæ geſſerunt pœnas luerent, ſed potiùs ſecundùm ea quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Euangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam, & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem.

Roman. 9. 41.

CAPUT X.

QUidam diſputator Catholicus non ignobilis hunc Euangelij locum ſic expoſuit, vt diceret, præſciſſe Dominum Tyrios, & Sidonios à fide fuiſſe poſtea receſſuros, cùm factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordia potius non cum illic iſta feciſſe; quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierent, ſi fidem quam tenuerant, reliquiſſent, quam ſi eam nullo tempore tenuiſſent. In quà ſententia docti hominis, & admodùm acuti, quæ ſint adhuc merito requirenda, quid me nunc attinet dicere, cùm & ipſa nobis ad id quod agimus ſuffragetur? Si enim miſeratione Dominus non fecit in iſtis virtutes, per quas fieri poſſent fideles, nè grauius punirentur cùm poſtea fierent infideles, quod eos futuros fuiſſe præſciuit; ſatis aperteque demonſtratur de his peccatis neminem iudicari mortuorum, quæ præſciuit fuiſſe facturum, ſi aliquo modo ei ne illa faciat ſubuenitur: ſicut Tyrijs, & Sidonijs, ſi ſententia illa vera eſt, ſubueniſſe dicitur Chriſtus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm ſcelere multo grauiore diſcedere à fide, quod eos ſi acceſsiſſent, præuiderat fuiſſe facturos. Quamuis ſi dicatur, cur non factum eſt vt crederent potius, & hoc eis præſtaretur, vt antequam fidem relinquerent, ex hac vita migrarent; quid reſponderi poſsit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficium fuiſſe conceſſum, nè habere inciperent quod

gra-

grauiore impietate defecerent, satis indicat non iudicari hominem ex eo, quod prænoscitur malè fuisse facturus, si ei quocunque beneficio vt id non faciat, consulatur. Consultum est igitur, & illi, qui *raptus est*, *nè malitia mutaret intellectum eius.* Sed cur non ita consultum fuerit Tyrijs ac Sydonijs vt crederent, & raperentur, *nè malitia mutaret intellectum eorum*; forsitan responderet ille, cui placuit isto modo hanc soluere quæstionem. Ego vero, quantum ad hoc quod ago attinet, sufficere video, vt secundùm istam quoque sententiam, demonstrentur homines non iudicari de his quæ non fecerunt, etiam si facturi fuisse præuisi sunt. Quanquam, vt dixi, hanc opinionem qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse si viuerent, etiam refellere pudeat, nè videamur, & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputatione cohibere, quam silentio præterire. *Sap. 4. 11.*

CAPUT XI.

PRoinde sicut Apostolus ait: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui & paruulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subuenit, quos *ante constitutionem mundi elegit in Christo* daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus; & maioribus etiam his quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed iustè aliud iudicauit: *non* enim *est iniquitas apud Deum*, sed *inscrutabilia sunt iudicia eius*, & *inuestigabiles viæ eius*: *Vniuersæ* autem *viæ Domini misericordia*, & *veritas. Inuestigabilis* ergo est *misericordia*, qua *cuius vult miseretur*, nullis eius præcedentibus meritis; & *inuestigabilis veritas*, qua, *quem vult obdurat*, eius quidem præcedentibus meritis; sed cum eo *cuius miseretur* plerunque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. *Nunquid* enim *iniquitas est apud Deum? Absit.* Sed *inuesti-*

Rom. 9. 16.

Rom. 14. 33. & 11. Ibidem. Psalm. 24 10.

Rom 9. 18.

Rom. 9. 14.

ſtigabiles ſunt viæ ipſius. Itaque *miſericordiam* eius in his qui liberantur, & *veritatem* in his qui puniuntur, ſine dubitatione credamus; neque *inſcrutabilia* ſcrutari, neque *inueſtigabilia* veſtigare conemur. *Ex ore* quippe *infantium, & lactantium* ſuam *perfecit laudem*; vt quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt; & in his quorum damnationem vtriſque communia originalia ſola præcedunt; hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id eſt, non putantes, vel ſecundùm ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quenquam puniri, ſiue pares qui liberantur atque puniuntur, ſiue diſpares habeant cauſas malas; vt *qui videtur ſtare, videat ne cadat, & qui gloriatur*, non in ſemetipſo, ſed *in Domino glorietur.* Cur autem *cauſam paruulorum ad exemplum maiorum*, ſicut ſcribitis *non patiuntur afferri homines*, qui contra Pelagianos non dubitant eſſe peccatum originale, quod *per vnum hominem intrauit in mundum, & ex vno* omnes iſſe *in condemnationem*? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non ſolùm omnes veteris inſtrumenti ſcripturas in vlla authoritate non habent, verùmetiam eas quæ ad nouum pertinent teſtamentum ſic accipiunt, vt ſuo quodam priuilegio, imò ſacrilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt reijciant. Contra quos agebam in libris de Libero Arbitrio, vnde iſti nobis præſcribendum putant. Ideò quæſtiones operoſiſsimas incidentes enucleatè ſoluere nolui, nè nimium longum opus eſſet, vbi me aduerſus tam peruerſos teſtimoniorum diuinorum non adiuuabat authoritas. Et poteram, ſicut fecit, quodlibet horum verum eſſet, quæ non definitè interponebam, certa tamen ratione concludere, in omnibus Deum eſſe laudandum, ſine vlla neceſsitate credendi duas, ſicut illi volunt, coæternas boni, & mali permixtas eſſe ſubſtantias. Denique in primo Retractationum libro, quod opus meum nondum legiſtis, cum ad eoſdem libros retractandos veniſſem, hoc eſt, de Libero Arbitrio, ita loquutus ſum. *In his, inquam, libris ita multa differta ſunt, vt incidentes nonnullas quæſtiones, quas vel enodare non poteram, vel longam ſermocinationem in præſenti requirebant, ita differrentur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæſtionum partibus, in quibus non apparebat quid potiùs congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio noſtra con-*

Pſal. 8. 3.

2. Cor. 10. 12.

Ibid. 1. 13

Roman. 5. 12. & 16.

clu-

cluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt, eo modo volentes secundùm suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere naturam mali. Item post aliquanta alio loco, *Deinde dictum est, inquam, ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta liberet Dei gratiam, quia homo sponte, id est, libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere; ad quam miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum; quamuis ignorantia, & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio disputauimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris testamenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quicquid inde in literis Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt à corruptoribus Scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod vtraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur.* Hæc dixi in primo libro Retractationum, quum retractarem libros de Libero Arbitrio. Nec sola sane ista ibi à me dicta sunt de his libris, verùm & alia multa, quæ huic ad vos operi inserere, longum putaui, & non necessarium, quod & vos existimo esse iudicaturos, cùm omnia legeritis. Quamuis ergò in libro tertio de Libero Arbitrio, ita de paruulis disputauerim, vt etiam si verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet, & mali, coæternas esse naturas: nunquid ideò fides in dubium vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cuius reatus generatione contractus, regeneratione soluendus est? Quod si & isti fatentur nobiscum, vt simul in hac causa

Pe-

Pelagianorum deſtruamus errorem; cur putant eſſe dubitandum, quod etiam paruulos Deus, quibus dat ſuam
Col. 1. 13. gratiam per baptiſmatis Sacramentum, *eruat de poteſtate*
Pſal. 100. *tenebrarum, & transferat in regnum filij charitatis ſuæ?*
3. In eo ergò quod alijs eam dat, alijs non dat, cur nolunt
Rom. 11. *cantare Domino miſericordiam, & iudicium?* Cur autem
34. illis potiùs quam illis detur, *quis cognouit ſenſum Domini?* Quis *inſcrutabilia* ſcrutari valeat? Quis *inueſtigabilia veſtigare?*

CAPUT XII.

Eph. 1. 5. COnficitur itaque gratiam Dei non ſecundùm merita
& 6. accipientium dari, ſed *ſecundùm placitum voluntatis*
1. *Cor.* 1. *eius, in laudem & gloriam* ipſius *gratiæ eius, vt qui*
31. *gloriatur*, nullo modo in ſe ipſo, ſed *in Domino glorietur*: qui hominibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt; quod & ſi non det, iuſtus eſt: & non dat quibus non vult, *vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa*
Rom. 9. 23. *miſericordiæ.* Dando enim quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur oſtendit. Bonus in beneficio certorum, iuſtus in ſupplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quoniam bonum eſt, cùm debitum redditur; & iuſtus in omnibus, quoniam iuſtum eſt cùm debitum ſine cuiuſquam fraude donetur. Defenditur autem ſine meritis Dei gratia, id eſt, vera gratia, etiam ſi paruuli baptizati, ſicut Pelagiani ſentiunt, non *eruuntur de poteſtate tenebrarum*; quia nulli peccato ſicut putant, tenentur obnoxij, ſed tantùm in regnum Domini tranferuntur; etiam ſic enim ſine vllis bonis meritis datur eis regnum quibus datur, & ſine vllis malis meritis non datur eis, quibus non datur. Quod aduerſus eoſdem Pelagianos dicere ſolemus, quando nobis obijciunt, quod fato tribuamus Dei gratiam, dicendo eam non ſecundùm merita noſtra dari: Ipſe enim potiùs Dei gratiam fato in paruulis tribuunt, qui dicunt *fatum eſſe, vbi meritum non eſt.* Nulla quippe merita, etiam ſecundùm ipſos Pelagianos, poſſunt in paruulis inueniri, cur alij eorum mittantur in regnum, alij vero alienentur à regno. Sicut autem nunc vt oſtenderem gratiam

Dei non ſecundùm merita noſtra dari, ſecundùm vtrumque ſenſum hoc defendere malui; & ſecundùm noſtrum ſcilicet, qui obſtrictos originali peccato paruulos dicimus; & ſecundùm Pelagianorum, qui originale negant eſſe peccatum: nec tamen ideò mihi eſt ambigendum, habere paruulos quod eis dimittat, qui *ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum*: ita & in tertio libro de Libero Arbitrio ſecundùm vtrumque ſenſum reſtiti Manichæis, ſiue ſupplicia ſiue primordia naturæ ſint ignorantia, & difficultas, ſine quibus nullus hominum naſcitur; & tamen vnum horum teneo. Ibi quoque à me ſatis euidenter expreſſum eſt, quod non ſit iſta natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Fruſtra itaque mihi de illius libri mei vetuſtate præſcribitur, ne agam cauſam ſicut debeo agere paruulorum, & inde gratiam Dei non ſecundùm merita hominum dari, perſpicuæ veritatis luce conuincam. Si enim quando libros de Libero Arbitrio laicus Romæ cœpi, & in Africa Presbyter explicaui, adhuc de damnatione infantium non renaſcentium, & de renaſcentium liberatione dubitarem; nemo, vt opinor, eſſet tam iniuſtus atque inuidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe iudicaret. Cùm vero rectiùs poſsit intelligi, non me propterea de hac re dubitaſſe credi oportere; quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, vt ſiue pœna eſſet peccati originalis in paruulis, quod veritas habet; ſiue non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur: abſit vt cauſam paruulorum ſic relinquamus, vt eſſe nobis dicamus incertum, vtrùm in Chriſto regenerati, ſi moriantur paruuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam; quoniam quod ſcriptum eſt: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines tranſiit*; aliter rectè intelligi non poteſt; nec à morte perpetua, quæ iuſtiſsimè eſt tributa peccato, liberat quemquam puſillorum atque magnorum, niſi ille qui propter remittenda, & originalia, & propria noſtra peccata mortuus eſt, ſine vllo ſuo originali propriove peccato. Sed quare illos potiùs quam illos? Iterùm atque iterùm dicimus, nec nos piget:

Matth. 1. 21.

Rom. 5. 12.

Rom. 9. 20. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt*
Rom. 11. 33. *iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Et hoc adijcia-
Eccl. 3. 22 mus: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Videtisne charissimi quam sit absurdum, & à fidei sanitate atque sinceritate veritatis alienum, vt dicamus paruulos mortuos secundùm ea iudicari, quæ præsciti sunt facturi esse si viuerent? In hanc autem sententiam, quam certè omnis sensus humanus quantulacunque ratione subnixus, maximèque Christianus exhorret, ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerunt, vt tamen *gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, qua nobis vna post lapsum primi hominis, in quo omnes cecidimus, subuenitur, *secundùm merita nostra dari* sibi adhuc existiment esse credendum, & disputatione in super proferendum. Quod ipse Pelagius ante Orientales Episcopos iudices, damnationis suæ timore damnauit. Hoc autem si non dicatur de mortuorum scilicet operibus quæ facturi erant si viuerent bonis aut malis, ac per hoc nullis, & in ipsa Dei præscientia non futuris: hoc ergò si non dicatur, quod cernitis quanto errore dicatur; quid restabit, nisi vt gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quod contra hæresim Pelagianam Catholica defendit Ecclesia, remota contentionis caligine fateamur, atque id maximè in paruulis euidentiore veritate cernamus? Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire, cùm sit vtriusque causa communis; aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ, quandoquidem *nec passer cadit in terram* sine voluntate *patris*
Matt. 10. 29. *nostri qui in cælis est*; aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quod paruuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia; tanquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria de quibus nascerentur, elegerint, quid dicam, quod paruulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, vt daretur. Quid est, quod aliquando paruulis infidelium fi-

lijs potuit, nè irent in perditionem, & filijs fidelium non potuit baptiſmate ſubueniri? Vbi certè oſtenditur, quod *perſonarum apud Deum non ſit acceptio*; alioquin cultorum ſuorum potiùs, quam inimicorum filios liberaret. Rom. 2. 11.

CAPUT XIII.

IAm verò quoniam de Bono Perſeuerantiæ nunc agimus; quid eſt quod morituro non baptizato ſubuenitur, nè ſine baptiſmate moriatur, & baptizato caſuro non ſubuenitur, vt ante moriatur? Niſi forte illi adhuc abſurditati auſcultabimus, qua dicitur nihil prodeſſe cuiquam mori antequam cadat, quia ſecundùm eos actus iudicabitur, quos eum præſciuit Deus acturum fuiſſe ſi viueret. Hanc peruerſitatem ſanitati fidei tam vehementer aduerſam, quis patienter audiat, quis ferat? Et tamen hoc dicere vrgentur, qui non fatentur gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari. Qui autem nolunt dicere vnumquemque mortuorum ſecundùm ea iudicari, quæ Deus illum præſciuit acturum fuiſſe ſi viueret, intuentes quam manifeſta falſitate, & quanta abſurditate dicatur; non eis remanet cur dicant, quod in Pelagianis damnauit; & ab ipſo Pelagio damnari fecit Eccleſia, *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*; cùm videant allios paruulos non regeneratos ad æternam mortem, alios autem regeneratos ad æternam vitam tolli de hac vita; ipſos quoque regeneratos, alios perſeuerantes vſque in finem hinc ire, alios quamque decidant hic teneri, qui vtique non decidiſſent, ſi antequam laberentur, hinc exiſſent: & rurſus quoſdam lapſos quouſque redeant non exire de hac vita, qui vtique perirent, ſi antequam redirent, exirent. Vnde ſatis dilucidè oſtenditur: & inchoandi, & vſque in finem perſeuerandi gratiam Dei, non ſecundùm merita noſtra dari; ſed donari ſecundùm ipſius ſecretiſsimam eandemque iuſtiſsimam, beneficentiſsimam, ſapientiſsimam voluntatem: quoniam *quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit* vocatione illâ, de quâ dictum eſt; *Sine pœnitentia dona ſunt & vocatio Dei*: ad quam vocationem pertinere nul- Rom. 8. 30. Rom. 11. 29.

nullus est homo ab omnibus certa asseueratione dicendus, nisi cùm de hoc seculo exierit; In hac autem *vita humana* quæ *tentatio est super terram, qui videtur stare videat nè cadat.* Ideò quippè (sicut iam supra diximus) non perseueraturi perseueraturis prouidentissimà Dei voluntate miscentur, vt esse discamus *non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, & *cum timore & tremore nostram* ipsorum *salutem operemur. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Nos ergò volumus, sed *Deus in nobis operatur & velle*; nos ergò operamur, sed *Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, *non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes*: Vnde idem qui hoc ait, idem dicit Ambrosius, *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine diuino auxilio, qui fieri potest? nullo profectò modo. Denique,* inquit, *supra eadem scriptura dicit, Beatus vir cuius est auxilium eius abs te Domine, ascensus in corde eius.* Hoc vtique vt diceret, non solùm in literis sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quòd ergò in sacramentis fidelium dicitur, vt *sursum corda habeamus ad Dominum*, munus est Domini; de quo munere ipsi *Domino Deo nostro gratias agere*, à Sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur, admonentur; & *dignum & iustum esse* respondent. Cùm enim *non sit in nostra potestate cor nostrum*, sed diuino subleuetur auxilio, vt ascendat, & *quæ sursum sunt sapiat, vbi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super terram*; cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti *Domino Deo nostro*, qui *nos* per tale beneficium liberando, de profundo huius mundi *elegit, & prædestinauit ante constitutionem mundi?*

Iob 7. 1. 1. Cor. 10. 12.

Rom. 12. 16.

Phil. 2. 12

Ibid. 13.

2. Cor. 3. 5

Psal. 83. 6

Coloss. 3. 1. & 2.

****

CAP.

CAPUT XIV.

SEd aiunt *prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersam.* Quasi verò aduersata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium in fide, & veritate prædestinationem toties commendauit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit: *Deus est qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate sua*; Ideò non ipse, & vt velimus, quæ Deo placeant, & vt operemur, hortatus est? aut quia dixit; *Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu*; ideò vt inciperent homines & perseuerarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit, vt crederent, atque ait, *Creditis in Deum, & in me credite*; nec tamen ideò eius falsa sententia est, nec vana definitio vbi ait, *Nemo venit ad me*, id est, nemo credit in me, *nisi fuerit ei datum à patre meo.* Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideò vana est illa præceptio. Cur ergò prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura diuina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura diuina? An quisquam dicere audebit Deum non præsciisse, quibus esset daturus vt crederent? Aut quos daturus esset filio suo, vt *ex eis non perderet quemquam*? Quæ vtique si præsciuit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sydonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore iudicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel facta, per quæ possent credere, si audirent vti-

Phil. 2. 13.

Phil. 1. 6.

Ioan 14. 1

Ioan. 6. 66

Ioan. 18.

que

que talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Euangelium dicens:

Ioan. 12. 37. & seq. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, vt sermo Esaiæ Prophetę impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Et ideò non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit*

Esai. 53. 1. Esai. 6. 10 *cor illorum, vt non videant oculis, nec intelligant corde & conuertantur, & sanem illos.* Non erant ergò sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa, vidissent; sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius *inscrutabilia sunt iu-*

Rom. 11. 33. *dicia, & inuestigabiles viæ*; nec istis ob fuisset quod *non poterant credere*, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis *cor lapideum* vellet auferre. Verùm quod dixit Dominus de Tyrijs & Sydonijs, aliquo alio modo potest fortasis intelligi; neminem tamen venire ad Christum, *nisi cui fuerit datum*, & eis dari qui *in illo electi sunt ante constitutionem mundi*, proculdubiò confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium diuinum auribus carnis auditur: & tamen hæc prædestinatio quæ satis apertè etiam verbis Euangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò ante commemoraui: *Creditis in*

Ioan. 14. 1 Luc. 18. 1 Mat. 13. 11. *Deum, & in me credite*: & propter perseuerandum, *Oportet semper orare, & non deficere.* Audiunt enim hæc & faciunt quibus datum est, non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus *non datum est. Quia vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum*: quorum alterum ad *misericordiam*,

Ps. 100. 1 alterum ad *iudicium* pertinet illius, cui dicit anima nostra; *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseuerantis & proficientis, vt quod oportet audiant. Et *quibus datum est* vt obediant. *Quomodò*

Rom. 10. 14. *enim audient sine prædicante?* Nec rursus prædicatione fidei proficientis & vsque ad vltimum permanentis, impedienda est prædicatio prædestinationis, vt qui fideliter & obedienter viuit non de ipsa obedientia tanquam de suo

non

non accepto bono extollatur, sed *qui gloriatur; in Domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quandò nostrum nihil sit.* Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fidentissimè definiuit, per quod vtique prædestinationem certissimam pronunciauit. Nam si *in nullo gloriandum est, quandò nostrum nihil sit*, profectò nec de obedientia perseuerantissima gloriandum est. Nec ita nostra, tanquàm non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de quà dictum est, *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*, omni Christiano confitente præsciuit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus. Nec tamen idem doctor & factor, qui & in Christum credidit, & in sancta obedientia vsque ad passionem pro Christo perseuerantissimè vixit, ideò cessauit prædicare Euangelium, exhortari ad fidem piosque mores, atque ad ipsam vsque in finem perseuerantiam; quoniam dixit *in nullo gloriandum, quandò nostrum nihil sit*; vbi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sine vlla ambiguitate declarauit; quam se daturum quoniam præsciuit Deus, his Cypriani verbis proculdubiò prædestinatio prædicata est; quæ si Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos vtique debet prohibere. Quamuis ergò dicamus Dei donum esse obedientiam; tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt donum Dei *datum est*, hoc est obedienter audire; *illis autem* qui non sic audiunt, *non est datum*. Non enim quicunque, sed Christus, *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo*. Et, *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum*. Et de continentia, *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*. Et cùm Apostolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur, *Vellem*, inquit, *omnes homines esse sicut me ipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*. Vbi satis ostendit non tantùm continentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem. Quæ cùm vera sint, hortamur ad hoc quantùm cuique nostrum datum est vt possit hortari, quia & hoc eius donum est, in cuius manu sunt, & nos, & sermones nostri. Vnde & Apostolus, *Secundùm gratiam*, inquit, *quæ data est mihi, vt sapiens architectus fun-*

1. Cor. 1. 31. Ier. 9. 23. & 24. Rom. 11. 29. Ioan. 6. 66. Mat. 13. 11. Mat 19. 11. 1. Cor. 7. 7. 1. Cor. 3. 10.

fundamentum posui: & alio loco, *Vnicuique*, inquit, *sicut*
Ibid. 5. 6. & 7. *Dominus dedit, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum; ita exhortantem atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc est, quod Dominus quum eis loqueretur, qui carnis au-
Luc. 8. 8. res apertas haberent, dicebat tamen: *Qui habet aures audiendi, audiat*, quas non omnes habere proculdubiò nouerat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipse Dominus ostendit, vbi ait, *Dabo eis cor cognoscendi me &*
Bar. 2. 31. *aures audientes. Aures* ergò *audiendi*, ipsum est donum obediendi, vt qui id haberent venirent ad eum, ad quem *nemo venit, nisi fuerit ei datum à patre* ipsius. Exhortamur ergò atque prædicamus; sed *qui habent aures audiendi*, obedienter nos audiunt; qui verò eas non habent, fit in
Matt. 13. 13. eis quod scriptum est, *vt audientes non audiant*; audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant *aures audiendi*, illi non habeant; hoc est, cur illis *datum sit à patre* vt veniant ad filium,
Rom. 11. 34. *illis autem non sit datum, quis cognouit sensum Domini, aut*
Rom. 9. 20. *quis eius consiliarius fuit?* Aut *tu quis es homo, qui respondeas Deo?* Nunquid ideò negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus inuenire?

CAPUT XV.

SEd aiunt, vt scribitis, *neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in Conuentu Ecclesiæ audientibus multis, Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia maneatis in fide; cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia nec dùm vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Verùntamen si qui estis nec dùm vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis*

electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis; Ista cùm dicuntur ita nos à confitenda Dei vera gratia, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & à confitenda secundùm eam prædestinatione sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat; *Siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos.* Nunquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem *post concupiscentias suas eant*, propterea de præscientia Dei falsum putandum esse quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro Monasterio qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: *Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præsciuit*, qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed vsque adeò profecit in malum, vt deserta monasterij societate fieret canis reuersus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergò propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda; tunc scilicet quando si non dicantur, in alios itur errores? *Eccl. 18. 30.*

CAPUT XVI.

SUnt etiam qui propterea vel non orant, vel frigidè orant; quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit priusquàm petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? Imò cùm constet Deum, alia etiam non orantibus; sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam: profectò qui ex seipso hanc se habere putat, non orat vt habeat. Cauendum est igitur, ne dum timemus, nè tepescat hortario, extinguatur oratio accendatur elatio. Dicatur ergò verum, maximè vbi aliqua *Mat. 6. 8.*

quæ-

quæstio, vt dicatur impellit, & capiant qui possunt; nè fortè cùm tacetur propter eos qui capere non possunt, non solùm veritate fraudentur, verùmetiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas, possunt. Facile est enim, imò & vtile, vt taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam vnde est illud Domini, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò.* Et illud Apostoli, *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis?* Quamuis modo quodam dicendi fieri possit, vt id quod dicitur, & *paruulis lac*, & grandibus *esca* sit. Sicut, *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; quis Christianus tacere potest? quis capere? aut quid in doctrina sana potest inueniri grandius? Quod tamen & paruulis non tacetur, & nec grandibus nec paruulis occultatur. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere; quarum tamen est & hæc vna, nè peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest: nobis autem tacentibus, ille qui potest; quid putamus esse faciendum? Nonne potiùs est dicendum verum, vt *qui potest capere capiat*, quam tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verùmetiam qui est intelligentior, ipse sit peior? Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quo enim est capacior vt discat, eò magis est idoneus vt alios doceat. Instat inimicus gratiæ atque vrget, modis omnibus, vt credatur *secundùm merita nostra dari*, ac sic *gratia iam non sit gratia*. Et nos nolumus dicere, quod teste scriptura possumus dicere: timemus enim videlicet, nè loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere, & non timemus nè tacentibus nobis qui veritatem potest capere, falsitate capiatur? Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodùm eam sancta scriptura euidenter eloquitur, vt in prædestinatis *sine pœnitentia sint dona, & vocatio Dei*: aut *gratiam Dei secundùm nostra dari merita* confitendum, quod

Ioan. 16. 12.
1. Cor. 3. 1 & 2.
Ioan. 1. 1.
Rom. 11. 6.
Rom. 11. 29.

ſapiunt Pelagiani, quamuis iſta ſententia, quod ſæpè iam diximus, legatur in geſtis Epiſcoporum Orientalium etiam ipſius Pelagij ore damnata. A Pelagianorum porrò hæretica peruerſitate tantùm iſti remoti ſunt, propter quos hæc agimus, vt licet nondùm velint fateri prædeſtinatos eſſe, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant; iam tamen fateantur quod eorum præueniat voluntatem quibus datur hæc gratia. Ideò vtique, nè non gratis dari credatur gratia, ſicut veritas loquitur, ſed potiùs ſecundùm præcedentis merita voluntatis, ſicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur. Præuenit ergò & fidem gratia, alioquin ſi fides eam præuenit, proculdubiò præuenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem gratia præuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem, profectò præuenit omnem obedientiam, præuenit etiam charitatem, qua vna Deo veraciter & ſuauiter obeditur, & hæc omnia gratia, in eo cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur.

CAPUT XVII.

REſtat in his bonis vſque in finem perſeuerantia, quæ fruſtra quotidie à Domino poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo, cuius orationem exaudit, operatur. Videte iam à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ; cùm vitæ huic quando voluerit ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem *perſeuerare vſque in finem*. Sed mirabilior, & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei eſt, quòd etiam paruulis quibus obedientia non eſt illius ætatis vt detur, datur hæc gratia. Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, proculdubiò donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit. *Quos* ergò *prædeſtinauit, ipſos & vocauit* vocatione illa, quam me ſæpè commemorare non piget: de quâ dictum eſt, *Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei*. Nam in ſua quæ falli mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Sicut autem ille quem caſtum futurum eſſe præſciuit, quamuis id incertum habeat, agit vt caſtus ſit: ita ille quem caſtum fu-

Rom. 8. 30. *Rom.* 11. 29.

futurum prædestinauit, quamuis id incertum habeat, non ideò non agit vt castus sit, quoniam Dei dono, se audit futurum esse quod quærit, imò etiam gaudet eius *charitas, nec inflatur*, tanquam id non acceperit. Non solùm ergò prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verùm ad hoc adiuuatur, vt cùm *gloriatur*, *in Domino glorietur*. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseuerantia, & nè pergam per singula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Sed ij qui solùm initium fidei, & vsque in finem perseuerantiam sic in nostra constituunt potestate, vt Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes, & voluntates, cætera vero ipsum dare concedunt, cùm ab illo impetrantur credentis fide, cur ad ipsa cætera exhortationem eorum cæterorumque prædicationem definitione prædestinationis, non metuunt impediri? An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergò nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescisse. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit; profectò prædestinauit. Sicut ergo ipsi hortantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cætera quæ Dei dona esse confitentur, eaque ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare non possunt, nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei, hoc est, prædicatione de his donis eius futuris præscientiæ Dei; sic videant nec ad fidem, nec ad perseuerantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa, quod verum est, esse Dei dona eaque præcognita, id est, ad donandum prædestinata esse dicantur; sed impediri potius atque subuerti hac prædestinationis prædicatione illum tantummodo pernicioſissimum errorem, quo dicitur *gratia Dei secundùm merita nostra dari; vt qui gloriatur*, non *in Domino*, sed in seipso *glorietur*. Quod vt apertiùs propter tardiusculos explicemus, rememorationem meam ferant, quibus ingenio præuolare donatum est. Dicit Apostolus Iacobus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Scriptum est, & in prouerbijs Salomonis, *Quoniam Dominus dat sapientiam*. Et de continentia legitur in libro Sapientiæ, cuius authoritate vsi sunt magni, & docti viri, qui longe an-

1. *Cor.* 13. 4.

1. *Cor.* 1. 31.

Iacob. 1. 5.

Prou. 2. 6.

te

te nos eloquia diuina tractarunt : ibi ergò legitur, *Cùm scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum.* Sap. 8. 21. Hæc ergò Dei dona sunt, id est, vt de alijs taceam, sapientia, & continentia acquieſcunt & isti (neque enim Pelagiani sunt, vt aduersus istam perspicuam veritatem dura, & hæretica peruersitate contendant.) *Sed hæc,* inquiunt, *vt à Deo dentur nobis, fides impetrat quæ incipit à nobis*: quam fidem, & incipere habere, & in ea vsque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt. Hic proculdubio contradicitur Apostolo dicenti : *Quid enim habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. 7. Contradicitur, & Martyri Cypriano dicenti, *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Cùm hæc & alia multa quæ piget repetere, dixerimus atque ostenderimus, & initium fidei, & vsque in finem perseuerantiam, Dei dona esse, nec vlla futura esse sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent, Deum non præscire potuisse, ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat; respondendum putant, *prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersam, eo quod hac audita, nemo possit correptionis stimulis excitari.* Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei, esse vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide; nè plus desperatio quàm exhortatio videatur afferri, dum cogitant qui audiunt, incertum esse humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona. Cur ergò & ipsi nobiscum prædicant, dona Dei esse sapientiam & continentiam? Quod si hæc cùm Dei dona esse prædicantur, non impeditur exhortatio qua homines hortamur esse sapientes & continentes; quæ tandem causa est vt existiment impediri exhortationem, quà exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere vsque in finem? Et si hæc dona Dei esse dicantur, quod scripturis eius testibus comprobatur, ecce vt de continentia taceamus, & de sola in hoc loco sapientia disputemus; nempe supra memoratus Apostolus Iacobus dicit: *Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est deinde pacifica, modesta, suasibilis, plena misericordia,* Iac. 3. 17 *& fructibus bonis, inæstimabilis sine simulatione.* Iac. 1. 17. Cernitisne obsecro, *à patre luminum*, sapientia quam multis & magnis & bonis referta descendat? *Omne* quippe *datum*

tum optimum ſicut idem dicit, *& omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Cur ergo, vt omittam cætera corripimus impudicos, & contentioſos, quibus tamen prædicamus donum Dei eſſe *ſapientiam pudicam* atque *pacificam*; nec timemus ne permoti diuinæ voluntatis incerto, plus in hac prædicatione deſperationis quam exhortationis inueniat, nec correptionis ſtimulis aduerſus ſeipſos, ſed potiùs aduersùs nos excitentur, quia eos corripimus hæc non habentes, quæ ipſi dicimus non humana voluntate proferri, ſed diuina largitate donari? Cur denique ipſum Apoſtolum Iacobum huius gratiæ prædicatio non deterruit corripere inquietos, & dicere: *Si zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem, non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.* Sicut ergò corripiendi ſunt inquieti, & diuinis eloquijs teſtibus, & ipſis quos nobiſcum iſti communes habent actibus noſtris; neque hanc impedit correptionem, quod *ſapientiam pacificam* qua contentioſi corriguntur atque ſanantur; donum Dei eſſe prædicamus; ita corripiendi ſunt infideles, vel in fide non permanentes, non impediente iſtam correptionem prædicatione gratiæ Dei, quæ fidem quoque ipſam & in ea permanſionem dona Dei eſſe commendat, quia etſi ex fide impetratur ſapientia, ſicut ipſe Iacobus cùm dixiſſet: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*: mox addidit, *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*; non tamen quoniam fides datur priùſquam poſtuletur ab illo cui datur, ideò dicenda eſt non eſſe donum Dei, ſed eſſe à nobis, quia data eſt nobis, non petentibus nobis. Apoſtolus enim apertiſsime dicit, *Pax fratribus, & charitas cùm fide à Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto.* A quo ergo *pax, & charitas*, ab illo eſt & *fides*, propter quod ab illo eam non ſolùm augeri habentibus, verumetiam non habentibus poſcimus dari. Neque iſti propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædeſtinationis & gratiæ exhortationem clamitant impediri, ad ſola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, ſed à nobis eſſe contendunt; ſicut ſunt initium fidei, & in ea vſque in finem perſe-

Iac. 3. 14. 15. & 16.

Iacob 1. 5.

Ibidem.

Eph. 6. 23.

uerantia: quod vtique facere deberent; vt tantummodo infideles hortarentur, vt crederent, & fideles, vt credentes permanerent. Ea vero quæ nobiſcum Dei dona eſſe non negant, vt nobiſcum Pelagianum demoliantur errorem: ſicut eſt pudicitia, continentia, patientia, & cætera quibus rectè viuitur, & ex fide impetrantur, à Domino oranda monſtrare, & orare ſolùm vel ſibi vel alijs debuerunt, non autem quemquam vt ea capeſceret, & retineret, hortari. Cùm verò & ad hæc exhortantur vt poſſunt, atque exhortandos eſſe homines confitentur; ſatis vtique oſtendunt, nec ea prædicatione impediri exhortationes ſiue ad fidem, ſiue ad perſeuerantiam vſque in finem: quia & iſta Dei dona eſſe nec à ſeipſo cuiquam, ſed ab illo tribui prædicamus. At enim *vitio ſuo quiſque deſerit fidem, cùm cedit tentationi atque conſentit, qua cum illo agitur vt deſerat fidem.* Quis negat? Sed non ideò dicenda eſt in fide perſeuerantia non eſſe donum Dei. Hanc enim quotidie poſcit, qui dicit: *Ne nos inferas in tentationem*; & ſi exauditur, hanc accipit; ac per hoc quotidie vt perſeueret petens, profectò perſeuerantiæ ſuæ ſpem non in ſeipſo, ſed in Deo ponit. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, ſed illis cogitandum potiùs relinquo, vt videant quale ſit quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quam exhortationis afferri; hoc eſt enim dicere, tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere; cùm Propheta clamet; *Maledictus omnis qui ſpem ponit in homine.* Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis ſecundùm Dei propoſitum vocatis (in quibus donis eſt & incipere credere, & in fide vſque ad vitæ huius terminum perſeuerare; ſicut tanta rationum atque authoritatum conteſtatione probauimus) hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur à Deo, præſciuntur autem hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.

Matth. 6. 13.

Hier. 17. 5.

CAPUT XVIII.

VNde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.* Hoc quod ait *præsciuit*, non rectè intelligitur nisi prædestinauit, quod circunstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquijs Iudæorum, quæ *saluæ factæ sunt*, pereuntibus cæteris. Nam superiùs dixerat *ad Israel dixisse*, Prophetam, *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*; & tanquam responderetur, Vbi sunt ergò factæ promissiones Dei ad Israel; continuo subiunxit, *Dico ergo, nunquid repulit Deus plebem suam? Absit; nam & ego Israelita sum ex semine Abraham de Tribu Beniamin*; tanquam diceret, *nam & ego* ex ipsa plebe sum. Deinde addidit vnde nunc agimus, *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit.* Atque vt ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adiunxit, *An nescitis in Helia quid dicit scriptura? quemadmodùm interpellat Deum aduersus Israel*, & cætera. *Sed quid dicit illi*, inquit, *responsum diuinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal.* Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi; sed *reliqui mihi. Sic ergò*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Et connectens illa quæ iam supra interposui, *Quid ergò?* & huic interrogationi respondens, *Quod quærebat*, inquit, *Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est; cæteri verò excæcati sunt.* In hac ergo *electione* & in his *reliquijs*, quæ *per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*, voluit intelligi *plebem*, quam propterea *Deus* non *repulit*, quia *præsciuit.* Hæc est illa electio qua eos quos voluit *elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum.* Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas *secundùm electionem gratiæ* fuerat ipse facturus:

Rom. 11. 2.
Rom. 10. 22.
Esai 65. 2
Rom. 11. 1.
Ibid. 2.
Ibidem.
Ibid. 4.
3. *Reg.* 19. 18.
Rom. 11. 5. & 6.
Ibid. 7.
Eph. 1. 4. & 5.

cturus : hoc eſt ergò prædeſtinauit : ſine dubio enim præſciuit, ſi prædeſtinauit : ſed prædeſtinaſſe eſt, hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus.

CAPUT XIX.

QUid ergò nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere ? Magis autem fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re vti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat ; imò & congruit veritati quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur. Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. Puto tamen eis qui de hac re ſententias tractatorum requirunt, ſanctos & in fide atque Doctrina Chriſtiana laudabiliter vſquequaque diffamatos viros Cyprianum, & Ambroſium, quorum tàm clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere, & debere ad vtrumque id eſt vt & gratiam Dei gratuitam, ſicut credenda atque prædicanda eſt, per omnia credant, & per omnia prædicent ; & eandem prædicationem prædicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduerſam : quia & iſti viri cùm ſic prædicarent Dei gratiam, vt vnus eorum diceret *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit* : alter autem, *non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes* : non tamen hortari, & corripere deſiterunt, vt fierent præcepta diuina. Nec timuerunt nè diceretur eis, Quid nos hortamini ? Quid & corripitis, ſi *nihil* boni habeamus quod *ſit noſtrum*, & ſi *non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum* ? Hæc ne dicerentur eis, nequaquam illi ſancti ea mente timere potuerunt, qua intelligebant paucisſimis eſſe donatum, vt nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel per Angelos cœlorum doctrinam ſalutis accipiant ; multis vero id eſſe donatum, vt Deo per homines credant. Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, proculdubio qui ſic audit vt illi obediat, donum Dei eſt. Vnde ſupradicti tractatores excellentiſsimi diuinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, ſicut prædicanda eſt, prædicarunt, id eſt, quam nulla

nulla merita humana præcedunt, & ad facienda diuina præcepta instanter hortati sunt, vt qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent: si enim gratiam merita nostra vlla præcedunt, profectò aut facti alicuius, aut dicti aut cogitationis est meritum; vbi & ipsa intelligitur voluntas bona. Sed breuissimè complexus est omnium genera meritorum, qui dicit *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Qui verò ait, *non est in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes*: nec ipse facta & dicta præterijt; non enim est dictum factumve hominis, quod non ex cordis cogitatione procedat. Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus Martyr Glorioſissimus, & doctor lucidissimus potuit, quam vbi nos in oratione Dominica etiam pro inimicis fidei Christianæ orare oportere commonuit, vbi de initio fidei quod etiam hoc donum Dei sit, quid sentiret ostendit; & pro perseuerantia vsque in finem quia & ipsam non nisi Deus eis qui perseuerauerint, donat, Ecclesiam Christi quotidie orare monstrauit. Beatus quoque Ambrosius cùm exponeret quod ait Lucas Euangelista, *Visum est & mihi. Potest*, inquit, *non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus, qui vt id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur: quem enim miseratur, & vocat. Et ideò qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est, & mihi: quod cùm dicit, non negat Deo visum; à Deo enim præparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Itemque in eodem opere, hoc est in expositione eiusdem Euangelij cùm ad illum veniſſet locum, vbi Dominum ad Hierusalèm pergentem Samaritani recipere noluerunt; *Simul disce*, inquit, *quia recipi noluit ab ijs quos sciebat non simplici mente conuersos. Nam si voluisset, ex indeuotis fecisset deuotos. Cur autem non receperint eum, Euangelista ipse monstrat dicens; quia facies eius erat euntis in Hierusalem; discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Quid euidentius, quid illustrius à verbi Dei tractatoribus quærimus, si & ab ipsis quod in scripturis clarum est, audire delectat? Sed his duobus qui sufficere debuerunt Sanctum Gregorium addamus, &

Luc. 1. 3.

Prou. 8 iuxta. 70

Luc. 9. 53.

Ibidem.

tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens: *Vnius deitatis quæso vos confitemini trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite vnius esse naturę, & Deus vobem dari vobis à Sancto Spiritu depręcabitur: ist est rogabitur Deus vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim, certus sum; qui dedit quod primum est, dabit & quod secundùm; qui dedit credere, dabit & confiteri.* Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit gloriemur: nec ipsum cor nostrum, & cogitationes nostras in potestate nostra esse; & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes; vt permansuri conuertamur ad eum; vt quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & quod velimus illud; vt honoremus Deum, & recipiamus Christum; vt ex indeuotis efficiamur deuoti, & religiosi; vt in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc vtique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur. Nunquid autem quisquam eos dicturus est, ita confessos istam Dei gratiam vt auderent negare eius præscientiam, quam non solùm docti, sed indocti etiam confitentur? Porro si hæc ita Deum nouerant dare, vt non ignorarent eum daturum se esse præsciisse, & quibus daturus esset non potuisse nescire; proculdubio nouerant prædestinationem, quam per Apostolos prædicatam contra nouos hæreticos operosiùs diligentiusque defendimus: nec tamen eis obedientiam prædicantibus, & ad eam sicut quisque poterat feruenter hortantibus, vllo modo recte diceretur: Si non vultis obedientiam ad quam nos accenditis, in nostro corde frigescere, nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, quà Deum dare fatemini quæ nos vt faciamus hortamini.

☞(o) ☞)(o)(✠)(☞ (o)☞

CA-

CAPUT XX.

QUamobrem si Apostoli, & Doctores Ecclesiæ, qui eis successerunt, eosque imitati sunt, vtrumque faciebant; id est, & Dei gratiam, quæ non secundùm merita nostra datur, veraciter prædicabant; & piam obedientiam præceptis salubribus instruebant: quid est quod inuicta concluſi violentia veritatis rectè se isti nostri dicere existimant: *Et si verum est quod dicitur de prædestinatione beneficiorum* Dei, *non est tamen populis prædicandum.* Prædicandum est prorsus, vt *qui habet aures audiendi, audiat.* Quis autem habet, si non accepit ab illo qui ait, *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes*? Certe qui non accepit, reijcitat; dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & viua. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, Deus rectè colatur; prædicanda est pudicitia, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur, prædicanda est charitas, vt ab eo *qui habet aures audiendi*, Deus & proximus diligatur: ita & prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt *qui habet aures audiendi*, non in seipso, sed *in Domino glorietur.* Quod autem dicunt, *non opus fuisse huiuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari, quoniam non minus vtiliter sine hac definitione prædestinationis, per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios tum maximè contra Pelagianos, tot catholicorum, & aliorum, & nostris præcedentibus libris*: multùm miror eos dicere, nec attendere, vt de alijs hic taceam, ipsos libros nostros, & antequam Pelagiani apparere cœpissent conscriptos, & editos, & videre quàm multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam hæresim credebamus, prædicando gratiam qua nos Deus liberat à malis erroribus, & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam misericordiam suam. Quod plenius sapere cœpi in ea disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognoui, & asserui. Quid autem meorum

Baruch. 8.

opus-

opuſculorum frequentius, & delectabilius innoteſcere potuit, quam libri confeſsionum mearum, cùm & ipſos ediderim antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet? In eis certè dixi Deo noſtro, & ſæpè dixi: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre Coepiſcopo meo fuiſſent eo præſente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, pene cum eo qui illa commemorauerat, litigauit. Quid vero nobis primitus, & maximè Deus iubet, niſi vt credamus in eum? Et hoc ergò ipſe dat, ſi bene illi dictum eſt, *da quod iubes.* Et in eiſdem etiam libris, quod de mea conuerſione narraui, Deo me conuertente ad eam fidem, quam miſerrima, & furioſiſsima loquacitate vaſtabam; nonne ita narratum eſſe meminiſtis, vt oſtenderem me fidelibus, & quotidianis matris meæ lachrymis nè perirem fuiſſe conceſſum? Vbi vtique prædicaui, non ſolùm aduerſas à recta fide; ſed aduerſas etiam rectæ fidei, Deum ſua gratia ad eam conuertere hominum voluntates. De proficiente porro perſeuerantia quemadmodùm Deum rogauerim, & ſcitis & poteſtis recenſere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere ſiue optaui, ſiue laudaui, quis non dicam negare, ſed dubitare ſaltem audeat Deum daturum ſe eſſe præſciſſe, & quibus daturus fuerit nunquam potuiſſe neſcire? Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta & certa ſanctorum; quam poſtea diligentius, & operoſiùs, cùm iam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſsitas compulit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones; contra quas diligentius defenderetur ſcriptura diuina, quam ſi nulla talis neceſsitas cogeret. Quid autem coegit loca ſcripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs & enucleatiùs iſto noſtro labore defendi, niſi quod Pelagiani dicunt, *Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*; quod quid eſt aliud, quàm gratiæ omnino negatio?

CAPUT XXI.

HÆC ergò vt ingrata Deo ſententia deſtruatur, gratuitis Dei beneficijs quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea vſque in finem perſeuerantiam ſecundùm ſcripturas, vnde iam multa diximus, dona Dei eſſe defendimus; quoniam ſi à nobis eſſe dicimus initium fidei, vt eo cætera Dei dona mereamur accipere; concludunt Pelagiani *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Quod ita exhorruit Catholica fides, vt damnari timens, hoc Pelagius ipſe damnauerit. Itemque ſi dicimus à nobis eſſe perſeuerantiam noſtram, non à Domino, reſpondent illi, ita nos à nobis habere initium fidei ſicut finem; ſic argumentantes, multò magis nos habere à nobis illud initium fidei, ſi à nobis habemus permanere vſque in finem; cùm perficere quam inchoare ſit maius: ac ſic identidem concludunt, *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Si autem vtrumque Dei donum eſt, & hæc Deus dona ſua (quod negare quis poteſt?) daturum ſe eſſe præſciuit; prædeſtinatio prædicanda eſt, vt poſsit vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, inſuperabili munitione defendi. Et ego quidem in illo libro cuius eſt titulus, de Correptione & Gratia, qui ſufficere non potuit omnibus dilectoribus noſtris, puto me ita poſuiſſe donum Dei eſſe, etiam perſeuerare vſque in finem, vt hoc antea, ſi me non fallit obliuio, tam expreſsè atque euidenter, vel nuſquam, vel pene nuſquam ſcripſerim. Sed ita hæc nunc dixit, vt non ante me nemo dixerit. Beatus quippe Cyprianus in oratione Dominica ſicut iam oſtendimus, petitiones noſtras ita expoſuit, vt in ipſa prima petitione perſeuerantiam nos diceret poſcere, id nos orare aſſe-
Matt. 6. 9. rens, dicendo, *Sanctificetur nomen tuum*, cùm in baptiſmate ſanctificati fuerimus, vt in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus. Videant tamen ij quibus amantibus me, ingratus eſſe non debeo, qui propter hoc, quod in quæſtionem venit, omnia mea, ſicut ſcribiti, ſe profitentur amplecti: videant, inquam, vtrùm in primi libri poſterioribus partibus, eorum duorum, quos mei Epiſcopatus initio antequam Pelagiana hæreſis appareret, ad

Sim-

Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum ſcripſi, remanſerit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: & vtrùm ibi non ſatis egerim, etiam initium fidei eſſe donum Dei: & vtrùm ex ijs quæ ibi dicta ſunt, non conſequenter eluceat, etſi non ſit expreſſum, etiam vſque in finem perſeuerantiam non niſi ab eo donari, qui nos prædeſtinauit in ſuum regnum & gloriam. Deinde ipſam epiſtolam, quam iam contra Pelagianos ad ſanctum Paulinum Nolanum Epiſcopum feci, cui Epiſtolæ contradicere modò cœperunt; nonne ante annos plurimos edidi? Eam quoque inſpiciant quam dedi ad Syxtum Romanæ Eccleſiæ Præsbyterum, quando aduersùs Pelagianos acerrimà conflictatione certauimus, & talem reperient, qualis illa eſt ad Paulinum. Vnde recolant aduerſus hæreſim Pelagianam iam ante aliquot annos iſta dicta eſſe atque conſcripta, quæ nunc eis diſplicere mirandum eſt: quamuis neminem velim ſic amplecti omnia mea vt me ſequatur, niſi in ijs in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficienter me exiſtimo Deo miſerante ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantiùs loquor quàm veriùs, ſi vel nunc dico me ad perfectionem ſine vllo errore ſcribendi iam in iſta ætate veniſſe. Sed intereſt quantùm & in quibus rebus erretur; & quam facilè quiſque corrigat, vel quanta pertinacia ſuum defendere conetur errorem. Bonæ quippè ſpei eſt homo, ſi eum ſic proficientem dies vltimus vitæ huius inuenerit, vt adijciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs iudicetur. Quocirca, ſi hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia peruenit ad eos, antequàm me diligerent, aliqua mei laboris vtilitas, nolo exiſtere ingratus; quantò magis Deo quem non diligeremus niſi priùs dilexiſſet nos, & feciſſet dilectores ſuos? quoniam charitas ex ipſo eſt: ſicut dixerunt quos fecit magnos, non ſolùm amatores, verùmetiam prædicatores ſuos. Quid eſt autem ingratius, quàm negare ipſam *gratiam Dei*, dicendo eam *ſecundùm merita noſtra dari*? Quod in Pelagianis fides Catholica exhorruit, quod ipſi Pelagio capitale crimen obiecit, quod ipſe Pelagius non quidem amore veritatis Dei, ſed tamen ſuæ damnationis timore damnauit. Quiſquis autem dice-

1. *Ioan.* 4.

re

re *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, sicut Catholicus fidelis exhorret; nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quâ misericordiam consecutus est vt fidelis esset: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseuerantiam quoque vsque in finem, quâ misericordiam consequitur, quam poscit quoridie, vt non inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perseuerantiæ, media sunt illa, quibus recte viuimus, quæ ipsi etiam donati nobis à Deo fide impetrante consentiunt. Hæc autem omnia, initium scilicet fidei, & cætera vsque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præsciuit. Nimiæ igitur contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

CAPUT XXII.

QUæ tamen non ita populis prædicanda est, vt apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodò ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei (quam certè negare non possunt) si dicatur hominibus, *siue curratis, siue dormiatis, quod vos præsciuit qui falli non potest, hoc eritis.* Dolosi autem vel imperiti medici est etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit; sed dicendum est, *Sic currite vt comprehendatis*, atque vt ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noueritis, vt legitimè curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur. Quamuis ergò ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex infidelitate, accepta voluntate obediendi, conuertantur ad fidem, vel perseuerent in fide: cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideò nondum surrexerunt, quia nondum eos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinauit eligendos, accipient eandem gratiam, quâ electi velint esse & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt. Quamuis ergò hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audi-

1. Cor. 9. 24.

tibus multis, vt sermo ad ipsos etiam conuertatur, eisque dicantur illa istorum verba quæ vestris literis indidistis, & quæ superiùs interposui: ita se habet *de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem.* Quid opus est dici, *alij ex vobis*? Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, cæteris facere videamur iniuriam; cùm possimus congruentiùs dicere: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, & accepta perseuerantia maneatis in fide? Nec illud quod sequitur, est omnino dicendum, id est: *cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia nec dum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit*: cùm bene & conuenienter dici possit & debeat. Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis; *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate*: & à Domino gressus vestri diriguntur, vt eius viam velitis. De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem diuinæ gratiæ pertinere. Item quod sequitur & dicitur: *Verùmtamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis, & sitis electi*: durius dicitur quam dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus? Fortasis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, quà velint esse atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinauit impleuit, ideò & pro inimicis fidei orare nos voluit; vt hinc intelligeremus quòd etiam ipse infidelibus donet vt credant, & volentes ex nolentibus faciat. Iam verò quod illis verbis connectitur, miror si vllo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cum dicitur eis: *Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur vobis obediendi vires, vt obedire cessetis.* Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quam maledicere,

Phil.2.13

Ps.36.23

cere, aut mala quodammodò prophetare? Sed si & de ijs qui non perseuerant, aliquid placet dicere, vel necesse est; cur non potius ita saltem dicitur, vt paulò ante à me dictum est: primum, vt non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de alijs ad ipsos, id est, vt non dicatur: *Si qui obeditis si prædestinati estis reijciendi*: sed si qui obediunt, & cætera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam? Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientium frontem compellendo colliditur, quando quis eis quibus loquitur, dicit, *Et si qui estis qui obeditis: si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis.* Quid enim sententiæ deperit, si ita dicatur; Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & veriùs eadem res, & congruentiùs dicitur, vt non ipsis tantum malum tanquam optare videamur, sed de alijs referre, quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando orandoque meliora? Illo autem modo, quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronunciari potest, vt dicatur, *Et si qui obeditis, si præsciti estis reijciendi, obedire cessabitis.* Nempe hoc verissimum est: ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito. Illum etiam modum, quo vtendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel huiusmodi aliquid addat, vt dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam *à patre luminum* à quo *descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum*, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideò desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. *Maledictus* enim *omnis homo qui spem habet in homine.* Et, *Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine*, quia *beati omnes qui confidunt in eum.* Hanc spem tenentes, *seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quoniam de vita æterna,

Iac. 1. 17.

Hier. 1. 17
Ps. 117. 8.

Ps. 2. 13.
Ibid. 11.

quam *filijs promiſsionis* promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cùm conſummata fuerit iſta *vita*, quæ *tentatio eſt ſuper terram*; ſed faciet nos perſeuerare in ſe vſque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus; *Nè nos inferas in tentationem*. Hæc atque huiuſmodi cùm dicuntur ſiue paucis Chriſtianis, ſiue multitudini Eccleſiæ, cur metuimus ſanctorum prædeſtinationem & veram Dei gratiam, id eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, ſicut eam ſancta ſcriptura prædicat, prædicare? An verò timendum eſt, nè tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſsimus poneret? *Iob 7.1.* *Mat.6.13.*

CAPUT XXIII.

ATque vtinam *tardi corde & infirmi* qui non poſſunt, vel nondum poſſunt ſcripturas, vel earum expoſitiones intelligere, ſic audirent, vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, vt magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordijs ſuis, donec finiatur hoc ſeculum. De hac enim re, quam nunc aduerſus nouos hæreticos, non commemorare tantùm; ſed planè tueri & defenſare compellimur; nunquam tacuit in precibus ſuis, etſi aliquandò in ſermonibus exerendam nullo vrgente aduerſario non putauit. Quando enim non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis eius vt crederent? Quando fidelis quiſquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Chriſtianam fidem? Quis autem ſibi vnquam non orauit vt in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum inuocantem; ſi quando dixit, Dà illis Domine in te perſeuerare vſque in finem, non ſolùm voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs ſuper eius talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente reſpondit amen: cùm aliud in ipſa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maximè illud, *Nè nos inferas in tentationem*, niſi vt in ſancta obedientiâ perſeuerent? Sicut ergò in his orationibus; ita & in hac fide nata eſt, & creſcit & creuit Eccleſia, quà fide cre-

creditur, gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia vt daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & auersas, & aduersas hominum ad se conuertere voluntates; nec oraret Ecclesia, vt perseueraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, vt bonum quod non tenemus, nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse *in nobis operetur & velle*. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesiâ, sed à seipsa sibi dari putat; non veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à seipso se sumere existimet non ab illo: præsertim, *quoniam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*? Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat spiritus, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis. Quid est, *ipse spiritus interpellat*, nisi interpellare facit *gemitibus inenarrabilibus* sed veracibus, quoniam veritas est spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba Pater.* Et hic quid est, *clamantem*, nisi clamare facientem, tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit? Quod alibi manifestat, vbi dicit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ibi dixit, *clamantem*; hic vero, *in quo clamamus* aperiens videlicet quomodo dixerit, *clamantem*, id est, sicut iam exposui, clamare facientem. Vbi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei vt veraci corde, & spiritaliter clamemus ad Deum. Attendant ergò quomodò falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis vt petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt quod gratia præceditur merito nostro, vt sequatur illa, cùm accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc diuini muneris esse, vt oremus, hoc est petamus, quæramus, atque pulsemus. *Accipimus* enim *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Quod vidit Beatus Ambrosius: ait enim, *Et orare Deum, grata spiritalis est, sicut scriptum est: Nemo dicit Dominus*

Rom. 8. 26.

Gal. 4. 6.

Rom. 8. 33.

1. Cor. 12. 3.

Iesus

Ieſus , niſi in Spiritu Sancto. Hæc igitur quæ poſcit à Domino , & ſemper ex quo eſſe cœpit , poſcit Eccleſia; iſta Deus vocatis ſuis daturum ſe eſſe præſciuit , vt in ipſa prædeſtinatione iam dederit , quod Apoſtolus ſine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum ; *collabora* , inquit , *Euangelio ſecundùm virtutem Dei ſaluos nos facientis , & vocantis vocatione ſua ſancta , non ſecundùm opera noſtra , ſed ſecundùm ſuum propoſitum , & gratiam , quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna ; manifeſtata autem nunc per aduentum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Ille itaque dicat Eccleſiam aliquando in fide ſua non habuiſſe veritatem prædeſtinationis huius & gratiæ , quæ nunc contra nouos hæreticos cura diligentiori defenditur. Ille , inquam , hoc dicat , qui dicere audet aliquando eam non oraſſe , vel non veraciter oraſſe , ſiue vt crederent infideles , ſiue vt perſeuerarent fideles. Quæ bona ſi ſemper orauit , ſemper ea Dei dona eſſe vtique credidit , nec ab illo eſſe præcognita vnquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis huius fidem , quæ contra nouos hæreticos noua ſollicitudine nunc defenditur , nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.

2. Tim. 1. 8. 9. & 10.

CAPUT XXIV.

SEd quid plura ? Satis docuiſſe me exiſtimo , vel potiùs pluſquam ſatis , dona Dei eſſe , & incipere in Dominum credere , & vſque in finem in Domino permanere. Cætera verò bona ad vitam piam , qua Deus rectè colitur , pertinentia , etiam ipſi propter quos hæc agimus , Dei dona eſſe concedunt. Omnia porro dona ſua , & quibus ea fuerat largiturus , Deum præſciſſe negare non poſſunt. Sicut ergò cætera prædicanda ſunt , vt qui ea prædicat , obedienter audiatur ; ita prædeſtinatio prædicanda eſt , vt qui obedienter hæc audit , non in homine , ac per hoc nec in ſeipſo , ſed *in Domino glorietur* , quia & hoc Dei præceptum eſt ; & hoc præceptum obedienter audire , id eſt , vt *qui gloriatur , in Domino glorietur* , ſimiliter vt cætera , Dei donum eſt. Quod donum qui non habet , non dubito dicere , alia quæcumque habet , inaniter habet. Hoc Pelagianis op-

1. Cor. 1. 31.

ta-


tamus vt habeant, istis autem nostris vt plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus dilectissimi, oremus, vt Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximeque fratribus, & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri post ingentem, & ineffabilem ruinam, qua in vno omnes cecidimus, neminem nisi gratia Dei liberari; eamque non secundùm merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quam ipse Iesus; vnde & in primo libro iam disputaui, & in huius fine commendare delegi: nullum est, inquam, *illustrius* prædestinationis exemplum, quam ipse *Mediator*. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat, & seipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quamuis singulariter suscipiente Deo verbo, in vnicum filium Dei sublimatam, ita vt qui suscepit, & quod suscepit, vna essent in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ vnius in Deo, & homine veritatem. Quoniam non Deum tantùm dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantùm, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem vt aliquid minus habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam; siue animam, siue in ipsa anima mentem rationalem, siue carnem, non de fœmina sumptam, sed factam de verbo in carnem conuerso atque mutato, quæ omnia falsa, & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diuersasque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine vllo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem, qua minor est Patre, minuere aliquid eius diuinitatem, qua æqualis est Patri; hoc autem vtrumque vnus est Christus, cui & secundùm Deum verissimè dixit, *Ego & pater vnum sumus*, & secundùm hominem verissimè dixit: *Pater maior me est*. Qui ergò hunc fecit *ex semine Dauid* hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius, ipse ex iniustis facit

Ioann 10. 30.

Ioann. 14. 28.

cit iuſtos; ſine vllo merito præcedentis voluntatis ipſorum, vt ille caput, hi membra ſint eius. Qui ergò fecit illum hominem ſine vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipſe nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem vt nunquam habuerit habituruſque ſit voluntatem malam, ipſe facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædeſtinauit, quia & in illo vt eſſet caput noſtrum; & in nobis, vt eius corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit. Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille ſit doctor interior, *à cuius facie eſt ſcientia, & intellectus.* Qui verò errare me exiſtimant, etiam atque etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, nè fortaſsis ipſi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non ſolùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco; & hoc per Eccleſiæ Doctores maximè expecto, ſi & in ipſorum manus venit, dignenturque noſſe quod ſcribo.

Prov. 2. iuxta 70.



CÆ-

CÆLESTINI PAPÆ

PRO PROSPERO,

ET HILARIO

DE GRATIA DEI.

EPISLOLA

AD QUOSDAM GALLIARUM Episcopos.

DIlectissimis fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ Episcopis Cælestinus Episcopus. Apostolici verba præcepti sunt: *Apud Iudæos atque gentiles sine offensione nos esse debere*; hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cùm ita sit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, ista contristent, quæ auctoribus Christianis percellunt animos Christianos, Dominicus in Euangelio sermo testatur. Ait enim ipse Saluator, quod *expediat scandalizanti vnum de pusillis, in maris profunda demergi.* Et ideò quæ sit eius iam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire.

1. *Cor.* 10. 32.

Matt. 18. 6.

CAPUT I.

DE PROSPERO, ET HILARIO.

FIlij noſtri præſentes Proſper, & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantùm neſcio quibus presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, vt indiſcipliſinatas quæſtiones vocantes in *medium*, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia veritati; ſed veſtræ dilectioni *iuſtiùs* imputamus quandò illi ſupra vos habent copiam diſputandi. Legimus *ſupra magiſtrum non eſſe diſcipulum*, hoc eſt, non ſibi debere quemquam ad *iniuriam Doctorum* vindicare doctrinam. Nam & *hos ipſos* à Deo noſtro poſitos nouimus ad docendùm, cum ſit dicente Apoſtolo, *eis* tertius locus intra Eccleſiam deputandus. Quid illic ſpei eſt, vbi *magiſtris* tacentibus illi loquuntur, qui ſi ita eſt, diſcipuli non fuerunt? Timeo nè conniuere ſit hoc tacere, timeo nè magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque cauſa nos reſpicit, ſi cum ſilentio faueamus errori. *Ergò corripiantur huiuſmodi, non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem: deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere nouitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare.* Conantur ſæpe naufragio mergere, quos intra portum ſtantes ſtatio facit fida ſecuros. Fida quippe eſt omnium ſtatio, quorum perfectis greſsibus veſtigia non mouentur. Recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti ſedem, hæc ipſa nobis quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote, fratres chariſsimi, pro catholicæ plebis pace tractatum: ſciant ſe, ſi tamen cenſeantur præsbyteri; dignitate, vobis eſſe ſubiectos: ſciant omnes qui malè docent, quod ſibi magis diſcere competat, quam docere. Nam quid in Eccleſijs vos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi? Niſi fortè illud obſiſtat, quod non authoritate, non adhuc ratione colligitur, vt aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum conſortio in collegium Luc. 6. 40.

gium noſtrum fortaſsis admiſsi neſciant quid ſibi debeant vindicare? Super his multa iam dicta ſunt eo tempore quo ad fratris Tuentij dedimus ſcripta reſponſum. Nunc tamen repetentes ſæpius admonemus, vt vitentur huiuſmodi, qui laborant per terras aliud quam ille noſter iuſsit agricola ſeminare: nec tamen mirari poſſumus, ſi hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare.

CAPUT II.

DE SANCTO EPISCOPO AUGUSTINO mira laudis aſſertio.

AUguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter *magiſtros optimus* etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur. Bene ergò de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbique cunctis, & amori fuerit, & honori: vnde *reſiſtendum talibus*, quos malè creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoque conuenit macerari: quamuis maneat hos beatitudo promiſſa, quicunque probantur perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere, quibus quid promittat Dominus in futurum, ſequens ſermo declarat. Non eſt agentium cauſa ſolorum, quando vniuerſalis Eccleſia quacunque nouitate pulſatur, intelligamus hæc ipſa vobis, quæ nobis non placent, diſplicere. Quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio, de tali re imposterum quærela ceſſauerit. Deus vos inculumes cuſtodiat fratres chariſsimi.

Matth. 5. 10.

CAPUT III.

SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORUM authoritates de gratia Dei.

QUia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus ſeu prauitate ſiue imperitia demorantes, pijſsimis diſputatoribus obuiare præſumunt; & cùm Pelagium atque Cæleſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, eaque tantummodo ſequi, & probare profitentur, quæ ſacratiſsima beati Apoſtoli Petri ſedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit, & docuit. Neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, & contra nocentiſsimos liberi arbitrij defenſores quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint; ita vt etiam Africanorum conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites dum illas comprobarent. Vt ergò plenius, qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum patrum compendioſo manifeſtamus indiculo, quo ſi quis non nimiùm eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum authoritatum breuitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum catholicis credat & dicat.

CAPUT IV.

QUOD ADAM OMNES HOMINES LÆSERIT, nec quemquam niſi Chriſti gratia, poſſe ſaluari.

IN præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe con-

consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ Papa Innocentio, atque dicente in epistola ad Carthaginense Concilium: *Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultiùs vtitur bonis, cadens in prevaricationis profunda, demersus est, & nihil, quemadmodùm exinde surgere posset, inuenit: suaque in æternum libertate deceptus huius ruinâ iacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit.*

CAPUT V.

QUOD NEMO SIT BONUS SUIS VIRIBUS, nisi participatione eius qui solus bonus est.

NEminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus: quod in eisdem scriptis eiusdem Pontificis sententia protestatur dicens: *Nam quid nos de eorum posthac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant cuius quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantùm se assequi posse confidunt?* *Ibidem.*

CAPUT VI.

QUOD NISI GRATIA DEI CONTINUA iuuemur, insidias diaboli superare non possumus.

NEminem etiam baptismatis gratia renouatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Quod eiusdem Antistitis in ijsdem paginis doctrina confirmat dicens: *Nam quamuis hominem redemerit à præteritis ille peccatis, tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodùm posset illum, & post ista corrigere, multa seruauit, atque quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* *Ibidem.*

CA-

CAPUT VII.

QUOD PER CHRISTUM LIBERO BENE vtamur arbitrio.

QUòd nemo, niſi per Chriſtum, libero benè vtatur arbitrio, idem magiſter in epiſtola ad Mileuitanum Concilium data prædicat, dicens: *Aduerte tandem, ò prauiſsimarum mentium peruerſa doctrina! quòd primum hominem ita libertas ipſa decepit, vt dum indulgentiùs frenis eius vtitur, in præuaricationem præſumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, niſi ei prouidentia regenerationis, ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus.*

CAPUT VIII.

QUOD OMNIA SANCTORUM MERITA dona ſint Dei.

QUòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda ſint, quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donauerit, in quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis authoritas, cùm ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad authorem ſuum referenda ſunt, vnde naſcuntur) ad Fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam vniuerſa retulimus.* Hunc autem ſermonem ſynceriſsimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, vt ita ad eumdem virum ſcriberent. *Illud verò quod in literis, quas in vniuerſas prouincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens. Nos tamen inſtinctu Dei, &c. ſic accepimus dictum, vt illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd vniuerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti, & tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fidenterque dixiſti? Ideò*

Prou. 8. 35. iuxta 70. *uelint; quia* præparatur voluntas à Domino, *& vt boni quicquid agant paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangat corda fidelium.* Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij *Rom. 1. 14.* Dei ſunt: *vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*


CAPUT IX.

QUOD OMNIS SANCTA COGITATIO, ET motus piæ voluntatis ex Deo ſit.

QUòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſsionem idem doctor inſtituit qui cum ad totius orbis Epiſcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loqueretur. *Quod ergò*, ait, *tempus interuenit, quo eius non egeamus auxilio?* In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, vt quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aëris huius, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.* Et ſicut ipſe iterum dicit, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et iterum, *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

Eph. 1. 12 *Rom. 7. 24. & 25.* *1. Cor. 15. 10.*

***



CAPUT X.

QUOD GRATIA DEI NON SOLUM PECCATA dimittat, ſed etiam adiuuet ne committantur, & præſtet vt lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſsit impleri.

ILlud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur, quod ſcilicet tertio capitulo definitum eſt, *vt quicunque dixerit gratiam Dei, qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſsionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema ſit.* Et iterum quarto capitulo, *Vt quiſquis dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus:* Scientia inflat, charitas verò ædificat: *valde impium eſt, vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm ſit vtrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate, ſcientia non poſsit inflare; Sicut autem de Deo ſcriptum eſt:* Qui docet hominem ſcientiam, *ita etiam ſcriptum eſt:* Charitas ex Deo eſt. In quinto capitulo, *vt quiſquis dixerit: ideò nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius poſsimus implere per gratiam, tanquam ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſsimus etiam ſine illa implere diuina mandata, anathema ſit: de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me nihil difficilius poteſtis facere; ſed ait:* Sine me nihil poteſtis facere.

1. Cor. 8.

Pſ. 93. 10
1. Ioan. 4. 7.

Ioan. 15. 5.

CA-

CAPUT XI.

QUOD SEDIS APOSTOLICÆ OMNES orationes, Christi gratiam resonant, quâ genus humanum ab æterna damnatione reparatur.

PRæter beatissimæ & Apostolicæ Sedis inuiolabiles sanctiones, quibus nos pijssimi patres pestifera nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis vsque in finem perseuerantiam ad Christi gratiam referre docuerunt: obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Catholica Ecclesia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula referetur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos *erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filij charitatis suæ*, & ex *vasis iræ*, faciat *vasa misericordiæ*, quod adeò totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

Col. 1. 13. Rom. 9. 21.


**** ****
****

CAPUT XII.

QUOD GRATIAM DEI ETIAM BAPTIZANDORUM testetur instituta purgatio, cùm exorcismis & exufflationibus spiritus ab eis abiguntur immundi.

ILlud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu: cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat quomodò *princeps mundi huius mittatur foras*, & quomodò priùs *alligetur fortis*, & deinceps *vasa eius diripiantur*, in possessionem translata victoris, qui *captiuam ducit captiuitatem*, & *dat dona hominibus*. His ergò Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino conformati sumus vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & vèlimus, & agamus; nec ociosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit: vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei, ac si quid nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidiè dicimus, *Nè inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.*

Ioan. 12. 31.
Mat. 12. 29.
Marc. 3. 27.
Psal. 67. 19.
Ephes. 4. 8.




CA-

CAPUT XIII.

QUOD PROFUNDIORES QUÆSTIONES nec contemnendæ sint, nec penitus asserendæ.

Mat. 6. 13 PRofundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, vt prorsus non opinemur Catholicum, quòd apparuerit præfixis sententijs esse contrarium.

****



EPISTOLA SYNODICA EPISCOPORUM AFRICANORUM IN SARDINIA EXULUM DE GRATIA DEI, ET HUMANO ARBITRIO.

IN QUA LIBRORUM MEMINERUNT BEATI Fulgentij Episcopi, De veritate Prædestinationis & Gratiæ.

CAPUT I.

DEI gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus, Ioanni Presbytero, & Archimandritæ, & Vinerio Diacono, & fidelibus viris, quorum in vestra Epistola subscriptio continetur, Datitanus, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Photinus, Quod vult Deus, Famuli Christi in Domino salutem.

CA-

CAPUT II.

QUantùm membra Ecclesiastici corporis per Christi gratiam in vnitate fidei compages retinet charitatis; tantùm necesse est vt per inuicem sollicita sint membra, vt repulso cuius libet praui dogmatis verbo, non solùm seruandæ, verùmetiam reparandæ sanitati iugis atque indefessa tam sermonis quam orationis impendatur instantia. Sic enim fit vt dum sollicitudo fraternæ puritatis inuigilat, ipse *Spiritus Sanctus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Dominum*, & in Domino proximum, *omnia cooperentur in bonum*. Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus; ita dum pro fratribus solliciti sumus, non solùm diuinam in esse nobis gratiam demonstramus; verùmetiam, quanto magis à nobis puritas charitatis impenditur, tanto magis gratia nobis diuinæ retributionis augetur. Accepimus itaque vestræ charitatis Epistolam, quæ nostrum ex parte releuauit, ex parte verò mœstificauit exilium. Gaudemus enim quia rectam tenetis de gratia Dei sententiam, cuius lumine illuminatur, & iuuamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam sumus nebula mœroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de Gratia Dei, & Humano Arbitrio non rectum tenere fidei Catholicæ tramitem; sed aduersùs Dei gratiam eleuare velle humani arbitrij libertatem. Vbi primùm dilectissimi debetis agnoscere, imò vos non ambigimus agnouisse, ad hoc diuinitùs ista permitti, vt hinc diuinæ gratiæ virtus documento possit indicij manifestioris intelligi. Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur nisi detur: quæ quamdiu non est in homine, tam diu necesse est vt ei aut sermone repugnet aut opere. Nam sermone repugnat gratiæ Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium: repugnat autem opere qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum, Hoc quippe agit in homine gratia diuinitus data, vt animus dono fidei charitatisque percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus diuinitùs dari beatus, & ostendit & poposcit Apostolus dicens: *Ipse autem Domi-*

nus

nus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere bono, & ſermone. 2. *Theſ.* 2. 15. & 16

CAPUT III.

A Deo itaque nobis eſt omnis gratia boni ſermonis, & operis, à quo nobis etiam ipſius cogitationis bonæ manifeſtum eſt ſufficientiam tribui: vt diſcat homo non in ſe, ſed *in Domino gloriari.* Diuinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus aſsignabat Apoſtolus, quando dicebat. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. *Cor.* 3. 5.

CAPUT IV.

PRoinde, ac ſi quidam gratiam necdum habentes, non ſe intelligunt non habere: illi tamen qui gratiam diuinitus acceperunt, eo magis debent in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui. Neceſſe eſt autem, vt ab eis quibus non tribuitur, ignoretur; & ab eis agnoſcatur, quibus diuina largitate donatur. Teſtatur enim Apoſtolus, dona Spiritus Sancti eiuſdem Spiritus Sancti acceptione cognoſci. Ideo ait: *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter dijudicantur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Per ſanctum ergò Spiritum gratiam accipimus, quo accepto fit in nobis, vt quod accepimus nouerimus. 1. *Cor.* 2. 12. & *ſeq.*

CAPUT V.

PRoinde ſcienda eſt, dilectiſsimi, & recto tenore veræ fidei profitenda tam humani arbitrij egena paupertas,
1.Cor.4.7 quam diuinæ gratiæ indeficiens largitas. *Quid enim habes*, ait Apoſtolus, *quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ante largitatem quippe gratiæ eſt in homine quidem liberum arbitrium, ſed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, niſi gratia detur, bonum ipſum arbitrium non habetur. Sic namque eſt liberum hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine luce. Nam & oculus ad videndum factus eſt; ſed niſi lumen acceperit, non videbit. Illa autem eſt *lux*
Ioan.1.9. *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; illuminat* autem *hominem*, ſeipſam dando per gratiam. Sicut ergò corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, vt ipſum poſsit aſpicere; ſic & libero arbitrio hominis nulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritalis infuſio. Proinde vt de ijs quæ veſtris literis indidiſtis, quid habeat Catholici dogmatis veritas intimemus, ſingula breuiter definire curauimus, ſequentes donum eiuſdem gratiæ, quod ſanctorum Patrum cordibus, & linguis ipſa eſt dignata infundere.

CAPUT VI.

Rom. 9. 11. Geneſ. 25. 23. Mal. 1. 2. & 3. DIxiſtis itaque, quod vobis dicentibus, quod Eſau & Iacob necdùm natis, Iacob per miſericordiam gratuitam eligitur, *Eſau autem* originali peccato detentus iuſto iudicio Dei eſt *odio habitus*. Illi è contrario dicunt, in Eſau figuram eſſe populi Iudæorum, ex futuris malis operibus condemnandi; in Iacob verò figuram eſſe populi gentium, ex futuris operibus bonis ſaluandi. Hæc duo, quæ ſingula proponitis, bonum eſt vt Catholica conſenſione iungatis. Sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoſcitur, & à vobis propheticum myſterium non negatur. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum ſignificatio populorum; præſertim cùm ipſi Rebeccæ Dominum conſulenti *duo*

præ-

prænuntientur *populi*, *ab eius vtero separandi*. Verùntamen agnoscenda est in illa discretione, & gratuita bonitas, & iusta seueritas. Nam quia *omne datum optimum, & omne bonum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*, & gratia discernuntur, quicunque saluantur, profectò non sunt electa neque dilecta in Iacob humana opera, sed dona diuina. Rursus quia *iniquitas nostra iustitiam Dei commendat*, proculdubio in Esau humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Iacob Dominus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo eum non pro meritis futuræ cuiusquam bonæ operationis elegit, cui seipsum, & fidem, & bona opera donaturum esse præsciuit. Inde est quod *semini Abrahæ*, cuius in Iacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit: *Gratia salui facti estis per fidem*. Vt ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono, omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse, secutus adiunxit, *Et non ex vobis, sed donum Dei est*. Ac nè quisquam sibi quorumlibet bonorum operum, audeat meritum vendicare, & pro quibuscunque operibus fidem se æstimet accepisse, subiecit, *Non ex operibus nè quis glorietur*. Vt autem ostenderet non solùm fidem, sed etiam bona opera diuinitus tribui, continuò subdidit: *ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu, in operibus bonis*, quæ non solùm à Deo donata, sed ab ipso præparata testatur dicens: *Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*. Gratia itaque Iacob saluus factus est per fidem, gratia consecutus est bonorum operum facultatem.

Genes. 25. 22. & 23.
Iac. 1. 17.
Rom. 3. 5.
Eph. 2. 8.
Ibidem.
Ibid. 9.
Ibid. 10.

CAPUT VII.

QUocirca, quia certum est Esau fuisse *vas iræ*, Iacob autem *vas misericordiæ*; certissimè tenendum est, quod & ille vt damnaretur, *iram* iustè meruit, *non enim iniustus Dominus, qui iram infert*: & iste vt saluaretur, gratis donum misericordiæ prævenientis accepit. Iacob itaque *iustificatus gratis* per gratiam Dei, factus est *vas misericordiæ* per indebitam gratiam, & per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam: Esau verò per *iram* iustam iustè est præparatus ad pœnam. *Iniquitas* autem *nostra iustitiam Dei commendat*. Deus ergò in Iacob mi-

Rom. 3. 5.
Ibidem.

misericordiam gratuitæ bonitatis, in Esau verò iudicium
Genes. 17. 12. iustæ seueritatis ostendit. Qui Sacramento quidem circuncisionis octauo die secundùm tenorem diuinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis, in hominis terreni vestutate permansit; illius ibi iudicio derelictus, qui gratis saluat iustèque damnat. In cuius persona significati sunt, non illi tantùm, qui fidem negant; sed & illi qui vsque in finem vitæ suæ intra Ecclesiam positi, in malis operibus perseuerant. De
Gal. 5. 21. quibus Apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum*
Ioan. 3. 19. *Dei non consequentur.* Nam sicut ille circuncisus perijt,
Eph. 4. 22. quia *dilexit tenebras magis quam lucem*: sic omnis qui non *deposuit veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris*, condemnabitur in Iudicio, quia non condignè vsus est Baptismatis Sacramento. Ad eundem quippe *veterem hominem* pertinent non solùm illi, qui ignorant Dominum, sed etiam illi de quibus dicit Apostolus:
Tit. 1. 16. *Confitentur se nosse Dominum, factis autem negant.*

CAPUT VIII.

DE paruulis verò indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis: quia paruulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate saluatur: qui verò sine Baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei Beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque iustificationis gratia mortuus, est impiorum consortio deputatus: à qua impietate siue paruulus, siue maioris ætatis, solo quisque remedio eripitur, si Christi sanguine redimatur.

CAPUT IX.

DE gratia verò non dignè sentit, quisquis eam putat
1. *Thess.* 3. 2. omnibus hominibus dari: cùm non solùm *non omnium sit fides*, sed adhuc nonnullæ gentes inueniantur,
Rom. 10. 14. ad quas fidei prædicatio non peruenit. Beatus autem Apostolus dicit: *Quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* Non itaque gratia omnibus da-

tur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt, nec poſſunt credere, ad quos inuenitur ipſe fidei auditus minimè peruenisſe. Ipſa verò *gratia* quibuſcunque *datur*, non æqualiter *datur*, ſed *ſecundùm menſuram donationis Chriſti*, & *vnicuique ſicut Dominus diuiſit menſuram fidei*: qui non hominum perſonas accipit, *ſed omnia operatur*, *vnus atque idem ſpiritus diuidens propria ſingulis prout vult*. *Eph.* 4. 7. *Rom.* 12. 3. 1. *Cor.* 12. 11.

CAPUT X.

QUod autem vos *dicitis*, ſola Dei miſericordia ſaluari hominem, *illi* autem dicunt, niſi quis propria voluntate cucurrerit, & elaborauerit, ſaluus eſſe non poterit: dignè vtrumque tenetur, ſi rectus ordo ſeruetur diuinæ miſericordiæ, & voluntatis humanæ, vt illa præueniat, hæc ſequatur: ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis exiſtat: vt miſericordia Dei præueniens voluntatis humanæ dirigat curſum, & humana voluntas obediens, eadem miſericordia ſubſequente, ſecundùm intentionem currat ad brauium: Per hoc humana voluntas in eo quod currit vtiliter & laborat, ex Dei miſericordia ſibi eſſe donum curſus ac laboris agnoſcat; nec ſit ingrata miſericordiæ per quam ſalutis accipit initium, vt per ipſam perueniat ad plenum ſempiternæ ſalutis effectum, quia tunc erit bona, ſi Dei præueniatur dono, & tunc permanebit bona, ſi eius non deſtituatur auxilio. Errat autem, quiſquis putat ſic à Domino tribui, velut ſi quis accepto idoneo pignore, pecuniam det: cùm Dominus vtique, & *pignus Spiritus Sancti* ipſe quibus vult conferat, & *pecuniam ſuam nummulariis* expendendam, ſicut ipſe loquitur in Euangelio ſeruorum ſuorum curæ officioque diſtribuat. 1. *Cor.* 9. 23. 2. *Cor.* 5. 5 *Matt.* 25. 27.

CAPUT XI.

ILla verò Apoſtoli ſententia, qua dicitur, *Ergo cuius vult miſeretur*; *& quem vult obdurat*: meliùs quidem ex perſona confirmantis accipitur. Quam ſi quis non vult ex perſona confirmantis accipere, illud ſine contentione atten- *Rom.* 9. 18.

Ibidem. tendat: quod subsequenter dicitur: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et cùm in vtroque vase faciendo figuli cognouerit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, & in vase contumeliæ debitum iudicium Dei obdurantis, id est, deferentis agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cùm ab iniquitate non eripit: quod quia iustus est iustè facit. Deo ergò miserante sine suis meritis homo saluatur; obdurante autem, iustè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis saluat; iudicio seueritatis obdurat.

CAPUT XII.

Phil.2.13 *Esai.1.19* Illud etiam quod vos dicitis, *Dominus est enim qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate*: Illi autem dicunt: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*: si vtrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia & libero arbitrio quæstio remanebit. Iubet enim Deus homini, vt velit, *Phil.2.12 & 13.* sed *Dominus* in homine *operatur & velle*: iubet, vt faciat, sed *operatur & facere*. Ideò vtrumque iungit beatus Apostolus dicens: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Dominus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Vt ergò *cum timore, & tremore* suam quisque *operetur salutem*, opus est volentis hominis; sed hoc ipsum Dominus operatur in suis; ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium; audit præcepta, quæ faciat: sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi diuinitus adiuuetur. Ita fit vt se operari debere homo cognoscat, dum præceptum accipit; & Domino se sciat semper omne bonum debere, quod vult ac facit: quem teste Apostolo cognoscat *operari* in homine, *& velle & perficere pro bona voluntate*: qui suis fidelibus hanc dignatus est gra- *Ezech.36. 27.* tiam promittere per Prophetam dicens: *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Cùm ergò *Dominus* in homine operari ceperit velle, tunc homo ad Dominum conuertitur, & eodem in se operante, vnde ipsi placeat;

ceat, operatur. De Domino enim dicit Apoſtolus: *Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis, quod placeat coram ſe.* Ad vitam quoque in tantùm poteſt homo manum porrigere, in quantùm habuerit *Dominum protectionem ſuam ſuper manum dexteram ſuam.*

Hebr. 13. 21.

Pſal. 120. 5.

CAPUT XIII.

NImis autem abſurdum, illos putare *vaſa miſericordiæ*, qui vel ſæcularem habent, vel Eccleſiaſticam dignitatem; *vaſa* verò *contumeliæ*, Clericos ac Monachos, & Laicos æſtimare: cùm vtique Apoſtolus *vaſa miſericordiæ* illa dicat, *quæ præparauit Dominus in gloriam*, non præſentem vtique, ſed futuram, quibus dicit: *Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria* Ideò paulo ſuperiùs eis ait: *Quę ſurſum ſunt ſapite, non quę ſuper terram. Vaſa* quippe *miſericordię* ſunt quibus dicitur: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Vaſa* verò *contumeliæ* ſunt, quibus dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius. Vaſa* itaque *miſericordię* non Eccleſiaſtica, vel ſæcularis dignitas, ſed in Eccleſia ſpiritalis charitas efficit. Quapropter in quacunque profeſsione tenuerit homo *fidem, quę per charitatem operatur, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

Rom. 9. 23.

Coloſ. 3. 4.

Ibid. 2.

Matt. 25. 34.

Ibid. 41.

Gal. 5. 6. 2. Tim. 2. 21.

CAPUT XIV.

COntra prædeſtinationem verò Sanctorum magnæ peruicaciæ eſt aliquem vel parare vel habere conflictum; cùm Apoſtolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non ſolùm dicitur de Domino: *Quos autem præſciuit, & prędeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius*; & alio loco: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum*: verùmetiam ipſum caput noſtrum, ipſum *primogenitum in multis fratribus* beatus Paulus Prædeſtinatum conſidenter prædicat dicens: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui prędeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundùm Spiritum ſanctificationis.* Quiſquis ergò prædeſtinatum Chriſtum, & Sanctos eius negat, Apoſtolicam

Rom. 8. 29.

Rom. 1. 3. & 4.

cam fidem peruersus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, *quos vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Qui propterea *omnes* dicuntur, quia in vtroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione saluantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas eius nullatenus vincitur. Ipse est enim qui *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, & cuius voluntati nemo resistit*: Verum namque est, quod de se testatus est filius, quia in viuificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat; sed ipsam voluntatem bona faciendo viuificat. Hoc in maioribus. Paruulos autem in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione saluari.

1. Tim. 2. 4.

Ps. 113. 6
Rom. 9. 19.
Iob 5. 21.

CAPUT XV.

LIberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine sanum ante peccatum; nunc in filijs Dei, propria quidem infirmitate concutitur, sed maiore diuini muneris gratia subleuatur.

CAPUT XVI.

QUæstionem verò animarum aut tacitam debemus relinquere aut sine contentione tractare: quia siue ex propagine veniant, siue nouæ singulis corporibus fiant; quod Sanctarum Scripturarum authoritas non manifestè pronunciat, cum cautela debet inquiri; maximè quod sine fidei detrimento potest à fidelibus ignorari. Illud præcipuè obseruandum est & tenendum, paruulorum animas nexu peccati originalis obstrictas; omnibusque necessarium esse sancti Baptismatis Sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur *adoptio filiorum.*

CAPUT XVII.

VOS itaque, dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles & immobiles: ac tenentes veram fidem, exhibete

bete fratribus aliter ſentientibus charitatem: nec de aliquo deſperetis; quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoſcit, poteſt cras Deo reuelante cognoſcere. Deo enim ſubeſt, cùm volet, poſſe. Oremus ergò pro eis, vt Dominus operetur in eis. Exhibeamus eis bonam voluntatem, de qua nos poſſumus habere mercedem: ſcientes quoniam in conſpectu Dei quiſquis de numero prædeſtinatorum fuerit, non peribit; & in omnibus voluntas omnipotentis implebitur, vt *per gratiam ſalui fiant*, & *agnitionem veritatis* Deo illuminante percipiant. Præ omnibus ſtudium gerite libros Sancti Auguſtini, quos *ad Proſperum & Hilarium* ſcripſit, memoratis Fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in epiſtola, quam conſulenti ſe ſancto Fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit. Cuius hæc verba ſunt: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & ſeruet Eccleſia, licet in varijs libris beati Auguſtini, & maximè ad Proſperum & Hilarium abundè poſsit agnoſci, tamen & in ſerinijs Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.* Hæc itaque, dilectiſsimi Fratres, interrogantibus vobis breuiter communi voluimus reſpondere reſcripto.

CAPUT XVIII.

CÆterùm vnus ex nobis, inquantùm Dominus ſeruis ſuis recti gratiam dignatur donare ſermonis, illis omnibus, quæ memoratos Fratres aduerſus Gratiam & Prædeſtinationem intimaſtis vel ſentire vel dicere tribus libris veſtro nomine dedicatis, ſufficienti diſputatione reſpondit, quique aduerſus duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit: quos cùm recenſueritis, agnoſcetis protinus quemadmodùm memorati Fauſti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica, diſcuſsio prodidit, ratio manifeſta conuicit, authoritas diuina compreſsit, & præcedentium Patrum conſona prorſus atteſtatio confutauit. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ ſuæ ita ſubſidium largietur, vt & bene ſentientibus tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus donet agnoſcendæ veritatis intuitum. Ipſe enim facit gratiæ ſuæ participes, *quos prædeſtinauit* ad vitam: vt in omnibus bonis ſuis humanæ arbi-

trium

trium voluntatis gratiæ Dei ſubijciant, & ab ipſo ſibi cog-
Iac. 1. 17. noſcant *deſcendere omne datum optimum, & omne donum perfectum*: ſciant etiam ab ipſo expectandum ſemper auxilium, qui prædeſtinatis ſuis & gratiam, & perſeuerantiam donat: vt *gratiam pro gratia* donum vitæ perennis accipiant.

CONCILIUM
ARAUSICANUM II.
DE GRATIA,
ET LIBERO ARBITRIO.

IN DEDICATIONE BASILICÆ A LIBERIO Patricio conſtructæ celebratum V. Nonas Iulias, Decio Iuniore V. C. Conſule, id eſt, Anno Chriſti DXXIX. Felicis Papæ IV. Anno III.

PRÆFATIO.

CUm ad dedicationem Baſilicæ quam illuſtriſsimus Præfectus & Patricius filius noſter Liberius in Arauſica Ciuitate fideliſsima deuotione conſtruxit, Deo propitiante & ipſo inuitante conueniſſemus, & de rebus quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent, inter nos fuiſſet ſpiritualis oborta collatio; peruenit ad nos, eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam, ſentire velint. Vnde id nobis, ſecundùm authoritatem & admonitionem Sedis Apoſtolicæ iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula

ab

ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet ſentiunt ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui hucuſque non ſicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum ſuum inclinare non differat.

1. Si quis per offenſam præuaricationis Adæ non totum, id eſt, ſecundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum; ſed animi libertate illæſa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium: Pelagij errore deceptus aduerſatur ſcripturæ dicenti. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* Et *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis? & à quo quis ſuperatur, eius & ſeruus addicitur.* *Ezech. 18. 20. Rom 6. 16.*

2. Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporis (quæ pœna peccati eſt) non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit; contradicens Apoſtolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* *2. Pet. 2. 19.* *Rom. 5. 12.*

3. Si quis inuocatione humana gratiam Dei dicit poſſe conferri; non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis: contradicit Eſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* *Eſai. 65. 1 Rom. 10. 20.*

4. Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem vt etiam purgari velimus per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur: reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *præparatur voluntas à Domino*; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* *Prou. 19. iuxta 70. Phil. 2. 13.*

5 Si quis ſicut augmentum ita etiam initium fidei ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iuſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; ſed naturaliter nobis ineſſe

ineſſe dicit: Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbat
Phil. 1. 6. tur B. Paulo dicente: *Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti;*
Ibid. 29. & illud: *vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini*: &, *gratia ſalui facti*
Ephes. 2. 8 *eſtis per fidem, non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem, qua in Deum credimus dicunt eſſe naturalem, omnes eos qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt quodammodò fideles eſſe definiunt.

6. Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri diuinitus, non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles ſimus
1. Cor. 4. 7 ipſius gratiæ donum eſſe conſentit; reſiſtit Apoſtolo dicenti:
Ibid. 15. 10. *Quid habes quod non accepiſti? & gratia Dei ſum id quod ſum.*

7 Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit aut eligere, ſiue ſalutari, id eſt, euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: *ſine me nihil poteſtis facere.* Et illud Apoſtoli: *Non quod idonei ſumus cogitare aliIoh 15. 2. Cor. 3. 5 quid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

8 Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum) ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit; à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, vt tamen quidam ualeant ſine reuelatione Dei myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos conquirere. Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe venire poſſe teſtatur, niſi quem Pater attraxerit, ſicut & Petro dicit: *Beatus es Simon Bariona quia caro &*
Ioh 6. *ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt.* Et
Matt. 16. 17. Apoſtolus: *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spi*1. Cor. 12. *ritu Sancto.*

9. Diuini est muneris cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur.

10. Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.

11. Nemo quicquam Domino rectè vouerit, nisi ab illo acceperit; sicut legitur: *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.* 1 *Par.* 29. 14.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono; non quales sumus nostro merito.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* *Ioan.* 8. 36

14. Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* *Ps.* 78. 8. *Psal.* 58.

15. Ab eo quod formauit Deus mutatus est Adam, sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergò mutatio fuit præuaricatoris primi: hæc, secundùm Psalmistam, *mutatio dexteræ excelsi.* *Ps.* 76. 11.

16. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tanquàm non acceperit: aut ideò se putet accepisse, quia litera extrinsecùs vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur insonuit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Porrò autem si non gratis mortuus est. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo. *Gal.* 2. 21. *Ps.* 67. 19. *Ephes.* 4. 8

17. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est à nobis, sed per spiritum Sanctum qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

18. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.

19. Natura humana etiamsi in illa integritate in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiu-

adiuuante ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei, ſalutem non poſsit cuſtodire quam accepit, quomodò ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit.

20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo.

21. Sicut eis qui volentes in lege iuſtificari, à gratia exciderunt, veriſsimè dicit Apoſtolus: *Si ex lege iuſtitia eſt, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt*: ſic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Chriſti putant eſſe naturam, veriſsimè dicitur: ſi ex natura iuſtitia, ergò Chriſtus gratis mortuus eſt. Iam hic enim erat lex, & non iuſtificabat; iam hic erat natura, & non iuſtificabat: ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum impleretur qui dixit: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere*: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit *veniſſe ſe quærere, & ſaluare quod perierat*.

Gal. 2. 21.

Mat. 5. 17

Luc. 19. 10.

22. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis qnibuſdam irrorati, non deficiamus in via.

23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet, quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas eſt à quo præparatur & iubetur quod volunt.

24. Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed inde accipiant, vnde viuant. Sic quippè vitis eſt in palmitibus vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare; qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice viuere.

25. Prorſus donum Dei eſt, diligere Deum. Ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Diſplicentes, amati ſumus, vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio.

Ac ſic ſecundùm ſupraſcriptas ſanctarum ſcripturarum ſententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit

liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum sicut opportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit; nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iusto, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Iacob, omnique antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat; sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus, simul & credimus largitate conferri, secundùm illud quod iam supradictum est, & prædicat Apostolus Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et illud: *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri.* Et illud: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait Apostolus: *Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed *vt essem*; & illud: *Quid habes quod non accepisti?* Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum, est, descendens à patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed breuitatis studio prætermissa sunt, quia & reuera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono, non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vndè manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui

Phil. 1. 29. *Ibid.* 1. 6. *Eph.* 2. 8. 1. *Cor.* 7. 25. 1. *Cor.* 4. *Iacob.* 1. *Ioan.* 3. 27.

qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum.

Et quia definitionem antiquorum Patrum, noſtramque quæ ſupra ſcripta eſt, non ſolùm religioſis, ſed etiam laicis, medicamentum eſſe, & deſideramus, & cupimus: placuit ergò vt etiam illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam feſtiuitatem conuenerunt, propria manu ſubſcriberent.

Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus, conſtitutionem noſtram relegi, & ſubnotans ſuſcripſi, quinto nouas Iulij, Decio Iuniore viro clariſsimo Conſule.

Iulianus Epiſcopus ſubſcripſi.
Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſi.
Cyprianus Epiſcopus ſubſcripſi.
Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi.
Heraclius Epiſcopus ſubſcripſi.
Principius Epiſcopus ſubſcripſi.
Philagrius Epiſcopus ſubſcripſi.
Maximus Epiſcopus ſubſcripſi.
Prætextatus Epiſcopus ſubſcripſi.
Aletius Epiſcopus ſubſcripſi.
Lupercianus Epiſcopus ſubſcripſi.
Vindemialis Epiſcopus ſubſcripſi.

Petrus Marcellinus, Felix, Liberius viri clariſsimi, & illuſtres Præfecti Prætorij Galliarum atque Patricij, conſentientes ſubſcripſerunt.

Syagrius vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.
Opilio vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.
Pantagathus vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.
Deo datus vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.
Cariattho vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.
Marcellus vir clariſsimus conſentiens ſubſcripſit.

BONIFACIJ II. PAPÆ.

EPISTOLA

AD CÆSARIUM ARELATENSM, CUIUS rogatu confirmat ea, quæ in Synodo Arausicana fuerant definita.

EPistola ista in codicibus manuscriptis Fossatensi, & Laudunensi, quibus vsus est Sirmundus, præponebatur Concilio Arausicano; Epistolæ vero hæc adnotatio. *In hoc codice continetur Synodus Arausicana, quam per auctoritatem Sanctus Papa Bonifacius confirmauit. Et ideò quicunque aliter de gratia, & libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in ista Synodo constitutum est, contrarium se Sedi Apostolicæ, & vniuersæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.*

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Bonifacius.

FER filium nostrum Armenium Presbyterum, & Abbatem, litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos sub ea qua in Deo tenemur charitate direxeras: quibus credideras postulandum, vt id quod à beatæ recordationis decessore nostro Papa Felice pro catholicæ fidei popoſceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas supera disposuit, vt quod per nos ab illo speraueras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim quod aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera iam bona ex Dei acquieuerint gratia prouenire, fidem tantùm, qua in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ diuinæ largitate conferri; postulans vt pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram,

qua


qua vos è diuerſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, iuxta catholicam veritatem per præuenientem Dei gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus. Atque ideò, cùm de hac re multi Patres, & præcæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & maiores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſsima, vt nulli vlteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia; ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici, maximè cùm ſecundùm eas quas ex Apoſtolo direxiſti ſententias, quibus dicit; *miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem*; Et alibi: *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, verùm etiam vt pro eo patiamini*; euidenter appareat fidem qua in Chriſto credimus, ſicut & omnia bona, ſingulis hominibus ex dono ſupernæ venire gratiæ, non ex humanæ poteſtate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibuſdam Sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus ſenſiſſe catholicam, in his ſcilicet in quibus vno, ſicut indicaſti, conſenſu definierunt fidem, qua in Chriſto credimus, gratia diuinitatis præueniente conferri: adijcientes etiam, nihil prorſus ſecundùm Deum boni, quod ſine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſsit, dicente ipſo Saluatore noſtro: *Sine me nihil poteſtis facere.* Certum eſt enim atque catholicum, quia in bonis quorum caput eſt fides, nolentes nos miſericordia diuina præueniat, vt in fide duremus, ſicut Dauid Propheta dicit: *Deus meus miſericordia eius præueniet me.* Et iterum: *Miſericordia mea cum ipſo eſt.* Et alibi: *Miſericordia eius ſubſequitur me.* Similiter & Beatus Paulus dicit: *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Vnde nimis eos qui contra ſentiunt, admiramur, vſque eo vetuſt erroris adhuc reliquijs prægrauari, vt ad Chriſtum non credant Dei beneficio, ſed naturæ veniri; & ipſius naturæ bonum, quod Adæ peccato noſcitur deprauatum, authorem noſtræ fidei dicant magis eſſe quam Chriſtum; nec intelligant ſe Dominicæ reclamare ſententiæ dicenti: *Nemo venit ad me, niſi datum fuerit illi à Patre meo.* Sed & Beato Paulo ſimul obſiſtere clamanti ad Hebræos: *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum Chriſtum.* Quæ cùm ita ſint, inuenire non poſ-

1. Cor. 7. 25.
Phil. 1. 29
Ioan. 15.
Pſal. 58.
Pſal. 88.
Pſal. 22.
Rom. 11.
Ioan. 6.
Hebr. 11.

ſu-

sumus, quid ad credendum in Christo, sine Dei gratia, humanæ deputent voluntati, cùm Christus author consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus. Illos autem qui præcedente fide, cætera, sicut indicas, volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, vt multò magis dono gratiæ etiam fidem cogantur ad scribere, præter quam nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari, sicut Beatus Apostolus dicit: *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Rom. 14. Quod cùm ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem substrahere moliuntur; aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. *Si* enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratia; nullum quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Iacobus Apostolus: *Omne donum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et ipsi fatentur vt dicis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona fide subsistere non ambigunt. Vniuersa ergò necessario fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum, quod gratiæ tribuunt, separare non possunt. His itaque breuiter adsignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam à quodam tibi mandasti Sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordia diuina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, vt ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex diuina credant gratia proficisci, cùm se senserint id iam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim, *Præparatur voluntas à Domino.* Et alibi; *Scio quia non possum esse continens, nisi Deus dederit; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset donum.* Prou. 19. iuxta 70. Sap. 8. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data VIII. Kalend. Februarias, Lampadio, & Oreste VV. CC. Consulibus.

ADMONITIO IN SEQUENS OPUSCULUM.



OC opuſculum Bernardus ante ann. 1128. compoſuit id eſt ante ann. & atis ſuæ 38. agit de gratia, & libero arbitrio ex occaſione cuiuſdam collatione, cum homine, neſcio quo: Cui S. Doctor nimium gratiæ tribuiſſe viſus fuerat: quaſi nihil reliqui libero arbitrio faceret in actibus humanis. Præcipuus ergo libri Scopus eſt, quæ ſint gratiæ, quæ liberi arbitrij partes in negotio ſalutis. Huc multa docentur de libero arbitrio Dei, Angeli, & Hominis, integri, lapſi, & beati: Item de gratia primi hominis, ante & poſt lapſum. Paruus liber ſed qui plus ſucci, & ſolidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ de hoc Theologico argumento pertractant. Stilus vegetus, viuaci ingenio, & lumine plenus: Verba propria, & materiæ acommoda; oratio facilis non arte quæſita, ſed quaſi naturalis; non obeſa & exilis, ſed pinguis, & neruoſa: elegans, concinna, & iucunda; non triuialibus ſcholæ verbis languens non barbara, aut inculta. Non ita præſa, vt parte, & gutattim fluat; nec tamen ita profuſſa, vt torrentis inſtar, quaſi rupto aggere & ſiccato alueo erumpat: ſed pari tenore, & graui maieſtate æqualiter profluēs fontem indicat indeficientem, qui non ex alieno plenus ſit, ſed ex proprio: Immò ex Dei dono, atque ex continua Scripturæ meditatione. Præſertim Apoſtoli, num. 48. de ipſo opuſculo Gaufridus in lib. 3. de Ipſius Vita, cap. 8. agit. Quam non ingratus, inquit gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia, & libero arbitrio, tam fideliter, quam ſubtiliter diſputauit. Neque prætermitenda verba epiſt. 52. ad Hamericum Cardenalem, quæ ſub annum 1128. ſcripta eſt. Quæſiuit à me præfatus Epiſcopus Gaufridus Carnotenſis aliqua ex noſtris opuſculis: quæ vobis miteret, ſed non fuit ad manum, quod veſtro dignum crederem ſtudio. Libellum tamen de gratia & libero arbitrio nuper edidi; illum vobis libenter mittam, cum vos velle cognouero. Directus eſt libellus Guilermo S. Theodorici Abbati ſingulari Bernardi amico: ad quem Apologia ſuperius edita, & Epiſtolæ complures. Nullam capitum diuiſionem, habent codices antiquiores, ſed recentiores. Vulgatam, & receptam ſatius retinere viſum eſt.

S. BERNARDI ABBATIS.

TRACTATUS

DE GRATIA,

ET LIBERO ARBITRIO.

AD GUILLELMUM ABBATEM S. THEODORICI.

PREFATIO.

DOMNO GUILLELMO ABBATI S. THEODORICI, Frater Bernardus.

OPuſculum de gratia, & libero arbitrio, quod illa, qua ſcitis, occaſione nuper aggreſſus ſum; eadem gratia Deo adiuuãte peregi vt potui. Vereor autem ne aut grandia minùs digne locutus inueniar, aut pertractata à pluribus ſuperfluo retractaſſe. Proinde illud legite primus, & ſi iudicatis ſolus: ne ſi proferatur in medium, magis forte ſcriptoris publicetur temeritas, quam lectoris ædificetur charitas. Quod ſi palam fieri vtile probaueritis, tunc ſi quid obſcurius dictum aduerteritis, quod in re obſcura, ſeruata congrua breuitate dici planius potuiſſet; non ſit vobis pigrum aut emendare per vos aut mihi reſignare emendandum, ſi fraudari non vultis promiſsione illa ſapientiæ, quæ ait: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* *Eccli. 24. 31.*

CAPUT I.

AD BONI OPERIS MERITUM, VNA CUM GRATIA DEI, concurrere liberi arbitrii conſenſum.

1. LOquente me coram aliquando, & Dei in me gratiam commendante, quod ſcilicet ab ipſa me in bono & præuentum agnoſcerem, & prouehi ſentirem, & ſperarem perficiendum: Quid

tu ergo, ait vnus ex circunſtantibus, operaris; aut quid mercedis ſperas vel præmii, ſi totum facit Deus? Quid enim, inquam, tu conſulis? Da inquit gloriam Deo, qui gratis te preuenit, excitauit, initiauit; & viue digne de cetero, quo te probes, & perceptis beneficijs non ingratum, & percipiendis idoneum. Et ego: Bonum, inquam, conſilium das, ſed ſi dederis, & poſſe teneri. Si quidem non eſt eiuſdem facilitatis ſcire quid faciendum ſit, & facere: quoniam & diuerſa ſunt cæco ducatum, ac feſſo præbere vehiculum. Non quicunque oſtendit viam, præbet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet qui facit ne deuiet; & aliud qui præſtat ne deficiat in via. Ita nec quiuis doctor, ſtatim & dator erit boni quodcunque docuerit. Porro duo mihi ſunt neceſſaria, doceri ac iuuari. Tu homo recte quidem conſulis ignorantiæ: ſed ſi verum ſentit Apoſtolus, *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Immo vero qui mihi per os tuum miniſtrat conſilium, ipſe neceſſe eſt miniſtret, & per ſuum Spiritum adiutorium, quo valeam implere quod conſulis. Ecce enim iam ex eius munere velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio; ſed nec aliquando me inuenturum confido, niſi qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate. Vbi ergo, ait, ſunt merita noſtra; aut vbi eſt ſpes noſtra? Audi, inquam, *Non ex operibus iuſtitiæ quæ nos fecimus, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Quid enim? Tu fortè putaueras tua te creaſſe merita, tua poſſe ſaluari juſtitia; qui nec ſaltem Dominum Ieſum dicere potes niſi in Spiritu Sancto? Itane oblitus es quis dixerit, *Sine me nihil poteſtis facere*, &, *Neque currentis, neque volentis, ſed miſerentis eſt Dei?*

Rom. 8. 26.

1. Tim. 3. 5.

Ioa. 15. 5. Rom. 9. 16.

2. Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breuiter reſpondeo: Saluatur. Tolle liberum arbitrium, & non erit quod ſaluetur: tolle gratiam non erit vnde ſaluetur. Opus hoc ſine duobus effici non poteſt: vno à quo fit: altero cui, vel in quo fit. Deus autor eſt ſalutis, liberum arbitrium tantum capax: nec nec dare illam, niſi Deus; nec capere valet niſi liberum arbitrium. Quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio; tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipientis quam abſque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dùm conſentit, hoc eſt dum ſaluatur. Conſentire enim ſaluari eſt. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem hujuſcemodi minime capit, eo quod illi voluntarius conſenſus deſit quo ſaluanti videlicet Deo placidè obtemperet, ſiue jubenti acquieſcendo, ſiue pollicenti credendo, ſiue reddenti gratias agendo. Enim vero aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus. Poſterior quippe nobis communis eſt cum irrationalibus: nec valet conſentire ſpiritui, carnis irretitus illecebris, & fortaſsis ipſe eſt, qui alio nomine ab Apoſtolo *Sapientia carnis* appellatur, vbi ait, Sapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt. Hunc ergo

Rom. 8. 6.

(vt dixi) communem habentes cum beſtijs, conſenſus voluntarius nos diſcernit. Eſt enim habitus animi, liber ſui. Si quidem non cogitur non extorquetur. Eſt quippe voluntatis non neceſsitatis; nec negat ſe, nec præbet cuiquam, niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet inuitus, violentus eſt, non voluntarius. Vbi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non enim eſt conſenſus, niſi voluntarius. Vbi ergo conſenſus, ibi voluntas. Porro vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.

CAPUT II.

QUID LIBERUM ARBITRIUM, SEU IN QUO CONSISTAT libertas.

3. SEd vt manifeſtius fiat quod dicitur, & competentius ad id quod volumus veniamus, paulo altius æſtimo repetendum. In rebus naturalibus non eſt id vita, quod ſenſus; non ſenſus quod appetitus; nec ille, quod conſenſus. Quod ex ſingulorum definitionibus clarius elucebit. Eſt enim in quolibet corpore vita, internus ac naturalis motus, vigens tantùm intrinſecus. Senſus verò, vitalis in corpore motus, vigens & extrinſecus. Appetitus autem naturalis vis in animante, movendis avidè ſenſibus attributa. Verum conſenſus, nutus eſt voluntatis ſpontaneus, vel certe (quod ſuperius dixiſſe me memini) habitus animi, liber ſui. Porro voluntas eſt motus rationalis & ſenſui præſidens, & appetitui. Habet ſane quocunque ſe voluerit ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quod ſemper ex ratione, ſed quod nunquam abſque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt quaſi per ejus miniſterium, contra ejus conſilium ſiue judicium. Vnde eſt illud, *Prudentiores ſunt filii hujus ſæculi filiis lucis in generatione ſua.* Et rurſum: *Sapientes ſunt vt faciant mala.* Neque enim prudentia ſeu ſapientia ineſſe creaturæ poteſt vel in malo niſi vtique per rationem. *Luc.* 16. 10. *Ier.* 4. 22.

4. Eſt verò ratio data voluntati vt inſtruat illum non deſtruat. Deſtrueret autem ſi neceſsitatem ei vllam imponeret quo minus liberè pro arbitrio ſeſe volueret, ſiue in malum conſentiens appetitui, aut nequam ſpiritui; vt ſit animalis, non percipiens, vel certe & perſequens ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſiue ad bonum gratiam ſequens, & fiat ſpiritualis: quæ omnia dijudicans, ipſa à nemine judicetur. Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas jam non eſſet. Vbi quippe neceſsitas, jam non voluntas. Quod ſi ex neceſsitate, & abſque conſenſu propriæ voluntatis, juſta injuſtaue fieri poſſent; rationalis creatura, aut miſera profectò eſſe nullâ ratione deberet, aut beata penitus non poſſet, cui nimirum in vtrauis parte id deeſſet, quod ſolum in ea miſeriæ ſine beatitudinis capax eſt, id eſt voluntas. Cetera ſi quidem

quæ

quæ supra memorata sunt, vita, sensus, vel appetitus, nec miserum per se faciunt, nec beatum. Alioquin & arbores ex vita, & pecudes etiam ex reliquis duobus, vel miseriæ possent esse obnoxiæ, vel idoneæ beatitudini. Quod omnino impossibile est. Communem itaque habentes vitam quidem cum arboribus, sensum verò, & appetitum, & æque vitam cum pecoribus; id quod dicitur voluntas nos ab vtrisque discernit. Cujus voluntatis consensus vtique voluntarius, nò necessarius, dum aut justos probat aut injustos etiam merito beatos facit vel miseros. Is ergo talis cõsensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod secum semper & vbique portat, indeclinabile judicium, non incongrue dicetur (vt arbitror) liberum arbitrium. Ipse liber sui propter voluntatem, ipse judex sui propter rationem, & merito libertatem comitatur judicium: quoniam quidem quod liberum sui est, profectò vbi peccat, ibi se judicat. Est autem judicium, quia juste profecto, si peccat, patitur quod nolit qui non peccat nisi velit.

5. Ceterum quod sui liberum non esse cognoscitur quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? excusat nempe vtrumque necessitas. Porrò vbi necessitas est, libertas non est: vbi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium. Excepto sanè per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem: de cetero quidquid hanc non habet voluntarii consensus libertatem, procul dubio & merito caret, & judicio. Proinde vniuersa quæ sunt hominis, præter solam voluntatem, ab vtroque libera sunt, quia sui libera non sunt. Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, & si qua talia sunt eo ipso subjacent necessitati, quo non plenè subdita sunt voluntati. Ipsam vero quia impossible est de se ipsa sibi non obedire; (nemo quippe aut non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est sua priuari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem. Tam ergo non potest priuari illa quam nec se ipsa. Si poterit homo aliquando, aut nihil omnino velle, aut velle aliquid & non voluntate; poterit & carere libertate voluntas. Hinc est quod insanis, infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciant, vel bonum, vel malum, imputatur: quia nimirum sicut suæ non sunt compotes rationis, sic nec usum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium libertatis. Cùm igitur voluntas nil liberum habeat nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. Si quidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita languens reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem; & hoc non ob aliud nisi quia hæc necessariè ac præter voluntatem posse prouenire probantur.

***

CAPUT III.

TRIPLICEM ESSE LIBERTATEM, NATURÆ, GRATIÆ, Gloriæ.

6. SOla ergo voluntas quoniam pro sui ingenita libertate aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate; non immerito justam vel injustam, beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit; prout scilicet justitiæ, injustitiæue consenserit. Quapropter hujusmodi voluntarium liberumque consensum, ex quo & omne sui (ex his quæ dicta sunt) constat pendere judicium; puto non incongrue id esse, vt supra definiuimus, quod solet liberum arbitrium appellari: vt liberum ad voluntatem, arbitrium referatur ad rationem. Sed sanè liberum, non illa libertate, de qua dicit Apostolus: *Ubi Spiritus Domini ibi libertas.* Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit: *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quis verò in carne peccati à peccato sibi vindicat libertatem? Hac ergo libertate dictum merito nequaquam opinor liberum arbitrium. Est item libertas à miseria, de qua itidem Apostolus: *Et ipsa*, inquit, *creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed nunquid & ista sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaque liberum arbitrium nominari non immeritò abnuimus. Est verò, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eò quòd necessarium voluntario contrarium esse videatur, si quidem quod ex necessitate sit, jam non est ex voluntate, & è conuerso similiter.

2.Co.3.17 Rom. 6. 18. Rom. 8. 28.

7. Cùm igitur prout interim potuit occurrere nobis, triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate; hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura, in primam restauramur à gratia, media nobis reseruatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura: secundò reformamur in innocentiam, noua in Christo creatura: tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in Spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multùm honoris, secunda plurimùm etiam virtutis, nouissima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præstamus ceteris animantibus; in secunda carnem, per tertiam mortem subjicimus. Vel certe sicut in prima subjecit Deus sub pedibus nostris oves & boves & pecora campi: ita quoque per secundam spirituales bestias hujus aëris, de quibus dicitur, *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*, prosternit æquè & conterit sub pedibus nostris: in vltima tandem

Ps.73.19

nos

nos ipsos nobis plenius submissurus per victoriam corruptionis & mortis, quando scilicet nouissima destruetur mors, & nos transibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei : qua libertate Christus nos liberabit, cùm nos vtique tradet regnum Deo & Patri. De hac enim, & item de illa quam diximus à peccato, puto quod Iudæis
Ioa.8.36. aiebat : *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Liberum arbitrium liberatore indigere significabat : sed planè qui illud liberaret non à necessitate, quàm, voluntas cùm esset penitus non nouerat ; sed à peccato, in quod tam liberè, quàm voluntariè corruerat ; simulque à pœna peccati, quam incautum incurrerat, inuitumque ferebat. Quo vtroque malo liberari omnino non poterat, nisi per illum, qui solus hominum factus est inter mortuos liber, liber videlicet à peccato inter peccatores.

8. Solus namque inter filios Adam libertatem sibi vindicat à peccato, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ejus. Porrò & à miseria, quæ est pœna peccari, habuit nihilominùs libertatem, sed potentia, non actu. Nemo quippe tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam. Denique, teste Propheta,
Ia.10.18 *Oblatus est quia ipse voluit*, sicut & cum voluit natus ex muliere,
Isai 53 7. factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Fuit itaque &
Gal.4.5. ipse sub lege miseriæ : sed fuit quia voluit, vt liber inter miseros & peccatores vtrumque jugum fraternis à ceruicibus excuteret. Habuit itaque totas tres libertates, primam ex humana simul & diuina natura, reliquas ex diuina potentia. Quarum duas posteriores vtrum, & primus homo in paradiso habuerit, vel quomodo & quatenus eas habuerit, postea videbimus.

CAPUT IV.

QUALIS LIBERTAS COMPETAT ANIMABUS SANCTIS carne solutis : quæue Deo, & omni creaturæ rationali communis.

9. HOc autem indubitanter sciendum, vtramque plenam atque perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum Deo pariter & Christo ejus, atque Angelis supercœlestibus. Nam sanctis animabus, & si necdum corpora receperunt, deest quidem de gloria ; sed nihil prorsus inest de miseria. Verùm libertas à necessitate æquè & indifferenter Deo vniuersæque tam malæ quam bonæ rationali conuenit creaturæ. Nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur ; nec major in justo est, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine. Quomodo namque ad bonum per gratiam conuersus humanæ voluntatis consensus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non inuitus pertrahitur : sic sponte deuolu-

Ad

in malum, in malo nihilominùs tàm liberum, quàm ſpontaneum conſtituit, ſua vtique voluntate ductum, non aliunde coactum vt malus ſit. Et ſicut cœleſtis Angelus, aut etiam Deus ipſe, permanet liberè bonus propria videlicet voluntate, non aliqua extrinſeca neceſsitate: ſic profectò diabolus æquè liberè in malum, & corruit, & perſiſtit, ſuo vtique voluntario nutu, non alieno impulſu. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam ſit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm in bonis, ſed in bonis ordinatior; tam integra quoque pro ſuo modo in creatura, quàm in Creatore, ſed in illo potentior.

10. Quod autem homines ſolent conqueri, & dicere: Volo habere bonam voluntatem, & non poſſum; nequaquam huic præſcribit libertati, vt quaſi vim aut neceſsitatem in hac parte voluntas patiatur: ſed planè illa libertate, quæ dicitur à peccato, ſe carere teſtantur. Nam qui vult habere bonam volũtatem, probat ſe habere volũtatem, non enim vult habere bonam, niſi per voluntatem. Quòd ſi voluntatem, & libertatem, ſed libertatem à neceſsitate, non à peccato. Nempe vt non valeat, cùm velit, habere bonam ſentit quidem ſibi deeſſe libertatem, ſed profectò libertatem à peccato, quo vtique dolet premi, non perimi voluntatem. Quanquam jam proculdubio vtcumque bonam habet, vbi habere vult. Bonum quippe eſt quod vult; nec poſſet bonum velle, niſi bona voluntate: ſicut nec velle malum, niſi mala voluntate. Cùm bonum volumus, bona eſt voluntas; cùm malum volumus, mala eſt voluntas. Vtrobique voluntas, & vbique libertas: cedit ſiquidem voluntati neceſsitas. Cùm autem non valemus quod volumus; ſentimus quidem ipſam quodammodo libertatem peccato eſſe captiuam, vel miſeram, non tamen amiſſam.

11. Ex hac ergo tantùm libertate qua liberum eſt voluntati ſe ipſam judicare: vel bonam, ſi bono; vel malam, ſi malo conſenſerit. (quippe quæ in neutro, niſi certè volendo, conſentire ſe ſentit) liberum arbitrium credimus nominari. Nam ex illa quæ dicitur à peccato, congruentiùs forſitan liberum conſilium; & item ex illa quæ dicta eſt à miſeria, liberum potiùs complacitum poſſet dici, quàm liberum arbitrium. Arbitrium quippe judicium eſt. Sicut verò judicii eſt diſcernere quid liceat, vel quid non liceat: ſic profectò conſilii probare quid expediat, vel non expediat; ſic complaciti quoque experiri quid libeat, vel non libeat. Vtinam tam liberè nobis conſuleremus, quàm liberè de nobis judicamus! Vt quemadmodùm liberè per judicium licita illicitaque decernimus; ita per conſilium & licita, tanquam commoda, nobis eligere; & illicita, tanquam commoda, noxia reſpuere liberum haberemus. Iam enim non ſolùm liberi arbitrii, ſed & liberi proculdubio conſilii, ac per hoc, & à peccato liberi eſſemus. Sed quid ſi totum, ſolumque quod expediret, vel liceret, etiam liberet?

liberet? Nonne liberi quoque esse complaciti meritò diceremur, quippe qui ab omni proinde, quod displicere potest, hoc est ab omni nos miseria liberos sentiremus? Nunc autem cùm multa per judicium vel admittenda vel omittenda esse decernamus, quæ tamen per consilium nequaquam pro judicii rectitudine aut eligimus, aut contemnimus: rursumque non omnia, quæ tanquam recta & commoda consultè obseruamus, etiam vt beneplacita libenter amplectimur, sed insuper quasi dura ac molesta vix æquanimiter ferre perduramus: liquet quia liberum nec consilium habemus, nec complacitum.

12. Alia quæstio est, Si vel ante peccatum in primo homine habuimus: quod loco suo discutietur. Certissimè autem habituri sumus, cùm Deo miserante obtinebimus quod oramus: *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in terra.* Hoc nempe complebitur, quando id quod nunc cuncta passim rationali (vt jam dictum est) creaturæ commune videtur, liberum scilicet à necessitate arbitrium, erit etiam in electis hominibus (vt jam in sanctis est Angelis) & cautum à peccato, & tutum à miseria, probantibus tandem triplicis libertatis felici experientia, quæ sit bona voluntas Dei, ac beneplacens & perfecta. Quod quia necdum est, sola interim plena integraque manet in hominibus libertas arbitrii. Nam libertas consilii ex parte tantùm, & hoc in paucis spiritalibus, qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentiis, quatenus iam non regnet peccatum in eorum mortali corpore. Porrò vt non regnet, libertas facit consilii; vt tamen non desit ex integro, captiuitas est liberi arbitrii. Cùm autem venerit quod perfectum est, tunc euacuabitur quod ex parte est: hoc est cùm plena fuerit libertas consilii, nulla jam erit captiuitas arbitrii. Et hoc est quod quotidie petimus in oratione, cùm dicimus Deo: *Adueniat regnum tuum.* Regnum hoc necdum ex toto peruenit in nos. Quotidie tamen paulatim aduentat, sensimque in dies magis ac magis dilatat terminos suos: in his duntaxat, quorum per Dei adjutorium interior homo renouatur de die in diem. In quantum ergo regnum gratiæ dilatatur, in tantum peccati potestas minuitur. In quantum verò minus est adhuc propter corpus mortis quod aggrauat animam, & ob necessitatem terrenæ inhabitationis vtique deprimentis sensum multa cogitantem: necesse habent etiam qui perfectiores in hac mortalitate videntur confiteri & dicere: *In multis offendimus omnes.* Et, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quapropter orant & ipsi sine intermissione, dicentes: *Aduenias regnum tuum.* Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum non solùm non regnet in eorum mortali corpore, sed nec sit omnino, nec esse possit in immortali jam corpore.

Mat.6.10

Mat.6.10

Iac.3.2.
1. Ioan.1.8.
Mat.6.10

***

CAPUT V.

AN LIBERTAS A MISERIA, SEU COMPLACITI, DETUR IN hoc sæculo.

13. IAm de libertate complaciti in hoc sæculo nequam quid dicemus? vbi vix sufficit diei malitia sua; vbi omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc vanitati nimirum subjecta non volens; vbi vita hominis tentatio est super terrã: vbi viri quoque spirituales, qui primitias spiritus jam acceperunt, ingemiscunt & ipsi intra semetipsos, expectantes redemptionem corporis sui. Nunquidnam inter ista locus vllus est hujuscemodi libertati? Quid, inquam, liberum nostro relinquitur complacito, vbi totum occupare videtur miseria? Neque enim vel innocentia seu justitia, quemadmodum à peccato, ita etiam à miseria tutæ esse hic poterunt, vbi justus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & item: *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Vbi dies noctesque in mœrore continuantur, nullum profectò temporis spatium complacito vacuum relinquitur. Denique qui piè volunt viuere in Christo, ipsi magis persecutionem patiuntur; quoniam judicium à domo Dei incipit. Quod & præcipit: A meis, inquiens, incipite. *Rom. 7. 24. Ps. 41. 3.*

14. Sed & si non virtus, vitium fortè in tuto est, & aliqua interim ex parte frui potest complacito, cauere miseriam. Absit. Nam qui lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus pessimis: tale est quod faciunt, quale cùm rident phrenetici. Nulla autem verior miseria, quàm falsa lætitia. Denique in tantum miseria est, quod videtur felicitas in hoc sæculo vt sapiens dicat: *Melius est ire ad domum luctùs, quam ad domum conuiuij.* Est quidem in bonis corporis nonnulla jucunditas, videlicet in edendo, bibendo, calefaciendo, ceterisque talibus fomentis, vel tegumentis carnis: sed nunquid vel ista vacant aliquatenus à miseria? Bonus est panis, sed esurienti; potus delectat, sed sitientem: denique saturato cibus, potusque jam nequaquam sunt grata, sed grauia. Tolle famem, & panem non curabis; tolle sitim, & limpidissimum fontem, ac si paludem respicies. Similiter vmbram non quærit nisi æstuans; solem non curat nisi algens sine caligans. Alioquin nihil horum libebit, si non præcesserit vrgens necessitas. Quæ si perfectè tollatur è rebus, statim in tædium atque molestiam conuerteretur ipse quoque quæ videtur in his esse jucunditas. Fatendum igitur & in hac parte, omne quod præsentis vitæ est, occupare miseriam: nisi quod in tribulationibus continuis grauiorum laborum, leuiores vtique sint qualescunque consolationes: & dum fortè pro tẽpore ac rerum euentibus vicissim sibi grauia leuiaque succedunt, minorum experientia, aliqua miseriæ videtur interpolatio; vt cùm aliquando, post expertæ plura *Eccl. 7. 3.*

gra-

grauissima, in minùs fortè molesta euaditur, felicitas putetur.

15. Attamen fatendum est eos qui per excessum contemplationis rapti quandoque in spiritu, quantulumcumque de supernæ felicitatis dulcedine degustare sufficiunt, toties esse liberos à miseria, quoties sic excedunt? Hi planè (quod negãdum non est) etiam in hac carne, rarò licèt raptimque, complaciti libertate fruuntur, qui cum Maria optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab eis. Qui enim jam tenent quod auferendum non est, experiuntur vtique quod futurum est. Sed quod futurum est, felicitas est: porrò felicitas & miseria eodem tempore simul esse non possunt. Quoties igitur per spiritum illam participant, toties istam non sentiunt. Itaque in hac vita soli contemplatiui possunt vtcumque frui libertate complaciti: & hoc ex parte, & parte satis modica viceque rarissima. Porrò libertate consilii fruuntur etiam quilibet justi; ex parte quidem, sed non modica. Cetèrum libertas arbitrii (vt suprà liquido apparuit) cunctis pariter ratione vtentibus conuenit; non minor quantum in se est, in malis, quàm in bonis; tam plena in hoc sæculo, quàm in futuro.

CAPUT VI.

AD VOLENDUM BONUM GRATIAM OMNINO necessariam.

16. SEd & hoc satis apertè monstratum est puto, quòd hæc ipsa tamen libertas tamdiu quodammodo captiua tenetur, quandiu illam duæ aliæ libertates minimè, aut minùs plenè comitantur; nec aliunde noster ille defectus venit, de quo Apostolus: *Ut non quæcumque vultis, aut, illa faciatis.* Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quod volumus. Non dico velle bonum, aut velle malum: sed tantum velle. Velle enim bonum profectus est; velle malum defectus. Velle verò simpliciter, ipsum est quod vel proficit, vel deficit. Porrò ipsum vt esset creans gratia fecit; vt proficiat, saluans gratia facit; vt deficiat ipsum se dejicit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud est timere Deum; & aliud amare simpliciter aliud est amare Deum: quippe timere & amare, simpliciter quidem prolata, affectiones; cum additamento autem virtutes significant; ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum.

Gal. 5. 17.

17. Simplices namque affectiones insunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis: additamenta ex gratia. Nec aliud profectò est, nisi quod gratia ordinat, quas donauit creatio: vt nil aliud sint virtutes nisi ordinatæ affectiones. Scriptum est de quibusdam, quòd illic trepidassent timore, vbi non erat timor. Timor fuit sed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in Discipulis, cùm diceret *Luc. 12. 5.* *Ostendam vobis quem timere debeatis.* Et Dauid: *Venite, ait, filii au-* *Ps. 33. 12.*

me; timorem Domini docebo vos. Item de amore inordinato arguebat homines qui dicebat: *Ego lux veni in hunc mundum; & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Idcirco postulat Sponsa in Canticis, dicens: *Ordinate in me charitatem.* Similiter quoque de inordinata voluntate arguebantur, quibus dicebatur. *Nescitis quid petatis.* Sed ad lineam rectitudinis edocti sunt distortam reducere voluntatem, cùm audierunt: *Potestis bibere calicem, quem ego bebiturus sum?* Et tunc quidem verbo, sed postmodum etiam exemplo voluntatem ordinare docebat, cùm orans instante passione vt transferretur ab eo calix, statim subjiceret: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis.* A Deo igitur velle, quomodo & timere, quomodo & amare, accepimus in conditione naturæ, vt essemus aliqua creatura: velle autem bonum, quomodo & timere Deum, quomodo & amare Deum, accipimus in visitatione gratiæ, vt simus Dei creatura.

Ioan. 3. 19. *Cant.* 2. 4. *Marc.* 10. 8. *Ibidem.* *Matt.* 26. 39.

18. Creati quippe quodammodo nostri in liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porrò bonam facit, qui liberam fecit; & ad hoc bonam, vt simus initium aliquod creaturæ ejus: quoniam expedit profectò nobis magis omnino nō fuisse, quàm nostros permanere. Nam qui voluerūt sui esse, utique sicut dii, scientes bonum & malum; facti sunt, non tantùm jam sui, sed & diaboli; Itaq̃ libera volūtas nos facit nostros: mala bona, Dei. Ad hoc pertinet quod dicitur: *Nouit Dominus qui sunt ejus.* Nam illis qui ejus nō sunt *Amen dico vobis*, inquit, *nescio vos.* Cùm ergo per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodo interim non sumus Dei: sicut cùm per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli. *Nemo* siquidem *potest duobus domini seruire.* Ceterùm siue Dei sumus, siue diaboli; non tamen similiter desinimus esse & nostri. Manet quippe vtrobique libertas arbitrii, per quam maneat & causa meriti: quatenus merito vel puniamur mali, vel tanquã liberi ex propria voluntate efficimur: vel glorificemur boni, quòd nisi æquè voluntarii esse nō possumus. Sanè diabolo nostra nos mãcipat voluntas, non ipsius potestas: Deo subjicit ejus gratia, non nostra voluntas: Deo subjicit ejus gratia, non nostra voluntas. Nam quippe volūtas bona (quod fatendum est) à bono Deo creata, perfecta tamen non erit, quò vsque suo Creatori perfectè subjecta sit. Absit autē vt ipsi sui ipsius perfectionem, Deo autem tãtùm creationem tribuamus; cùm longè nimirum melius sit esse perfectam, quàm factam: & dictu ipso nefas videatur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere. Sentiens denique Apostolus quid ex natura esset, quid ex gratia expectaret, sciebat: *Velle adjacet mihi, perficere non inuenio.* Sciebat profectò, velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio: sed vt ipsum velle perfectum haberet, gratiam se habere necessariam. Si enim velle malum, defectus quidem est voluntatis; vtique bonum velle, profectus ejusdem erit: sufficere verò ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio.

Matt. 6. 24. *Rom.* 7. 18.

19. Vt ergo velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, per-

perfectum habeamus; duplici gratiæ munere indigemus,& verò videlicet ſapere, quod eſt voluntatis ad bonum conuerſio; & pleno etiam poſſe, quod eſt ejuſdem in bono confirmatio. Porrò perfecta conuerſio eſt ad bonum, vt nihil libeat niſi quod deceat vel liceat; perfecta in bono confirmatio, vt nihil deſit jam quod libeat. Tunc demum perfecta erit voluntas, cùm plenè fuerit bona, & bene plena. Habet ſiquidem duplex in ſe bonum ab initio ſui: vnum quidem generale ex ſola creatione, quòd à bono ſcilicet Deo non potuit creari niſi bona, ſecundùm quod vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: alterum ſpeciale ex libertate arbitrii, in qua ad imaginem vtique ipſius qui creauit, eſt condita. Quòd ſi duobus his bonis accedat & tertium, conuerſio ſcilicet ad Creatorem; reputabitur non immeritò perfectè bona: bona nimirum in vniuerſitate, melior in ſuo genere, optima in ſua ordinatione. Eſt autem ordinatio omnimoda conuerſio voluntatis ad Deum, & ex tota ſe voluntaria deuotaque ſubjectio. Huic verò tam perfectæ juſtitiæ debetur, immo jungitur gloriæ plenitudo: quia ſic ſe comitantur duo iſta, vt nec juſtitiæ poſsit haberi perfectio, niſi in plena gloria; nec gloriæ plenitudo, abſque perfecta juſtitia. Meritò denique talis juſtitia non erit ſine gloria, cùm gloria vera non ſit niſi de tali juſtitia. Vnde rectè dicitur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Matt. 5. 6

20. Hæc autem ſunt illa duo quæ ſupra nominauimus, verum ſapere & plenum poſſe: vt *ſapere* ad juſtitiam, *poſſe* referatur ad gloriam. Sed verum & plenum addita ſunt, alterum ad diſtinctionem ſapientiæ carnis, quæ mors eſt; itemque ſapientiæ mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum, qua & ſapientes apud ſemetipſos ſunt homines, *Sapientes*, inquam, *vt faciant mala*; alterum ad illorum differentiam, de quibus dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. 7. Nam verum ſapere, aut plenum poſſe omnino non inueniuntur, niſi vbi libero arbitrio iam illa duo conjuncta ſunt, quæ item ſuperiùs memorauimus, liberum videlicet conſilium, liberumque complacitum. Solùm profectò dixerim verè ſapientem, plenèque potentem, cui jam non tantùm velle adjacet ex libero arbitrio, ſed ex reliquis quoque duobus inuenit & perficere: dum nec velle valeat quod malum ſit, nec carere quod velit: quorum alterum eſt ex libertate conſilii, id eſt verum ſapere; alterum ex libertate complaciti, ſcilicet plenum poſſe. Sed quis talis eſt ac tantus in hominibus, qui in hoc glorietur? Aut vbi, aut quando iſtud obtinetur? Numquidnam in hoc ſæculo? Sed ſi quis eſſet hujuſmodi, major eſſet Paulo, qui confitetur dicens: *Perficere autem non inuenio.* Rom. 7. 18. Numquid Adam in paradiſo? Sed ſi habuiſſet, numquam exſulaſſet à paradiſo.

CAPUT VII.

VTRUM PRIMI HOMINES IN PARADISO TRINA ILLA libertate prediti fuerint, & post peccatum.

11. NUnc locus est peruidendi quod supra distulimus, vtrùm scilicet totas tres illas quas diximus libertates, id est, Arbitrij, Consilii, Complaciti; vel aliis nominibus, à necessitate, à peccato, à miseria, primi homines in paradiso habuerint: an tantùm duas, an vnam solummodo. Et de prima quidem nulla jam quæstio est, si meminerimus, quam apertè & justis eam, & peccatoribus inesse æqualiter, ratio superior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immeritò, an vnquam eas Adam habuerit, aut ambas, aut vel vnam. Nam si nullam, quid amisit? Arbitrii vtique libertatem tam post peccatum, quàm antè semper tenuit inconcussam. Si ergo nihil amisit, quid ei obfuit ejectum fuisse de paradiso? Quod si vnam quamlibet illarum habuit, quomodo amisit? Nam certum est quia ex quo peccauit, nec à peccato prorsus, nec à miseria manens in corpore, liber fuit. Ceterùm nullatenus, quamcumque illarum semel acceperit, amittere potuit. Alioquin perfectum nec sapere, nec posse, juxta quod quidem duo hæc superiùs definita sunt, habuisse conuincitur: qui nimirum & velle potuit quod non debuit, & accipere quod noluit. An dicendus est aliquo quidem modo illas habuisse, sed quia non plenariè potuisse amittere? Habet si quidem vnaquæque illarum duos gradus, superiorem & inferiorem. Superior, libertas consilii est, non posse peccare: inferior posse non peccare. Item superior libertas complaciti, non posse turbari: inferior posse non turbari. Itaque inferiorem vtriusque libertatis gradum simul cum plena libertate arbitrii homo in sui conditione accepit, & de vtroque corruit cùm peccauit. Corruit autem de posse non peccare in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Itemque de posse non turbari in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii per quam vtique ceteras amisit; ipsam tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem seruus peccati factus, meritò perdidit libertatem consilii. Porrò per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam libertatem valebat retinere complaciti?

22. De tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis sese priuauit. In eo autem abusus est, quòd illam cùm accepisset ad gloriam, conuertit sibi in contumeliam, juxta testimonium Scripturæ dicentis: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogatiuam liberi arbitrii. Datum est autem, non vt proinde peccaret, sed vt glorioſior inde appareret si non peccaret, cùm peccare posset. *Ps.48.13.*

Quid

Eccl. 31. 9 Quid namque glorioſius ei eſſe poterat, quam ſi de ipſo diceretur quod Scriptura perhibet, dicens: *Quis eſt hic, & laudabilimus eum?* Vnde ita laudandus? *fecit enim mirabilia in vita ſua.* Quæ? *Qui potuit tranſgredi*, inquit, *& non eſt tranſgreſſus; facere mala & non fecit.* Hunc ergo honorem quamdiu abſque peccato fuit, ſeruauit; amiſit, cùm peccauit. Peccauit autem, quia liberum ei fuit: nec aliunde profectò liberum, niſi ex libertate arbitrij, de qua vtique inerat ei poſsibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, ſed abutentis, qui ipſam videlicet facultatem conuertit in vſum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etſi peccauit ex poſſe quod accepit: non tamen quia potuit, ſed quia voluit. Nec enim præuaricante diabolo, & angelis eius, etiam alij præuaricati ſunt: non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt.

23. Peccantis igitur lapſus, non dono adſcribendus eſt poteſtatis, ſed vitio voluntatis. Lapſus tamen ex voluntate non æquè ex voluntate reſurgere iam liberum habet: quia & ſi datum fuit voluntati poſſe ſtare ne caderet, non tamen reſurgere ſi caderet. Non enim tam facilè quis valet exire de fouea, quam facilè in eam labi. Cecidit ſola voluntate homo in foueam peccati: ſed non ex voluntate ſufficit & poſſe reſurgere, cùm iam & ſi velit, non poſsit non peccare.

CAPUT VIII.

LIBERTATEM ARBITRIJ REMANERE POST peccatum.

24. QUid ergo? Perijt liberum arbitrium, quoniam non poteſt non peccare? Nequaquam: ſed liberum perdidit conſilium, per quod prius habuit poſſe non peccare: quomodo & quod iam non valet vtique non turbari, inde miſero accidit, quod complaciti quoque libertatem amiſerit, per quam & ante habuit poſſe non turbari. Manet ergo, etiam poſt peccatum, liberum arbitrium, etſi miſerum, tamen integrum. Et quod ſe per ſe homo non ſufficit excutere à peccato ſiue miſeria, non liberi arbitrij ſignat deſtructionem, ſed duarum reliquarum libertatum priuationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in ſe eſt, pertinet, aut aliquando pertinuit poſſe, vel ſapere, ſed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec ſapientem, ſed tantum volentem. Non ergo ſi potens aut ſapiens, ſed tantùm ſi volens eſſe deſierit, liberum arbitrium amiſiſſe putanda erit. Vbi enim non eſt voluntas, nec libertas. Non dico ſi velle bonum, ſed ſi velle omnino creatura deſierit; fatendum ſine contradictione, vbi non iam ex voluntate bonitas, ſed ipſa ex toto voluntas perijt, etiam liberum deperire arbitrium. Quod ſi velle bonum tantùm perijt, ſignum eſt quod ei deſit liberum, non arbitrium, ſed conſilium. Si autem non quidem velle, ſed ad id quod iam vult bonum, ei poſſe defuerit; nouerit ſibi deeſſe liberum complaci-

tum.

tum, non liberum perijſſe arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita vbique ſequitur voluntatem, vt niſi illa penitus eſſe deſinat, iſto non careat; voluntas vero ſicut in bono, ita etiam in malo æquè perdurat: æquè profectò & liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perſeuerat. Et quomodo voluntas etiam poſita in miſeria non deſinit eſſe voluntas, ſed dicitur, & eſt miſera voluntas, ſicut & beata voluntas: ita nec liberum arbitrium deſtruere, ſiue quantum in ſe eſt aliquatenus imminuere poterit quæcumque aduerſitas vel neceſsitas.

25. Sed licet vbique pariter ſine ſui diminutione perduret; non tamen pariter, ſicut de bono potuit per ſe in malum corruere, ita quoque per ſe de malo in bonum poterit reſpirare. Et quid mirum ſi iacens non valet per ſe reſurgere, quod ſtans in aliquod melius nullo ſuo conatu valeat proficere? Denique dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte ſecum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad ſuperiora aſcendere, hoc eſt de poſſe non peccare, & de poſſe non turbari, ad non poſſe peccare, & non poſſe turbari. Quod ſi libertatibus illis etiam vt cumque adiutum, non præualuit tamen de bono in melius ſe extendere; quanto minus eiſdem prorſus deſtitutum, de malo in id quod fuit bonum, poterit per ſe ipſum emergere?

26. Habet igitur homo neceſſarium Dei virtutem, & Dei ſapientiam Chriſtum, qui ex eo quod ſapientia eſt, verum ei ſapere reinfundat in reſtaurationem liberi conſilij; & ex eo quod virtus eſt, plenum poſſe reſtituat, in reparationem liberi complaciti: quatenus ex altero perfectè bonus, peccatum iam neſciat; ex altero plenè beatus, nil aduerſum ſentiat. Sed ſanè iſta perfectio in futura vita expectetur, quando vtraque nunc amiſſa libertas, libero arbitrio plenè reſtaurabitur; non quomodo iuſto cuiuis in hoc ſæculo, quantumcumque perfecto; non quomodo vel ipſis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiſo: ſed ſicut iam nunc Angeli poſsident in cœlo. Interim verò ſufficiat in hoc corpore mortis atque in hoc ſæculo nequam, ex libertate quidem Conſilij peccato non obedire in concupiſcentia: ex libertate autem complaciti aduerſa non formidare pro iuſtitia. Eſt autem in hac carne peccati, & in hac dici malitia non medioere Sapere, peccato etſi non ex toto carere, certè non conſentire: & eſt poſſe non paruum, aduerſa, etſi necdum feliciter omnino non ſentire, viriliter tamen pro veritate contemnere.

27. Dicendum ſanè hic interim nobis eſt ex libertate Conſilij iam libertate arbitrij non abuti, vt plenè quandoque frui poſsimus libertate Complaciti. Sic profectò Dei in nobis reparamus imaginem, ſic antiquo honori illi capeſſendo, quem per peccatum amiſimus per gratiam præparamur. Et beatus qui de ſe audire merebitur. *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua;* Eccl. 31. 9

sua; qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere malum & non fecit.

CAPUT IX.

IMAGINEM ET SIMILITUDINEM DEI, AD QUAM conditi sumus in triplici libertate consistere.

28. PUto autem in his tribus libertatibus ipsam, ad quam conditi sumus, Conditoris imaginem atque similitudinem contineri, & imaginem quidem in libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipertitam quamdam consignari similitudinem. Hinc est fortasis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ, & incommutabilis diuinitatis substantiua quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de iustitia vel gloria capit augmentum: nec de peccato siue miseria detrimentum. Quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porro in alijs duabus libertatibus, quoniam non solùm ex parte minui, sed ex toto amitti possunt; accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ diuinæ, imagini superducta cognoscitur. Denique & amisimus illas per culpam, & per gratiam recuperauimus: & quotidie quidem, alij plus, alij minus, aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, vt iam non valeant recuperari: possunt & ita possideri, vt nec amitti queant aliquando, nec minui.

29. Huius bipertitæ similitudinis sapientiæ & potentiæ Dei, non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior, homo conditus est in paradiso. Quid enim vicinius ad non posse peccare, vel turbari (in quo vtique iam Sanctos & Angelos stare, & Deum semper esse dubium non est) quam posse & non peccare, & non turbari in quo homo profectò creatus est? A quo illo per peccatum, immo nobis in illo, & cum illo corruentibus, rursus per gratiam, non quidem ipsum, sed pro ipso quemdam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hic possumus penitus esse sine peccato, seu miseria: possumus tamen, gratia iuuante, nec peccato superari nec miseria. Quamquam tamen Scriptura loquatur, *Omne quod natum est ex Deo, non peccat.* Sed hoc dictum est de
1. *Ioan.* 3. 4. prædestinatis ad vitam; non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in caritate absconditur. *Caritas*, quippe, *cooperit multitudinem peccatorum*, & *Beati quorum remissæ iniquitates*, & *quo-*
1. *Pet.* 4. 8 *rum tecta sunt peccata*, & *Beatus vir cui non imputauit Dominus*
Psal. 31. 1 *peccatum.* Diuinæ ergo similitudinis summum gradum summi Angeli tenent, nos infimum: Adam tenuit medium, porrò dæmones nullum. Supernis nempe spiritibus datum est sine peccato, & miseria perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam per-

permanere: nobis verò ne esse quidem absque his, sed ipsis tantùm non cedere. Ceterùm diabolus, & membra eius, sicut numquam volunt reluctari peccato, sic numquam possunt pœnam declinare peccati.

30 Cùm ergo istæ duæ libertates, Consilij scilicet atque Complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia, & potentia ministratur, ita Deo, prout vult, dispensante quibusque pro causis, locis, temporibus, varientur; quatenus in terris modicè, in cœlestibus plenarie, mediocriter in paradiso, apud inferos nullatenus habeantur: libertas verò arbitrij de ipso, quo condita est, statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter semper (quantum in se est) à cœlis, terris, inferis possideatur: meritò illæ similitudini, hæc imagini deputantur. Et quidem apud inferos, quod vtraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, Scripturarum testatur auctoritas. Nam verum illic sapere, quod vtique de Consilij libertate concipitur, omnino non esse, locus ille manifestat, vbi legitur: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas.* Porro de potentia, quæ per libertatem Complaciti datur, Euangelium sic loquitur. *Ligatis manibus ac pedibus, projicite eum in tenebras exteriores.* Quid enim est manuum pedumque ligatio, nisi omnimoda potestatis ablatio? *Eccl. 9. 10* *Matt. 22. 13.*

31 Sed dicit aliquis: Quomodo non est ibi aliquod sapere, vbi mala quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum quæ facta sunt? Numquid aut in tormentis quispiam non pœnitere; aut pœnitere mali, non esse sapere potest? Hoc autem rectè opponeretur, si opus tantùm peccati, & non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippe dubium est, quod nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen si voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, vt ideo sapere quis putetur, quod iam in medijs flammis luxuriari non libeat? Denique in malenolam animam non introibit sapientia. Vnde autem probabimus quod mala, & in pœnis voluntas perseueret? Certe, vt cætera omittam, nollent omnino puniri. Iustum est autem puniri qui punienda gesserunt. Nolunt igitur quod iustum est. Sed qui non vult quod iustum est, iusta eius voluntas non est. Eo ergo in iusta, ac per hoc & mala est voluntas, quo iustitiæ non concordat. Duo sunt quæ iniustam comprobant voluntatem, vel cùm peccare, vel cùm impunè peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit quamdiu licuit, & cùm iam non possunt, inultum manere volunt quod peccauerunt; quid in hoc sapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis apparet? Sed esto, pœniteat eos peccasse: numquid non tamen, si optio detur, malint adhuc peccare, quam pœnam sustinere peccati? Et tamen illud iniquum est, hoc iustum. Quando verò voluntas bona magis quod iniquum, quam quod iustum est eli-

eligeret? Ceterùm non verè pœnitent, qui non tam dolent se sibi vixisse, quam hoc ipsum iam non posse. Denique foris ostenditur quid intus agatur. Nam quamdiu corpus viuit in flamma, tamdiu constat in malitia persistere voluntatem. Itaque de similitudine quæ in Consilij, & item Complaciti libertate continetur, apud inferos penitus nihil est, nec esse potest, imagine tamen etiam illic per liberum arbitrium immobili permanente.

CAPUT X.

SIMILITUDINEM DIUINÆ IMAGINIS IN NOBIS reformari per Christum.

32. SED neque in hoc sæculo æquè inueniri vspiam posset similitudo, sed adhuc hic fœda & deformis iacuisset imago, si non euangelica illa mulier lucernam accenderet, id est sapientia in carne appareret, euerreret domum, videlicet vitiorum, dragmam suam requireret quam perdiderat; hoc est imaginem suam, quæ natiuo spoliata decore, sub pelle peccati sordens, tamquam in puluere latitabat; inuentam tergeret, & tolleret de regione dissimilitudinis; pristinamque in speciem reformatam, similem faceret illam in gloria sanctorum, immo sibi ipsi per omnia redderet quan-
1. *Ioan.* 3. 2. doque conformem, cùm illud Scripturæ videlicet impleretur: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Et reuera cui potiùs id operis congruebat, quam Dei filio, qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portans verbo vniuersa, ex vtroque facilè munitus apparuit, & vnde reformaret deformem, & vnde debilem confortaret: dum & de splendore figuræ fugans tenebras peccatorum, redderet sapientem; & ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentè efficeret.

33. Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium: quia vt pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat & formatum. Forma autem, sapientia est: conformatio, vt faciat imago in corpore, quod forma facit in or-
Sap. 9. 1. be. Porrò illa *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Attingit *à fine vsque ad finem*, hoc est à summo cœlo vsque ād inferiores partes terræ; à maximo Angelo vsque ad minimum vermiculum. *Attingit* autem *fortiter*, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantum officiali administratione; sed substantiali quadam, & vbique præsenti fortitudine, qua vtique vniuersa potentissimè mouet, ordinat, administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate: sed disponit omnia suauiter placita voluntate. Vel certè *attingit à fine vsque ad finem*, hoc est abortu creaturæ vsque ad finem destinatum à Creatore: siue in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia. *Attingit fortiter*, dum nil horum euenit, quod non prout vult potenti prærordinet prouidentia.

34. Sic ergo & liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, vt præest sapientia orbi, *attingens* & ipsum *à fine vsque ad finem fortiter*; imperans scilicet singulis sensibus, & artubus tam potenter, quatenus non signat regnare peccatum in suo mortali corpore, nec membra sua det arma iniquitati, sed exhibeat seruire justitiæ. Et ita iam non erit homo seruus peccati, cùm peccatum non fecerit: à quo vtique liberatus, iam libertatem recuperare Consilij, iam suam incipiet vindicare dignitatem, dum diuinæ in se imagini condignam vestierit similitudinem, immò antiquam reparauerit venustatem. Curet autem hæc agere, non minus *suauiter* quam *fortiter*, hoc est non ex tristitia aut ex necessitate; quod est initium, non plenitudo sapientiæ; sed prompta & alacri voluntate, quod facit acceptum sacrificium: quoniam hilarem datorem diligit Deus. Sicque per omnia imitabitur sapientiam, dum & vitijs resistet fortiter, & in conscientia requiescet suauiter.

35. Verùm cuius ad talia prouocamur exemplo, indigemus & auxilio: quo ipsi videlicet per ipsam conformemur, atque in eamdem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. Ergo si à Domini spiritu iam non à libero arbitrio. Nemo proinde putet ideò dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum, & malum potestate aut facilitate versetur: cùm cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli sancti, cùm ita sint boni, vt non possint esse mali; nec præuaricatores item Angeli, cùm ita sint mali vt iam non valeant esse boni; liberi arbitrij esse dicentur. Sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando vtique inseparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus. Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quod ille non potest esse malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Nunc igitur ex eo potiùs liberum arbitrium dicitur, quod siue in bono, siue in malo, æquè liberam faciat voluntatem: cùm nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali iam ratione non incongruè dicetur ad bonum se, & ad malum habere æqualiter: quod vtrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.

CAPUT XI.

LIBERO ARBITRIO NIHIL DEROGARI PER GRATIAM, neque per tentationem.

36. HAC sanè dignitatis (vt dictum est) prærogatiua rationalem singulariter creaturam Conditor insigniuit, quod quemadmodum ipse sui iuris erat, suæque ipsius voluntatis, non ne-

necessitatis erat quod bonus erat: ita & illa quoque sui quodammodo iuris in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate, aut mala fieret, & iustè damnaretur: aut bona maneret, & merito saluaretur. Non quod ei propria posset sufficere voluntas ad salutem; sed quod eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. Nemo quippe saluatur inuitus. Nam quod legitur in Euangelio: *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum*; item in alio loco, *Compelle intrare*, nihil impedit: quia profectò quantoscumque trahere, vel coupellere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult saluos fieri: nullum tamen iudicat salute dignum, quem antè non probauerit voluntarium. Hoc quippe intendit, cùm terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non saluet inuitos: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem. Quamquam tamen non semper inuiti trahimur: nec enim cæcus aut fessus contristatur cum trahitur. Et Paulus ad manus tractus est Damascum, vtique non inuitus. Trahi denique specialiter volebat, quæ & hoc ipsum magnopere flagitabat in Canticis: *Trahe me*, inquit, *post te, in odorem curremus unguentorum tuorum.*

Ioan.6.44.

Cant.1.3.

37. Deinde quod è regione scriptum est: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia propria abstractus, & illectus*; & illud, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*; & item illud Apostoli, *Inuenio aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis*; hæc omnia putari possunt cogere voluntatem, & præripere libertatem. At verò quantislibet quis intus foriſue tentationibus vrgeatur, libera profectò semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit: libere quippe de suo nihilominus consensu iudicabit. Quantum autem pertinet ad consilium siue complacitum, carnis interim concupiscentia, vitæque miseria reluctante, minus quidem se liberam sentit: sed prorsus non malam, dum malo non consentit. Denique Paulus, qui captiuum se in legem peccati trahi conqueritur, haud dubium quin ex minùs plena libertate consilij: consensum tamen sanum, atque in bono quoque iam ex magna parte se habere liberum gloriatur: *Iam non ego*, inquiens, *operor illud.* Vnde hoc confidis, ò Paule? *Quoniam consentio*, inquit, *legi Dei, quoniam bona est, & rursum condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem.* Oculo existente simplici, totum corpus lucidum esse præsumit. Sano consensu tractum licet peccato, vel captiuum miseria liberum se in bono profiteri non dubitat. Vnde & fidens generaliter infert: *Nihil ergo damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.*

Iac.1.14.
Sap.9.15.
Rom.7.23.

CAP.

CAPUT XII.

AN NEGANS FIDEM METU MORTIS AC PŒNARUM, excusetur à culpa, vel destinatur libero arbitrio: vbi negatio Petri discutitur.

38. SED videamus de his, qui pœnarum mortisue timore fidem verbo tenus negare compulsi sunt: ne fortè iuxta hanc assertionem, aut culpa non fuerit, quod vel voce negauerunt; aut cogi in culpam, & voluntas potuerit, vt vellet videlicet homo quod eum, & nolle constiterit; & sic perierit liberum arbitrium. Quod quia impossibilè erat (velle quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) quæritur vnde malum nequaquam volentibus malum debuit imputari. Neque enim tale est hoc, quale originale peccatum: quo non solum non consentiens, verum plerumque & nesciens, alia ratione constringitur necdum renatus baptismate. Exempli causa, veniat in medium Petrus Apostolus. Ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem: si quidem aut negare aut mori necesse erat. Mori timens negauit. Negare nolebat, sed magis nolebat mori. Itaque inuitus quidem; sed negauit tamen ne moreretur. Quod si lingua, & non voluntate loqui homo compulsus est quod nolebat; non tamen velle aliud quam volebat. Lingua mota est contra voluntatem: sed numquid & mutata voluntas? Quid enim volebat? Prorsus quod erat, Christi esse discipulus. Quid loquebatur? *Non noui hominem*. Cur ita? Mortem euadere volebat. Sed quid istud criminis fuit? Duas Apostoli tenemus voluntates: vnam qua voluit non mori penitus inculpabilem: alteram, & multum laudabilem, qua sibi complacebat quod esset Christianus. In quo ergo culpabitur? An in eo quod mentiri, quam mori maluit? Hæc plane voluntas reprehensione digna fuit quia corporis magis, quam animæ voluit seruare vitam. *Os nempe quod mentitur, occidit animam*. Et peccauit ergo, & non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miseræ, sed planè liberæ. Peccauit autem, non spernendo aut odiendo Christum, sed se nimis amando. Nec in hunc peruersum amorem sui, voluntatem metus ille subitus compulit; sed esse conuicit. Iam tunc proculdubio talis erat, sed nesciebat, cùm ab illo quem latere non poterat, audiuit: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis*. Illa itaque voluntatis infirmitas per incussum timorem nota, non orta, notum fecit quatenus se, quatenus Christum amauerit. Notum autem non Christo, sed Petro. Nam Christus & ante sciebat quid esset in homine. Quatenus ergo Christum diligebat, vim prorsus (quod negandum non est) passa est illa voluntas, vt contra se loqueretur: quatenus verò se; voluntarie proculdubio consensit, vt pro se loqueretur. Si Christum non amasset, non negasset inuitus: verum si se amplius non amasset, non aliquatenus negasset. Fatendum igitur hominem fuisse com-

compulsum: voluntatem propriam, & si non mutare, occultare tamen: compulsum, inquam, non quidem recedere ab amore Dei, cedere tamen aliquantulum amore sui.

39. Quid ergò? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis, quia nimirum inuenta est cogi potuisse voluntas? Est planè: sed si cogi ab alio potuit quam à se ipsa. Quod si sese ipsa coegit, compulsa & compellens; vbi amittere, ibi & recipere visa est libertatem. Vim quippe, quam ipsa sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non ex necessitate, sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium, & liberum. Quem sua denique ad negandum voluntas compulit, compulsus est quia voluit: immo non compulsus est, sed consensit, & non alienæ potentiæ, sed propriæ voluntati, illi vtique, qua mortem omnimodis euadere voluit. Alioquin quando vox mulierculæ linguam sacram in verba formare nefanda valuisset, si non linguæ domina voluntas annuisset? Denique cùm se à sui post modum nimio illo temperauit amore, & Christum cœpit, vt debuit, toto corde, tota anima, tota virtute diligere: iam nullis valuit minis vel pœnis extorqueri aliquatenus voluntati dare linguam arma iniquitati, sed potius audacter accommodans veritati: *Obedire*, inquit, *oportet Deo magis, quam hominibus.*

40. Est sanè gemina compulsio, secundùm quod aut pati aliquid, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarum passiua quidem (sic enim prior illa nominatur rectè) potest nonnumquam fieri absque consensu voluntario patientis, sed actiua numquam. Proinde malum quod fit in nos siue de nobis, non est imputandum nobis, si tamen inuitis. Ceterum quod fit & à nobis, iam non sine culpa est voluntatis. Velle planè conuincimur, quod non fieret si nollemus. Est ergo compulsio quædam etiam actiua: sed non habet excusationem, cùm sit & voluntaria. Cogebatur Christianus negare Christum, & quidem dolens, non tamen nisi volens. Volebat nimirum gladium vitare ferientis; atq; illa talis voluntas intus præsidens os aperiebat, non gladius qui foris apparebat. Porro talem illam esse voluntatem conuincebat gladius, non cogebat. Ipsa igitur se in culpam, non gladius impellebat. Denique in quibus sana erat voluntas, occidi poterant, flecti nequibant. Hoc est quod eis prædictum fuerat: *Facient in vos quæcumque voluerint*; sed in membra, non corda. Non vos facietis quæ voluerint: sed ipsi facient, vos patiemini. Membra cruciabunt, sed voluntatem non mutabunt; sæuient in carnem, animæ autem non habebunt quid faciant. Sit licet patientis corpus in potestate torquentis, sed voluntas est libera. Infirma si fuerit, sæuiendo cognoscent; non esse cogent, si non fuerit. Sanè infirmitas eius à se ipsa est, sanitas verò non à se, sed à Domini Spiritu. Sanatur autem cum renouatur.

Marc. 9.

41. Porrò renouatur, cùm quemadmodum docet Apostolus, si

culando gloriam Dei in eamdem imaginem transformatur à claritate in claritatem, hoc est de virtute in virtutem, tamquam à Domini Spiritu. Inter quem vtique diuinum Spiritum, & carnis appetitum, tenet medium quemdam locum id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id est humana voluntas: & tamquam in debexo latere montis admodum ardui inter vtrumque pendens, ita in appetitu infirmatur per carnem vt nisi sedulò spiritus adiuuet infirmitatem eius per gratiam, non solùm non valeat iustitiæ quæ est iuxta Prophetam *sicut montes Dei*, ascendendo de virtute in virtutem, apprehendere culmen: sed etiam de vitio semper in vitium suo ipsius pondere deuoluta tuat in præceps; prægrauata nimirum non solum lege peccati originaliter membris insita, verum & consuetudine terrenæ inhabitationis vsualiter affectionibus inolita. Quod humanæ voluntatis videlicet vtrumque grauamen vno breuiter versiculo Scriptura commemorat, dicens: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Et hæc duo huius mortalitatis mala, sicut non nocent, sed exercent non consentientes: sic non excusant, sed damnant consentientes, vt nec salus, nec damnatio vlla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi: ne qua fortè ex parte præscribi videatur libertati arbitrij. Sap. 9. 15.

CAPUT XIII.

MERITA HOMINIS MERA ESSE DEI munera.

42. QUamobrem id quod in creatura dicitur liberum arbitrium, aut iustè profectò damnatur, dum ei ad peccatum nulla vi præiudicetur extrinseca; aut misericorditer saluatur, cui ad iustitiam nulla virtus sufficit sua. Sanè in his omnibus cogitet lector originalis peccati prorsus excipi rationem. De cetero, libero arbitrio nec extra ipsum quæratur damnationis causa, quod iam non damnat nisi propria culpa; nec ab ipso salutis merita, quod sola saluat misericordia. Cuius quippe conatus ad bonum, & cassi sunt, si à gratia non adiuuentur; & nulli, si non excitentur. Ceterum *in malum*, dicente Scriptura, *proni sunt sensus & cogitationes hominis*. Proinde non ei à se (vt dictum est) sed de sursum potius à Patre luminum descendere merita putentur: si tamen inter data optima, & dona perfecta, ipsa merito per quæ salus æterna conquiritur, merita deputentur.

43. Deus namque rex noster ante sæcula, cùm operatus est salutem in medio terræ, dona sua quæ dedit hominibus, in merita diuisit & præmia: vt & præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, & futura per gratuitam sponsionem exspectaremus, immo expeteremus vt debita. Vtraque Paulus commemorans, *Habetis*, inquit, *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam* Rom. 6. 21.

Ibid. 8. 23 *vitam æternam.* Item, *Et nos ipsi*, ait, *primitias spiritus habentes, ingemiscimus adoptionem exspectantes filiorum Dei.* Primitias spiritus vocans sanctificationem, id est virtutes quibus in præsentiarum sanctificamur à spiritu, vt merito consequamur adoptionem. Rursum in Euangelio, eadem sæculo abrenuntianti promittuntur, vbi dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Itaque non liberi arbitrij, sed Domini est salus; immo ipse salus, ipse & via est ad salutem, qui air, *Salus populi ego sum.* Qui item perhibet: *Ego sum via*, se fecit viam, qui & salus erat & vita, vt non glorietur omnis caro. Si ergo bona viæ sunt merita, sicut & patriæ salus & vita, & verum est quod ait Dauid, *Non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum*, illum videlicet vnum de quo item dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus*: Dei sunt proculdubio munera, tam nostra opera quam eius præmia: & qui se fecit debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his. Ad quæ tamen condenda merita dignatur sibi adhibere creaturarum ministeria, non quibus egeat, sed quibus per hoc, vel de quibus prosit.

Mat. 19. 29. *Psal.* 13. 2 *Marc.* 10 18.

44. Operatur ergo illorum salutem, quorum nomina sunt in libro vitæ, aliquando per creaturam sine ipsa, aliquando per creaturam contra ipsam, aliquando per creaturam cum ipsa. Multa profecto fiunt hominibus salubria per insensibilem, & item per irrationabilem creaturam, quæ idcirco dixi fieri sine ipsa quod non queat, intellectu carens, esse vel conscia. Multa quoque multorum saluti vtilia facit Deus per malos, siue homines siue Angelos: sed quoniam inuitos, ideo contra ipsos. Nam dum nocere cupientes iuuant, quantum alijs valet vtilis actio, tantum ipsis peruersa nocet intentio. Porro per quos & cum quibus operatur Deus, boni sunt vel Angeli, vel homines qui quod vult Deus, & agunt pariter & volunt. Qui enim bono, quod opere complent, voluntate cōsentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Vnde Paulus cùm bona plurima, quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset; *Non autem ego*, ait, *sed gratia Dei mecum.* Potuit dicere, *per me*, sed quia minus erat, maluit dicere, *mecum*: præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum; sed & operantis quodam modo socium per consensum.

45. Videamus nunc secundum triplicem Dei operationem, quam possuimus quid creatura quæque pro suo ministerio mereatur. Et illa quidem, per quam, & sine qua fit quod fit, quid mereri potest? Quid illa contra quam fit, nisi iram? Quid & cum qua fit, nisi gratiam? In prima itaque nulla, insequenti mala, in vltima bona merita conquiruntur. Nec enim pecudes, cùm per eas bonum aut malum quodcumque fit, boni quippiam merentur, aut mali. Non habent quippe vnde bono maloue consentiant. Multo autem minus lapides; cùm nec sentiant. Ceterùm diabolus, vel homo malus, cùm vigeant & vigileut ratione, iam quidem merentur, sed non nisi pœnam, pro eo quod à bono dissentiant. Paulus autem qui volens euangelizat, ne, si inuitus, dispensatio ei tantum credita sit; & quicumque similiter sapiunt: quoniam quidem ex consensu voluntatis obediunt, repositam sibi esse confidunt coronam iusti-

Vtitur ergo Deus in salutem suorum irrationabili, & item insensibili creatura, tamquam iumento vel instrumento, quæ iam expleto opere nusquam erunt. Vtitur creatura rationali, sed maleuola; quasi disciplinæ virga, quam, correcto filio, in ignem projiciet tamquam sarmentum inutile. Vtitur & Angelis & hominibus bonæ voluntatis, tamquam commilitonibus & coadiutoribus suis, quos peracta victoria amplissimè munerabit. Denique & Paulus de se, suisque similibus, audacter pronuntiat: *Coadiutores enim Dei sumus.* Ibi itaque Deus homini benignè merita constituit, vbi per ipsum, & cum ipso, boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc coadiutores Dei: cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum vtique voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. 1. Cor. 3.

CAPUT XIV.

QUID GRATIÆ, QUID LIBERO ARBITRIO IN NEGOTIO salutis attribuendum.

46. QUid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc solum eius est meritum quod consentit? Est prorsus. Non quidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cùm nec cogitare (quod minus est, quam consentire) aliquid à nobis, quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profectò sine nobis; secundum nobiscum; tertium per nos facit. Si quidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit. Sanè ipsi nos præuenire nequaquàm possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat quem non præuenit. A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verùm consensus, & opus, & si non ex nobis, non iam tamen sine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nil facimus; nec vltimũ, quod & plerumq; extorquet aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis: sed tantũ medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdũ bona voluntas sufficit: cetera non prosunt, si sola defuerit. Non prosunt dixerim, sed agẽti, non cernenti. Valet itaq; intentio ad meritũ, actio ad exẽplum, vtrãq; præueniens cogitatio tantũmodo ad excitandũ.

47. Cauendum ergo, ne cùm hæc inuisibiliter intra nos ac nobiscum, actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberũ excitat arbitrium, cùm seminat cogitatũ; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; seruat ne sẽtiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in ceteris comitetur; ad hoc vtique præueniẽs, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à sola gratia cœptũ est, pariter ab vtroq; perficitur: vt mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus